BULLARIUM

Ordinis FF. Minorum S. P. Francisci
CAPUCINORUM

SEU

Collectio Bullarum, Brevium, Decretorum, Reſcriptorum, & Oraculorum &c. quæ à S. Sede Apoſtolica pro Ordine Capucino emanârunt,

SUB GUBERNIO

REVERENDISSIMI PATRIS

JOSEPHI MARIÆ AB INTERAMNA

Totius Ordinis Ministri Generalis

Variis Notis & Scholiis elucubrata

A

P. F. MICHAELE A TUGIO IN HELVETIA

Ejuſdem Ordinis Concionatore, olim Sacræ Theologiæ Lectore, ac pro Natione Germanica Secretario Generali.

Tomus Quartus

Continens Bullas, Brevia, Decreta, Reſcripta, & Oracula, quæ Provincias Germaniæ, videlicet Helveticam, Anterioris Auſtriæ, Flandro-Belgicam, Wallonicam, Leodienſem, Tyrolenſem, Bavariæ, Franconiæ, Bohemicam, Auſtriaco-Hungaricam, Styriæ, Colonienſem, Rhenanam, nec non Cuſtodiam Poloniæ ſpecialiter concernunt.

ROMÆ MDCCXLVI.

TYPIS JOANNIS ZEMPEL AUSTRIACO-VIENNENSIS PROPE MONTEM JORDANUM.

SUPERIORUM FACULTATE.



AMICUS FIDELIS PROTECTIO FORTIS *Eccl. 6. vers. 14.*

Ludovicus Stern inv., et pinxit. *Joseph Canale sculps*

SANCTO FIDELI
A SIGMARINGA,

Ordinis FF. Minorum S. P. FRANCISCI Capucinorum Professori, Sacræ Congregationis de Propaganda Fide PROTOMARTYRI &c.

I*PSA tua Apotheosis*, GLORIOSE CHRISTI ATHLETA, *eo ipso anno, quo quartum hunc Bullarii tomum sub prælo sudare contigit, in Urbe Orbis Dominâ peracta, hunc sacro tuo Nomini nuncupare suavi me movet, & monet impulsu; iis enim, qui novos honores consequuntur, Libros dicari, vulgarem*

tum priscæ, tum modernæ, tum Sacræ tum prophanæ Palladis usum esse, ipsę horum exhibent frontes: assumunt Scriptores inter alia motiva libros, ceu mutos testes, quibus partim amicorum merita reddant cum libris æviterna, partim suæ ad eos relationis exprimant gloriam. Primum à me agi supervacaneum est, postquam per ipsas Decretales Sacræ Sedis Litteras universus jam populus noscit Te esse Sacerdotem à Deo suscitatum, qui secundùm cor & animam ejus fecisti, & ambulâsti coram Christo cunctis diebus: noscit Te esse FIDELEM, qui in testamento Fidei stetisti constanter, illudque Sanguine tuo firmâsti: personat per omnem terram, Te in Cœlesti Regno florere sicut Lilium, & sicut odorem balsami esse ante Deum: narrabit omnis ætas, quod, quantùm Ecclesia triumphans tuâ Societate exultat, tantùm militans tuo felicitetur patrocinio: æqua autem gloria est, ut in fronte tomi ea, quæ Te inter-et me intercedit, effulgeat relatio, & Provinciæ communio.

Eâ sorte, quâ Provincia Anterioris Austriæ de tuo intra suum ambitum ortu, ac de tua in Cœlitum ordines matricula, ceu glorioso solius suę sollicitudinis effectu sibi applaudit, Provincia Helvetica de Te in illa renato gloriatur, cum tempore, quo vota sacra Deo nuncupâsti, & triumphalem Sanguinis Stolam accepisti, sub unico & antiquo Provincię Helveticę nomine Conventus Helvetię, Anterioris Austrię, ac Alsatię complecteretur. Audeo inde, & debeo Te Fratrem devoto nominare jubilo, Fratrem tum ex Professione, tum ex Provincia meum, cum hęc & illa ex parte tua, ac mea sit una. Estque hęc mea Fraternitatis gloria eò major, quò felicior fuit tua ex incolatu, ac hęreditate relicta, Provincię Helveticę Filiatio.

Frauenfeldę in Helvetia utriusque juris scientiam Studio Theologico perfecisti, &, an Spiritu Domini, an Litteris magis profeceris, dubium reliquisti. Stupuit in Te Altorffium Vocem Domini resonantem in virtute, vocem intercidentis flammam ignis, & concutientis Desertum Cades, ita, ut Procerum unus insipidarum offarum minis zelum tuum frustra cohibere tentârit: Colit in pręsentem,

usque

usque diem Friburgum Nuithonum cellam, in qua forma Fraterni Gregis factus ex animo, bonitatem & Disciplinam Regularem Guardianus docuisti: Vidit Lucerna Te bina vice Capituli Provincialis Vocalem, primâ quidem vice, juxta tabulas ibi adhuc asservatas, Missis inservientem, & secundâ officio Lectoris ad mensam fungentem: fuit Maris = Stella, vulgò Wettingen, *inclitum Ordinis Cisterciensis Cœnobium, selectus locus, in quo Diploma Legationis ad Missionem Rhetię ab Apostolico recepisti Nuntio. Et localem hanc sortem longè superat hęreditas, quam Filius Matri reliquisti. Exhibet nostra Lucernę Ecclesia argenteo cornicio decoratam paginam, in qua juxta Ordinis Statuta tuę solemnis Professionis actum proprię manûs charactere signâsti: fulget & ibi in Altari os fœmoris, quo ęquè, ac manu tua illi subjunctâ juxta antiquæ Legis usum quasi jurâsti facere nobiscum misericordiam tuam: exhibet & ibi Monialium nostrarum ad Sanctam Annam Parthenone Breviarium, quo pensum Divini Officii persolvisti. Nulla est Fratrum in Provincia Ecclesia, quæ cultui publico de tuis non exponat Sacris Lipsanis, & quod Zelotes pietas de tuo Cadavere non distraxit, concludunt argenteæ tabulæ, in subterranea Fratrum nostrorum Capella Curię conservatę.*

Est demum & ipse tomus, qui tuis sub auspiciis in publicum prodire ambit; Germanus ille est, & frontem suam Germani Sancti, & FIDELIS *nomine insigniri avet. Germanus est, & continet monumenta Germanicarum Provinciarum, quarum Tu es gloria, lętitia, & honorificentia, & quę liberaliore Benefactorum stipe sacros honores Tibi decerni curârunt: complectitur commixta Theutonum Principum Diplomata, quibus Fratribus ędes, & ędibus Odea ac Templa addixêre, Fratrum jura commendârunt, eorumque operarium in Vinea Domini zelum, & religiosę vitę exemplum, ab ipsis quoque Acatholicis cultum, usque ad Solium S. Sedis exaltârunt: epilogat gesta Fratrum, qui tuo animati*

exem-

exemplo non sibi soli vivere, sed & aliis proficere, labore & fructu pari conantur.

Ex quo rationum complexu dum litterarium munus, meę erga Te devotionis pignus, Tibi gratum acceptumque fore persuadeor, in spem quoque erigor, quod, qui in carne ambulans Frater *meus fuisti, in sede glorię tuę sis futurus*, Amicus FIDELIS, fortis Protectio

Minimi Clientis, & Indigni Fratris
Michaëlis à Tugio Capucini.

AP-

APPROBATIO ORDINIS.

NOS infra ſcripti Definitores Generales Ordinis Fratrum Minorum Sancti Patris Franciſci Capucinorum collegialiter uniti, de mente, & mandato Reverendiſſimi P. Joſephi Mariæ ab Interamna, Miniſtri noſtri Generalis, vidimus, revidimus, & attentè conſideravimus Tomum IV. Bullarii noſtri Ordinis, à R. P. Michaële Tugienſi, Ordinis noſtri Concionatore, & Provinciæ noſtræ Helveticæ olim Sacræ Theologiæ Lectore &c. magnâ ſollicitudine & induſtriâ collectum, variiſque notis, ac notitiis ad majorem legentium utilitatem illuſtratum. Cumque in iiſdem notis nihil ſanæ doctrinæ, aut bonis moribus diſſonum, nec aliud quidpiam, quod in præjudicium Tertii vergere poſſit, invenerimus, dignum omnino cenſemus, ut ſervatis de jure ſervandis ad debitam Provinciarum, ac rerum geſtarum notitiam typis dari & imprimi poſſit. Dedimus Romæ die 29. Septembris 1746.

Fr. Maximilianus à Vanghena, Diffinitor Generalis C. I.
Fr. Benedictus à Maſſafra, Diffinitor Generalis C. I.
Fr. Joannes Maria à Parma, Diffinitor Generalis C. I.
Fr. Cherubinus à Noves Diffinitor Generalis. Cap. I.

F. Joſeph Maria ab Interamna, Ordinis Fratrum Minorum S. P. Franciſci Capucinorum Miniſter Generalis (*l. i.*)

CUM Tomum quartum Bullarii Ordinis noſtri à R. P. Michaële Tugienſe, ejuſdem Ordinis Concionatore, Sac. Theologiæ in Provincia Helvetica Ex-Lectore, & pro Natione Germanica olim Secretatio Generali compilatum, variiſque notis & notitiis illuſtratum, quatuor ejuſdem Ordinis noſtri Diffinitores Generales reviderint, & in lucem edi poſſe probaverint, tenore præſentium facultatem concedimus, ut ſervatis ſervandis typis imprimatur. Datum ex noſtro Conventu Immaculatæ Conceptionis de Urbe 3. Octobris 1746.

Fr. Joſeph Maria, qui ſupra.

L. ✠ S.

AP-

APPROBATIO EXTRA ORDINEM.

EX commiſſione Rmi Patris, Sac. Pal. Apoſtolici Magiſtri evolvi Quartum Tomum Bullarii, Sacri Ordinis Fratrum Minorum S. P. Franciſci Capucinorum, ab admodum Reverendo, Doctiſſimo, Religioſiſſimoque Patre Fratre Michaële Tugienſi, ejuſdem Ordinis Minorum Capucinorum in Provincia Helvetica Profeſſo, Sacræ Theologiæ Ex-Lectore, & ſui Revmi P. Miniſtri Generalis olim Secretario collecti, variiſque Notis & Scholiis illuſtrati: cumque in eo nihil omnino Orthodoxæ Fidei dogmatibus, Sacratiorumque morum regulis, vel Canonum Decretis adverſum offenderim; quinimo totum denuo opus à methodo, eruditione, ac induſtriâ plurimùm commendabile, ad Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ illuſtrationem utiliſſimum, atque pro Diſciplinæ & Obſervantiæ Regularis Cuſtodia accomodatiſſimum, æquè ac priora tria volumina, repererim, ut ex Archivorum pariter tenebris, quæ Reipublicæ profuère nunquam, in commune obſequium, publicæ per typum luci ac immortalitati donetur, digniſſimum cenſeo, qui ſubſcribor.

Romæ, in Conventu S. Mariæ ſuper Minervam hâc die 26. Septembris 1746.

Fr. Dominicus Gentis Ord. Præd. Sac. Theol. Magiſter, ejuſdemque iu Univerſitate Colonienſi Doctor, Collegii Caſanatenſis de Urbe Theologus, ac Sac. Congregationis Indicis Conſultor manu propria.

Imprimatur,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sac. Palatii Apoſtolici.

F. M. de Rubeis Archiep. Tarſi Viceſgerens.

Imprimatur.

Fr. Nicolaus Ridolfi, Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter, Ordinis Prædicatorum.

ELEN-

ELENCHUS SUMMARIORUM

Quæ Litteris Apostolicis, Decretis &c. in hoc IV. Tomo contentis præponuntur.

MONUMENTA APOSTOLICA.

Vel omnes, vel plures Germaniæ Provincias concernentia.

PROVINCIA HELVETICA.

Pon-

dulgentiarum, in Provincia Viam Crucis cum Indulgentiis à Fratribus nostris erigi indulgetur. *cum nota.* 52.

Decreta Senatûs Uraniensis de administratione Capellaniæ Curatæ in Realp Fratribus nostris ab Episcopo commissâ reprobat, &, ut hæc revocet, Paternâ in Rempublicam charitate hortatur. *Clemens XII.* 55.

Controversiam de Sacellano Curato in dicto Loco Realp constituendo agitatam ad se avocat, & in talem, Sacerdotem Sæcularem, vel Regularem, præsertim Fratres Nostros deinceps eligi posse declarat, à Parocho Ursariæ unicè confirmandum. *Idem cum nota. ibi.*

Altare Majus Ecclesiarum 16. Monasteriorum, Monialium Tertiariarum, Capucinarum nuncupatarum, Lucernæ, Uraniæ, Stantii, Tugii, Friburgi Nuithonum, Solodori, Appenzellæ, Badæ, S. Mariæ Angelorum in Toggio, Neckersegg, Roschachii, Grimenstein, Wunenstein, Altstetten, Ensishemii, & Seckingæ, qualibet feria secunda &c. pro Animabus defunctarum Monialium, earum Consanguineorum, Affinium primi, & secundi gradûs, & Benefactorum privilegiat, & privilegium ad diem obitûs &c. etiam septimam, & trigesimam obitûs Monialium extendit. *Benedictus XIV. cum nota.* 60.

Præter Indulgentias generaliter Ordini concessas, Ecclesiis Monasteriorum earumdem Monialium Indulgentiam plenariam pro die Festo Titulari Ecclesiarum impertitur. *Idem.* 61.

PROVINCIA ANTERIORIS AUSTRIÆ.

Pietatem Jacobi Fuggeri, Ecclesiæ Cathedralis Constantiensis Præpositi, sumptibus suis novam Fratrum Domum ibi construentis commendat. *Clemens VIII. cum nota.* 65.

Abbatissæ, & Monialibus Monasterii S. P. Francisci Loci Seflingæ ex annuis, & superfluis earum redditibus, ac aliorum eleemosynis, Fratribus novam Domum prope Civitatem Ulmæ construendi facultatem largitur, &, ut horum unus pro Confessario, & alius pro Concionatore dictis Monialibus inserviat, concedit. *Paulus V.* 66.

A Fr. Columbano à Rottenburgo, nomine Joannis Henrici, Episcopi Basileensis, Sacra Apostolorum limina invisente, calamitates Dioeceseos à se amplè auditas esse rescribit, & Episcopum de Pastorali vigilantia commendat. *Urbanus VIII. cum nota.* 67.

Mediato Pontificio mandato, Novum Monasterium cum Ecclesia, à magno Priore Alemaniæ, Fr. Joanne Friderico Hundt, in Hejttersheimb constructum, à Fratribus nostris acceptari injungitur. 68.

Decreto Sacræ Congregationis de propaganda Fide, die 8. Augusti 1667. habitæ, Domum Wilerstadii Fratribus ad formam Hospitii restitui jubetur, *cum nota.* *ibi.*

Conventus Sveviæ, Brisgoviæ &c. à Provincia Helvetica separati, in Provinciam eriguntur. *Clemens IX.* 72.

In Dynastia Mahlberg ad instantias Episcopi Argentinensis, & Marchionis Badensis, S. Rom. Imp. Principum, novam Fratrum Domum construi concedit. *Clemens X. cum nota.* *ibi.*

Provinciæ ad Capitulum Generale duos Custodes cum P. Ministro Provinciæ ablegandi, novasque Domos sine S. Sedis licentia &c. construendi facultatem largitur. *Innocentius XI.* 73.

Decreto Sacræ Congregationis Episcoporum & Regularium, Reformatio Monialium, Tertii Ordinis Sancti Patris Francisci, Loci Marchdorffii, Apostolico ad Helvetos Nuntio committitur. *cum nota.* *ibi.*

Moniales easdem à jurisdictione Nuntii Apostolici eximit, easque illi Principis & Episcopi Constantiensis, sub spirituali Fratrum nostrorum directione subjicit. *Innocentius XII.* 74.

Fr. Maximilianum à Wanghena, ad Provinciam regredientem, in officio

Po-

PROVINCIA TYROLENSIS.

PROVINCIA BAVARICA.

PROVINCIA FRANCONIÆ.

PROVINCIA BOEMICA.

MONUMENTA APOSTOLICA

Vel omnes, vel plures Germaniæ Provincias concernentia.

EPISTOLA

S. Congregationis R. P. Provinciali Helvetiæ inscriptâ

Fratres in Provinciis Germaniæ, Moniales cum licentia suorum Superiorum scriptâ, accedere posse declaratur.

Reverende Pater.

NUnquam fuit animus, aut consilium Illustrissimorum Cardinalium, qui mecum in hac Congregatione præsunt Ordinibus Regularium, ut, quæ ipsi sanxerunt ad conservationem divini cultûs, religiosique Instituti observantiam, contrarium ullo modo sortiantur effectum; propterea, cum abundè cognovissent, quem fructum edant in illis partibus Germaniæ & Helvetiorum, PP. Societatis Jesu, & Capucini, suis documentis & exhortationibus, quas interdum habent ad Moniales, quarum Cœnobia Hæreticorum faucibus sunt exposita, statuendum judicârunt, uti per has litteras statuunt & declarant, Decreto, quod Regularibus interdicit visitationes, & colloquia Monialium, minimè comprehendi prædictos PP. Societatis Jesu, & Capucinos, in istis nimirum partibus Germaniæ, & Helvetiorum, quò minus cum ad eas venerint, Moniales visitare, ac juxta Catholicæ Fidei dogmata instruere possint, tum publicè, tum privatim, nullâ pœnâ ex iis, quæ Decreto continentur, ipsis imminente, dummodo id non faciant, nisi impetratâ, & scripto expressâ Superiorum suorum licentiâ &c. Romæ 1. Maij 1592.

Cardinalis Alexandrinus.

Autographum in Archivo Provinciæ Helveticæ.

NOTA.

STante hujusmodi declaratione in Provinciis Germaniæ jam usu venit, & impræsentiarùm practicatur, ut R. P. Provincialis hujusmodi accessûs licentiam in scriptis impertiatur, numerumque, quoties Fratri Moniales accedere licet, juxta Personæ qualitatem, propriâ manu, & subscriptione signet. Estque hæc praxis postmodum firmata per Litteras, à R. P. Honorato Parisiensi, Definitore Generali, P. Provinciali Helvetiæ inscriptas, ut sequitur.

Circa Monialium allocutionem praxis hæc est, ut nullus Fratrum ad Monasteria Monialium eas allocuturus accedat, qui à R. P. Provinciali ad hoc sive absolutè, sive indeterminatè, vel determinatè, hoc est, pro illa, vel pluribus vicibus licentiam in scriptis non habeat, quam haud dubiè ipse Provincialis pro se, imò in se tanquam in fonte habet, quamdiu est Provincialis. Hujus autem praxis ratio est exceptio quædam ab Illustrissimis Cardinalibus, quæ FF. Capucinos ultramontanos excipit ob fructum, qui ex eorum colloquiis, Monialium Monasteriis advenit, ac sufficere ajunt, ut dictam licentiam à Patre suo Provinciale in scriptis habe-

habeant, ac de hujusmodi praxi, ac ejus fundamento, nulla unquam à PP. Italis, satis aliàs in similibus materiis accuratè procedentibus, facta est difficultas. Quoad modum verò colloquendi haud dubiè extra clausuram Monasterii, hoc est, extra claustrum, & omnes interiores officinas esse debet, prout ex Regulæ Expositoribus patet.

Et licet aliquando hujusmodi loca tam pervia sint Sæcularibus, ut quasi publica censeantur, nobis tamen tales abusus in nullo favere possunt, ut eos sequamur. Quod tamen domos, quæ in quibusdam Monasteriis vocantur Abbatiales, in quibus scilicet Abbatissa extra clausuram Monialium moratur, dormit, comedit, & quoscunque advenientes excipit, cum prædicta licentia accedere, & in illis Monialibus loqui liceat, creditum semper fuit, & ita ab omnibus Religiosis Reformatis, PP. Jesuitis, Minimis, & aliis usu confirmatum. In hoc tamen semper magna fuit adhibita cautela, ne scilicet tam facilis ad Moniales in talibus Domibus alloquendi detur accessus, sicut ad alias, in quibus inter colloquentes crates ferreæ intercedunt. Imò etiam considerata qualitate Monialium aliquando per Ordinationes Capitulorum Provincialium omnimodus prohibitus est accessus &c. Lutetiæ non. Jul. 1619.

Ex eo autem, quod suprapòsita DD. Cardinalium declaratio licentiam accessûs *à Superioribus* indefinitè dari debere concludat, nonnulli eam à Superiore quoque locali dari posse intulerunt. At PP. Provincialibus privativè ad alios reservatam esse, tum Provinciarum ultramontanarum usus, tum litteræ A.R.P. Honorati prædictæ, tum & aliæ P. Anselmi à Monopoli, tunc Procuratoris Generalis, & postmodum S. R. E. Cardinalis, citatæ à P. Bonagratia Habsensi in *summula select. quæst. verb.* clausura *fol. mihi* 143. *lin. ult.* testantur.

Si autem Fratrem sine hujusmodi licentia Moniales accedere contingeret, peccaret mortaliter, non quidem contra regulam, cum hæc juxta P. Sancten Thesaurum Romanum in *cap.* 11. *reg.* à Politio in *cap. dictum n.* 14. & P. Basseum *verb.* clausura *n.* 10. memoratum P. Bonagratiam *loc. cit. fol.* 140 *n.* 87. ingressum duntaxat ad Monasteria in litterali & obvio verborum sensu prohibeat: *Fratres non ingrediantur Monasteria Monacharum &c.* sed contra obedientiam Decretis Pontificiis, & Sacrarum Congregationum, & in specie, Decreto Kal. April. 1590. emanato debitam. In Hypothesi enim, quod Frater hujusmodi facultate P. Provincialis non foret munitus, maneret dicto Decreto, ceu indistinctè omnes Regulares comprehendenti subjectus, & ideo peccato mortali se contaminaret, prout S. Congregatio decidit ad libellum supplicem ipsi porrectum sub tenore sequente.

De anno 1590. *Kal. Aprilis emanavit Decretum ab Illust. DD. VV. quo prohibetur Religiosis accedere ad Monasteria Monialium cujusvis Ordinis sine expressa licentia S. Congregationis sub pœna privationis officiorum, & vocis activæ, & passivæ ipso facto incurrenda, nunc verò ab Illust. Dominationibus Vestris quæritur:*

An ultra dictas pœnas privationis officiorum, & vocum incurratur pœna peccati mortalis?
Quod dubium pro conscientiæ serenitate humillimè supplicatur per Dominationes Vestras Illustrissimas decidi.

Sacra Congregatio &c. attentis narratis, & dubio prædicto maturè discusso ac examinato, censuit, ac declaravit, Regulares accedentes ad Monasteria Monialium contra formam Decreti, quo hujusmodi accessus per Sacram Congregationem prohibetur, ultra pœnas privationis officiorum, & vocis activæ & passivæ, incurrere etiam pœnam peccati mortalis, & ita servari mandavit. Die 1. *Julii* 1606.

A. Hortensius Secret.

Decretum, quod hucusque variè allegatum est, & præpositi Dubii æquè, ac suprà memoratæ declarationis ansam præbuit, fuit tenoris sequentis:

Illustrissimi, ac Reverendissimi Cardinales Sacræ Congregationis Regularium Præpositi, ad occurrendum scandalis, quæ contingere possunt, aliisque justis, & rationabilibus causis animum ipsorum moventibus decreverunt, & mandaverunt: Nulli posthac Religioso cujuscunque Ordinis, gradûs, qualitatis, & dignitatis existat, (Superiore, cui Monasterii, seu Domûs cura incumbit, Confessarioque Ordinario, vel extraordinario, cum ad tempus deputabitur, dumtaxat exceptis) liceat absque licentia expressa ejusdem Sacræ Congregationis accedere ad Monasteria, seu Domos quarumcunque Monialium, vel Sororum, sive sui, sive alterius cujusvis Ordinis. Quod si aliquando mandato sui Superioris, aliquos Religiosos ad celebrandas Missas in ipsarum Monialium, seu Sororum Ecclesiis, sive Oratoriis exterioribus, sive extra Claustra existentibus mitti contingat, prohibuerunt, ne dicti Religiosi ullo quæsito colore Moniales, Sorores, aut quamlibet aliam personam intra clausuram degentes alloqui possint. Confessariis autem similiter interdixerunt, ne in Ædibus Monasterii, seu Domûs, vel Monasterio, seu Domui Monialium aut Sororum contiguis, pernoctent, aut alios pernoctare faciant, vel alios secum retineant, neque extra tempora generalium Confessionum (quibus soli tantùm Confessario refectionem diutinam accipere vix permittitur, & tunc demum videlicet, cum sua habitatio, aut Virorum Domus, vel Monasterium, in quo degit, à Monialium Monasterio, vel Domo nimiùm distat, nisi tantùm, & eo casu contrarium specialiter constitutum sit) ibi nullo modo comedant, bibant, reficiantur, aut cibum sumant. Quæ omnia, & singula sub pœna privationis officiorum, ac vocis activæ, & passivæ, ipso facto incurrenda, præceperunt inviolabiliter observari. Injungentes RR. PP. Generalibus, Provincialibus, & aliis quorumvis Monasteriorum, & Mendicantium, ac non-Mendicantium Ordinum, & Congregationum Superioribus, ad quos spectat, quatenus intra terminum unius mensis citra montes, & trium mensium ultra montes à die, quo præsens Decretum, ipsis notificatum fuerit, computandorum, debeant ejusmodi copiam cum hujusmodi præcepto omnibus suorum Ordinum, & Religiosorum Mo-

Monasteriis, Domibus & Conventibus intimare, ac notificare, ac intimâsse, & notificâsse, ne ullam aliquando desuper ignorantiam in futurum allegare, aut prætendere quoquomodo possint.
Romæ Kalend. Aprilis 1590.

Georgius Paleari Secret.

A Sanctæ Romanæ Universalis, & supremæ Inquisitionis Tribunali

PP. Ministris Provincialibus Provinciarum Ultramontanarum facultas conceditur, in causis ad S. Officium spectantibus, contra suos subditos procedendi.

Feria v. *die tertia Julii* MDCXXV.

IN generali Congregatione Sacræ Romanæ & universalis Inquisitionis, habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis, coram Sanctissimo Domino nostro D. Urbano, Divina Providentia Papa Octavo, ac Illustrissimis, & Reverendissimis Dominis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, in tota Republica Christiana contra hæreticam pravitatem Inquisitoribus Generalibus à Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

Sanctissimus Dominus noster Papa prædictus inhærendo Decreto fel. rec. Pauli Papæ V. sub die 11. Januarii Anni MDCVII. concessit facultatem RR. PP. Provincialibus Ultra Montes, Ordinis Capucinorum, procedendi contra suos subditos in causis ad Sanctum Officium spectantibus in locis, ubi hæreses impunè grassantur, & S. Officium Inquisitionis, nec per Inquisitores, nec per locorum Ordinarios exercetur.

Joan. Antonius Thomasinus S. Rom. & Universalis Inquisit. Notarius,

NOTA.

FUsius hac de facultate in tomo primo fol. 73. actum est, inde Lector ad eundem regredi, & subjunctam notam ibi legere non graveтur.

AUCTORITATE

S. Congregationis Officii Supremæ, & Universalis Inquisitionis

Fratribus à P. Provinciale, & Definitorio Provinciæ deputatis, libros hæreticorum, aut aliàs prohibitos legendi; Confessiones tum Sæcularium, tum Regularium, tum Hæreticorum, Schismaticorum &c. excipiendi; hæreticos ab hæresi, hæreticorum librorum Lectores, seu retentores, necnon Sæculares, Religionem ingredi volentes, ab omnibus censuris, casibus Sedi Apostolicæ, etiam in Bulla die Cænæ Domini legi solita reservatis absolvendi facultas conceditur. Itidem P. Provinciali cum Novitiis, si hæretici fuerint, ad effectum S. Ordines recipiendi, post professionem dispensare, ad omnes gradus, & Religionis munera habilitare, & facultatem eos ab omnibus casibus reservatis absolvendi PP. Magistris Novitiorum subdelegare indulgetur.

Thomas, Episcopus Ostiensis Ruffus, Annibal, Episcopus Sabinensis S. Clementis, Ludovicus, Episcopus Portuensis Picus, Petrus Marcellinus, Episcopus Tusculanus Corradinus, Vincentius, Episcopus Prænestensis Petra, Nicolaus Tit. SS. Joannis, & Pauli Lercari, Franciscus Antonius Tit. S. Petri in Vinculis &c. S. R. E. Cardinales in tota Republica Christiana contra hæreticam pravitatem Generales Inquisitores à S. Sede Apostolica specialiter deputati.

Dilecto nobis in Christo Fratri N. N. Ministro Provinciali Ord. Capucinor. Provinciæ N. salutem in Domino sempiternam.

CUM in Generali Congregatione S. Romanæ, & universalis Inquisitionis, habita in Palatio Apostolico ad S. Mariam Majorem

rem, coram SS. D. N. D. BENEDICTO, Divina Providentia PAPA XIV. ac Nobis, die infrascripta, nomine tuo supplicatum fuerit, ut ad salutem Animarum, ac hæresium, & errorum confutationem Tibi, ac aliis ejusdem Ordinis Sacerdotibus Tibi subjectis quoscunque prohibitos libros, præsertim Sacra Biblia vulgaris idiomatis legendi, & retinendi, hæreticos quoscunque redeuntes, & pœnitentes recipiendi; necnon Novitios dicti Ordinis, vel alios, illius Habitum suscipere volentes, à casibus Sedi Apostolicæ reservatis absolvendi licentiam, & facultatem concedere dignaremur.

Nos, quibus in primis cordi est, ut omnis hæretica pravitas, è cunctorum mentibus depellatur, & oves aberrantes ad Caulam Dominici Gregis sedulò reducantur, cunctorumque Christifidelium saluti providè consulatur, ac summopere cupientes, ut S. Catholica, & Orthodoxa Fides ubique floreat, & augeatur, Auctoritate Apostolica Nobis in hac parte commissa, Tibi & pro tempore existenti dictæ Provinciæ N. Provinciali, ac aliis tui Ordinis Fratribus doctis, & prudentibus, Tibi subjectis, per Te, de consilio, & consensu Patrum Diffinitorum Capituli Provincialis deputandis, ut quoscunque hæreticorum, seu aliàs prohibitos libros, etiam in Indice Romano librorum prohibitorum damnatorum, præsertim volumen Sacrorum Bibliorum vulgaris idiomatis, exceptis tamen Caroli Molinei, & Nicolai Machiavelli operibus, ac libris de Astrologia judiciaria tractantibus, sine tamen aliorum scandalo, aut periculo censurarum, & pænarum incursu, ad effectum, ut præfertur, hæreses, & errores redarguendi, & confutandi, legere, & retinere liberè & licitè in partibus, in quibus hæreses impunè grassantur, & non alibi, possitis, & valeatis, & quilibet vestrûm possit, ac valeat: injuncto tamen iis, quibus licentiam hujusmodi impartieris, ut notam librorum prohibitorum, quos legent, aut retinebunt, Tibi quamprimùm exhibeant, ut si interim eorum aliquem ex hac vita migrare contigerit, libri prædicti Tibi consignentur, ut provideas diligenter, ne ad aliorum manus deveniant, sed tempore hujus facultatis elapso, unà cum libris prohibitis, quos ipse legerit, vel retinuerit, igni comburendi tradantur. Præterea Tibi, & pro temre existenti Provinciali, ac aliis ejusdem Religionis Sacerdotibus idoneis, per Te de consilio & consensu Diffinitorum Provincialium deputandis, & ad Pænitentiæ Sacramentum ministrandum, ab eo, ad quem spectat, approbatis, ut omnes & singulos utriusque sexûs tam Laicos, quàm Clericos Sæculares, & cujusvis Ordinis Regulares, Hæreticos, Schismaticos, & à S. Fide Catholica quomodolibet aberrantes, illorumque credentes, non tamen in hæreses, schisma, & errores relapsos, aut de eis in judicio delatos, vel condemnatos, nec eos, qui sunt ex partibus, in quibus viget S. Inquisitionis Officium, de quibus nihilominus S. D. N. Papa, aut hoc nostrum Inquisitionis Officium consulatur, Pænitentes quidem ad Te, vel Provincialem pro tempore existentem, aut Sacerdotes prædictos in aliqua parte dictæ Provinciæ N. constitutos, seu residentes, sponte venientes, & ad S. Matris Ecclesiæ gremium recipi, & admitti humiliter postulantes, ab excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pænis, quibus propterea fuerint innodati, in forma Ecclesiæ consueta, injunctâ inde eis pro modo culpæ pænitentia salutari, & aliis injungendis, prout eorum saluti Tibi, vel Provinciali pro tempore, aut Sacerdotibus prædictis expedire videbitur, in foro conscientiæ tantùm citra ullam habilitationem, aut dispensationem absolvere, & S. Matri Ecclesiæ reconciliare: Nec non, ut universos, & singulos de Partibus prædictis, qui libros hæreticorum, seu aliàs prohibitos, etiam in Indice Romano librorum prohibitorum contentos, scienter legerint, vel retinuerint, hæreticorum quoque, & Schismaticorum receptatores, fautores, & defensores, qui illorum hæresibus non adhæserunt, & in futurum ab ejusmodi perniciosa lectione, vel retentione & excessibus prædictis abstinere firmiter proposuerint, similiter ab excommunicationis, & aliis Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pænis, quibus propterea fuerint innodati, in eadem forma Ecclesiæ consueta, injunctis pariter eis pænitentiis salutaribus, & aliis injungendis, in foro conscientiæ absolvere, & liberare: insuper de speciali mandato S. D. N. Papæ, vivæ vocis oraculo Nobis facto, ut Novitios dictæ Religionis, & Sæculares eandem Religionem ingredi volentes, si sint ex partibus, in quibus hæreses impunè grassantur, ab omnibus casibus, peccatis, excessibus, Sedi Apostolicæ, etiam in Bulla die Cœnæ Domini legi solita reservatis, pro una vice tantùm, si de commissis ex corde doleant, & in futurum abstinere intendant, injunctis eis pœnitentiis salutaribus, & aliis injungendis, in eodem foro conscientiæ tantùm absolvere possitis, & valeatis, & quilibet vestrûm possit, & valeat. Tibi verò soli, & Provinciali pro tempore, ut cum iisdem Novitiis, & Religionem ingredientibus, si hæretici fuerint, aut ex Parentibus hæreticis procreati, ut post emissam professionem ad Ordines etiam Sacros, & Presbyteratum promoveri possint, si aliud impedimentum canonicum eis non obsistat, dispensare, eosdemque ad gradus, dignitates, & munera Religionis habilitare, facultatem eos absol-

absolvendi à casibus reservatis Magistris Novitiorum dictæ Provinciæ N. subdelegare possis, & Provincialis pro tempore possit, licentiam, facultatem, & auctoritatem ad septennium proximum ab infrascripta data incipiendum, solummodo duraturam, tenore presentium concedimus, & impartimur. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscunque. In quorum omnium, & singulorum fidem, & testimonium præsentes litteras gratìs expeditas per infrascriptum nostrum, & dictæ S. Inquisitionis Notarium, & manibus nostris subscriptas, Sigilli ejusdem S. Inquisitionis, quo in talibus utimur, jussimus, & fecimus impressione muniri.

Datum Romæ in Generali Congregatione prædictæ S. Inquisitionis hac die XIII. Septembris MDCCXL. Pontificatus autem SS. D. N. Papæ prædicti Anno ejusdem primo.

Paulus Antonius Cappellonus S. Rom. & Universalis Inquisitionis Notar.

NOTA.

HÆc est formula solita, & ultima, sub qua hæc facultas expedita est, & expediri solet, cujus autographa reservantur in Archivis illarum Provinciarum, quæ eâ gaudent.

Series facultatum & privilegiorum, quæ à Summo Pontifice quibusdam Provincialibus, ceu Missionum Præfectis, quolibet septennio concedi solent, cum potestate, ea aliis Provinciæ suæ Fratribus communicandi.

1 ADministrandi omnia Sacramenta, etiam Parochialia, Ordine, & Confirmatione exceptis, & quoad Parochialia in Dioecesibus, ubi non erunt Episcopi, vel Ordinarii, vel eorum Vicarii, vel in Parochiis, ubi non erunt Parochi, vel, ubi erunt, de eorum licentia.

2. Absolvendi ab Hæresi, & Apostasia à Fide, & à Schismate quoscumque, etiam Ecclesiasticos, tam Sæculares, quàm Regulares, non tamen eos, qui ex locis fuerint, ubi Sanctum Officium exercetur, nisi in locis Missionum, in quibus impunè grassantur Hæreses, deliquerint, nec illos, qui judicialiter abjuraverint, nisi isti nati sint, ubi impunè grassantur Hæreses, & post judicialem abjurationem illuc reversi, in Hæresim fuerint relapsi, & hos in foro conscientiæ tantùm.

3. Absolvendi ab omnibus casibus reservatis, etiam in Bulla Cœna Domini contentis, primò conversos ad fidem Catholicam tantùm, remissis aliis ad Nuntium.

4. Absolvendi, & dispensandi in quacumque simonia, & in reali, dimissis beneficiis, & super fructibus malè perceptis, injuncta aliqua eleemosyna, vel pœnitentia salutari arbitrio dispensantis, & in foro conscientiæ tantùm.

5. Tenendi, & legendi, non tamen aliis concedendi libros Hæreticorum, vel Infidelium, de eorum Religione tractantium, ad effectum eos impugnandi, & alios quomodolibet prohibitos, præterquam Opera Caroli Molinei, Nicolai Machiavelli, ac libros de Astrologia Judiciaria principaliter, aut incidenter, vel aliàs quovis modo de ea tractantes, ita tamen, ut libri ex illis Provinciis non efferantur.

6 Celebrandi Missam quocumque loco decenti, etiam sub dio, sub terra, una hora ante Auroram, & aliam post Meridiem, bis in die, si necessitas cogat, si tamen in prima Missa non sumpserit ablutionem, & super Altari portatili, etiam fracto, aut læso, & sine Sanctorum reliquiis, & præsentibus Hæreticis, aliisque excommunicatis, si aliter celebrari non possit, & non sit periculum sacrilegii, dummodò inserviens Missæ non sit Hæreticus, vel excommunicatus. Hujusmodi autem facultate bis in die celebrandi nullatenus uti liceat, nisi rarissimè, & ex gravissimis, & urgentissimis causis, in quo graviter ejus conscientia oneratur, quod, si ad præsens, aut imposterum, quandocumque aderit Episcopus, aut Vicarius Generalis, aut Capitularis, sive Vicarius Apostolicus, ad cujus Dioecesim, seu administrationem pertineant loca, ubi secundò celebrari contigerit, præfata facultas bis celebrandi nullius prorsùs sit roboris, ac momenti, nisi priùs prædicto Episcopo, aut eo absente, ipsius Vicario Generali, aut respectivè Capitulari, aut Vicario Apostolico fuerit exhibita, ab eoque examinatæ, & approbatæ fuerint in scriptis causæ eâ utendi, nec aliter concessa intelligatur, quàm juxta moderationem ab ipso apponendam, & non aliàs, cujus Episcopi, seu Vicarii conscientia oneratur, ut non nisi ex urgentissimis causis, ut supra dictum est, & ad breve tempus eâ uti permittat. Quam tamen facultatem poterit Episcopus, seu Vicarius, si in Domino visum fuerit expedire, ad aliud breve tempus pluries, & eadem servata forma, prorogare, intra tempus in hac facultate à Sancta Sede concessum, & non ultra. Idipsum autem prorsus servetur ab iis, quibus hæc eadem facultas celebrandi bis in die juxta potestatem inferius apponendam, communicata fuerit, adeo ut nemo ex ipsis, nisi juxta moderationem ab Episcopo, vel ejus Vicario Capitulari,

vel

vel Generali, seu Vicario Apostolico, ut dictum est, singulis apponendam, hujusmodi facultate uti valeat, injuncto eorundem Episcoporum, seu Vicariorum conscientiæ, ut ultra superiùs dicta non omnibus indifferenter, quibus fuerit communicata, sed paucis dumtaxat, iisque maturioris prudentiæ, ac zeli, & qui absolutè necessarii sunt, nec pro quolibet loco, sed ubi gravis necessitas tulerit, & ad breve tempus, ut dictum est, facultatem quoad hoc communicatam, approbent.

7 Dispensandi, & commutandi vota simplicia in alia pia opera, exceptis votis Castitatis, & Religionis.

8 Dispensandi in foro conscientiæ super irregularitate ex delicto occulto proveniente, & non deducto ad forum contentiosum, non tamen ex homicidio voluntario, aut bigamia.

9 Dispensandi cum conversis ad fidem Catholicam in 3. & 4. gradu Consanguinitatis & Affinitatis, simplici & mixto tantùm, quoad præterita matrimonia, & in prædictis casibus prolem susceptam declarandi legitimam.

10 Dispensandi cum eisdem super impedimento publicæ honestatis justitiæ ex sponsalibus proveniente.

11 Dispensandi cum eisdem super impedimento criminis, neutro tamen Conjugum machinante.

12 Dispensandi cum eisdem in impedimentis cognationis spiritualis, præterquam inter levantem, & levatum.

13. Hæ verò Matrimoniales dispensationes, videlicet 9. 10. 11. & 12. non concedantur, nisi de consensu Episcoporum, ubi erunt, & cum clausula, dummodo mulier rapta non fuerit, vel si rapta fuerit, in potestate raptoris non existat, & in dispensatione tenor hujusmodi facultatum inseratur, cum expressione temporis, ad quod fuerint concessæ.

14. Restituendi jus petendi debitum amissum.

15. Concedendi Indulgentiam plenariam in Oratione 40. horarum ter in anno, de consensu Episcoporum, si ibi erunt, indicenda diebus benè visis, contritis, & confessis, & Sacra Communione refectis, si tamen ex concursu populi, & expositione Sanctissimi Sacramenti nulla probabilis suspicio sit sacrilegii ab Hæreticis, aut Magistratum offensum iri.

16. Concedendi Indulgentiam plenariam primò conversis ab Hæresi, atque etiam Fidelibus quibuscumque in articulo mortis, saltem contritis, si confiteri non poterunt.

17 Lucrandi sibi easdem Indulgentias.

18 Singulis secundis feriis, non impeditis Officio 9. lectionum, vel eis impeditis, die immediatè sequenti, celebrando Missam *de Requiem* in quocumque Altari, etiam portatili, liberandi animam secundùm ejus intentionem à Purgatorii pœnis per modum suffragii.

19. Communicandi has facultates in totum, vel in parte Fratribus suæ Missionis, quos Sacra Congregatio de Propaganda Fide destinaverit, & approbaverit, & non aliis, tam pro omnibus locis in ea Missione contentis, quàm pro aliquibus eorum, & ad tempus sibi benè visum, prout magis in Domino expedire judicaverit, necnon easdem, quatenus opus fuerit, revocandi, sive etiam moderandi, tam circa illarum usum, quàm circa loca, & tempus easdem exercendi, ita tamen, ut nec eidem Præfecto, nec ipsorum cuilibet, liceat eisdem ullo pacto uti extra fines suæ Missionis.

20. Et prædictæ facultates gratis, & sine ulla mercede exerceantur, & ad annos N. tantùm concessæ intelligantur.

Feriâ quintâ die N. mens. N. anni N.

In Congregatione Generali S. Romanæ, & Universalis Inquisitionis, habita in Palatio Apostolico apud Sanctum Petrum coram Sanctissimo D. N. D. Benedicto Divina Providentia PP. XIV., ac Eminentissimis, & Reverendissimis Dominis S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christiana contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus à S. Sede Apostolica specialiter deputatis.

SSmus D. N. Papa prædictus P. N. N. Ord. Capucinorum Præfecto Missionum Fratrum ejusdem Ordinis in N. suprascriptas facultates ad N. concessit, cum potestate easdem communicandi.

Autographa in Archivis Provinciarum &c.

N O T A.

Sunt & aliæ Formulæ, sub quibus hujusmodi facultates Provinciis Missionariis à S. Sede olim concessæ fuère, est autem præposita jam ultima, & solita, sub qua expediuntur.

Cumque articulo seu numero 18. privilegium Altaris pro qualibet feria secunda cum conditione celebrandi Missam *de Requiem* concedatur, hæc autem conditio ob festorum duplicium occursum sæpius adimpleri, & ideo Missionarii dicto privilegio gaudere nequeant, facto ad S. Congregationem de Propaganda Fide recursu, facultatis ampliatio petita, & concessa est, ut sequitur:

Emi-

Eminentissimi, ac Reverendissimi Domini.

Cum inter alias facultates ab isthac S. Congregatione S. Officii Missionariis Capucinis concedi solitas, una sit subsequens: Singulis secundis feriis non impeditis Festis novem lectionum, vel eis impeditis, die immediatè sequenti, celebrando Missam de requiem, in quocunque Altari etiam portatili, liberandi Animam secundùm ejus intentionem à Purgatorii pœnis per modum suffragii. *Ipsi autem Missionarii Capucini vel rarò, vel ferè nunquam præfato utendi Privilegio locum habeant, ea de causa, quòd ab occurrenti Sanctorum quamplurium Ordinis sui frequentiâ sæpe sæpius non solùm feria secunda, sed & dies immediatè sequens à Festo duplici sit impedita: imò nec una quidem dies ex integra hebdomadâ frequenter supersit libera. Eapropter Procurator Generalis, ne Missionarii sui Ordinis tanto frustentur Privilegio, tamque uberi purgantes Animæ fraudentur suffragio, EE. VV. humillimè supplicat, quatenus dignentur concedere, quod non obstante continuata etiam per totam hebdomadam occurrentiâ Officii duplicis, ejusmodi privilegio gaudere valeant semel in singulis hebdomadis, celebrando Missam currentem juxta declarationem san. mem. Clementis IX. per suum Breve die* 23. *Septemb. An.* 1669. *Quam Gratiam Deus &c.*

Feria quarta die 2. *Octobris* 1737.

In Congregatione Generali Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis, habita in Conventu S. Mariæ supra Minervam coram Emis, & Rmis DD. S. R. E. Cardinalibus, in tota Republica Christiana contra hæreticam pravitatem Inquisitoribus Generalibus, à Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

Lecto suprascripto Memoriali, Emi, & Rmi DD. Cardinales Inquisitores Generales prædicti dixerunt, concedi posse Oratoribus petitam ampliationem facultatum ad formam Decretorum s. m. Alexandri VII. & Clementis IX., si Sanctissimo placuerit. Et Feria quarta die 16. *ejusdem mensis in solitâ audientia facta per R. P. D. Assessorem S. Officii relatione Sanctissimo Domino Nostro Clementi Divina Providentia PP. XII. Sanctitas Sua benignè annuit, ut supra.*

Paulus Antonius Capellonus Sanctæ Romanæ & Universalis Inquisitionis Notarius.

Ex Provinciis Germaniæ tunc dividendis, vel divisis, non nisi Ministros Provinciales cum uno Custode, alternatim eligendo, Comitia Generalia accedere debere statuit, & in iis novos Conventus sine expressa Sanctæ Sedis licentia per litteras in forma Brevis expedienda construi prohibet.

A tergo: *Dilecto Filio Ministro Generali Ordinis FF. Minorum Capucinorum nuncupatorum.*

CLEMENS PAPA IX.

Dilecte Fili salutem & Apostolicam Benedictionem.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti Filii Fratres Provinciæ N. tui Ordinis Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupatorum, quod in Capitulo Generali dicti Ordinis novissimè in hac alma Urbe celebrato, Definitio Generalis bene perspectam habens Provinciæ prædictæ vastitatem, ob quam uni soli Ministro Provinciali penitus est impossibilis visitatio consueta, vigore Regulæ, & Constitutionum Generalium omnino requisita ad conservandam disciplinam regularem, aliisque causis gravissimis consideratis, censuit eidem Provinciæ subveniendum esse per convenientem divisionem de hujus Sanctæ Sedis Apostolicæ licentiâ faciendam. Quare ipsi exponentes Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportunè providere, &, ut infra, indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur dictos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares Personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ac de tua fide, prudentia, charitate, vigilantia, pietate, ac Religionis zelo plurimùm in Domino confisi, Tibi, ut in actu visitationis memoratæ Provinciæ à Te, benedicente Domino, faciendæ, eandem Provinciam in duas, unam quidem N. N., alteram vero N. N. respectivè nuncupandas, Auctoritate nostra Apostolica dividere, ac utrique Provinciæ hujusmodi Conventus, Domos, & Hospitia Provinciæ sic dividendæ respectivè assignare, cæteraque in præmissis, & circa ea quomodolibet necessaria, & opportuna facere, & exequi liberè possis, & valeas, facultatem, & licentiam auctoritate prædicta, tenore præsentium tribuimus, & impertimur; eâ tamen lege, ut per hujusmodi

di divisionem suffragia in Capitulis Generalibus Ordinis præfati augeri non possint, sed cujusque Provinciæ sic divisæ Ministri Provinciales unâ cum Custode alternatim eligendo in dicto Capitulo intervenire debeant, ita ut tria tantùm vota, nempe duorum Ministrorum Provincialium, & unius Custodis constituant; utque in prædictis Provinciis divisis novi Conventus erigi imposterum nullatenus possint sine expressâ licentia dictæ Sedis per litteras in simili forma Brevis expediendas, quæ derogет hujusmodi prohibitioni, non obstantibus felic. record. Urbani PP. VIII. Prædecessoris nostri litteris die XVIII. Junii MDCXLIII. emanatis, per quas inter alia Provinciarum dicti Ordinis divisio prohibita reperitur, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non Ordinis, ac Provinciæ hujusmodi, etiam juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, eorum tenores præsentibus pro plenè & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice duntaxat specialiter, & expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romæ ad S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die VII. Septemb. MDCLXVII. Pontificatûs nostri Anno primo.

Joan. Gualt. Slusius.

NOTA.

DUO, ut ex anteposito Summario jam liquet, continet hæc Constitutio specialia puncta: Primum est, ut ex duabus Provinciis divisis non nisi tres Patres Capitulum Generale accedant, videlicet duo Ministri Provinciales, cum Custode uno, alternatim ex divisis Provinciis eligendo, & adeo duæ Provinciæ Germaniæ divisæ non nisi tria vota habeant, cum econtra quælibet alia Ordinis Provincia, vel divisa, vel non divisa triplici voto gauderet. Secundum punctum, ut deinceps novi Conventus sine expressa S. Sedis licentia non acceptentur, præscribit.

Porro contra primum punctum Provinciæ Germaniæ, eo & successivo tempore divisæ, videlicet Helvetica, anterioris Austriæ, Coloniensis, Rhenana, Tyrolensis, Bavarica, Bohemiæ & Austriaco-Hungarica diutiùs opportunè, importunè, precibus, ratione, & scriptis clamârunt, per denegatam Custodum dualitatem sibi præjudicari allegantes, tum contra Regulam, quæ electionem Ministri Generalis à Ministris Provincialibus, *& Custodibus* fieri sub præcepto formali juxta Cordubam c.8. q.1. §. *Secundum punctum*. Politium c. 8. *n.* 9. Sancten. Rom. c. 8. §. 3. Crusserf. c 8. *Lect.* 1. & alios S. Regulæ Expositores præscribit; tum contra Constitutionem Urbani VIII. *incip. Salvatoris*, qua Decretum de absoluta Custodum paritate, pro pace, & concordia in universa Capucinorum Religione stabilienda emanatum confirmat; tum contra Constitutiones Ordinis, quæ à qualibet Provincia Ministrum Generalem cum duobus Custodibus ablegari mandant; tum contra SS. Canones, qui enim faciunt unum corpus, non debent diverso jure censeri c. *Tua de decimis c. cognovimus* 12. *q* 2. *& gloss. c. cum omnes de Constit.* ubi Innocentius III. ait: *unum corpus simus in Christo: singuli autem, alter alterius membra, non debent Majores minoribus, aut seniores junioribus invidere, sed omnes, qui in una Ecclesia uni Deo famulantur, pari gaudeant libertate, cum pondus & pondus, mensura & mensura, utrumque abominabile sit apud Deum.* Nec etiam ex eo, quod aliæ Ordinis Provinciæ antiquiores sint, distinctionem privilegii prætendi posse videtur, cum hæc non à senio, sed à merito sumenda sit ad exemplum Evangelici Patrisfamilias, qui juxta Innocentium III. *dicto c. de Const. mercede primos vineæ suæ operarios remuneravit sicut extremos, præbens singulis suum denarium, non respiciens ætatem, sed merita, & laborem.* Cum autem actum sit nihil, surrexêre tandem Augustissimus Imperator Leopoldus, & alii Germaniæ Principes, qui Nationem suam duntaxat tangi, hancque præjudicari advertentes, divisas Germaniæ Provincias, aliarum Nationum Provinciis concesso duorum Custodum jure æquiparari potentiùs institerunt: quorum Litteras hîc subjungere, & operæ pretium, & gratitudinis opera est. Fuit inter eas prima, quæ sequitur, inscripta Emin. Cardinalibus ab Alteriis, Hassiæ, Bonello, Secretario Statûs inscripta.

Leopoldus Divina favente Clementia electus Romanorum Imperator semper Augustus &c.

Reverendissime in Christo Pater; Amice Charissime. Vastitas, & amplitudo Provinciæ Bohemiæ Patrum Capucinorum, quæ se per Regnum Bohemiæ, Archiducatum Austriæ, Regionesque Moraviæ, & Silesiæ extendit, & bis per annum juxta ejusdem Ordinis Constitutiones visitanda, citra manifestam sanitatis jacturam, ac etiam mortis periculum, Ministris Provincialibus evadit impossibilis, coegit P. Jovitam, ejusdem Provinciæ modernum Provincialem pro manutenenda Regulari Observantia, ac Ordinis disciplina, quæ deficientibus consuetis visitationibus facilè labefactantur, has nostras recommendatitias exorare, quatenus per divisionem ejusdem Provinciæ, velut unicum, & congruum remedium incolumitati Provincialium, ac Religiosæ observantiæ indemnitati provideatur.

Cui ob præfatam Nobis aliàs benè perspectam amplitudinem, ac binæ per annum visitationis per pedes instituendæ impossibilitatem easdem perlibenter impertiendas duximus. Scientes igitur Rmæ Paternitatis Vestræ propensum animum, eandem hisce amicè requirimus, quatenus placeat potenti suô suffragiô, & protectione dicti Patris Provincialis intentionem omnibus modis, & locis, præsertim verò apud Suam Sanctitatem ita fovere,

ac

datur, & ad illum pro rei christianæ bono continuandum incitatur. 247.

Eundem Fr. Emericum, ut Augustissimo Imperatori concludendæ pacis consilia suggerat, hortatur. *Innocentius XI.* 248.

Eundem Fr. Emericum Cathedrali Ecclesiæ Viennensi Episcopum præfici, rem quidem arduam, difficultates tamen in obsequium semotas esse, Augustissimo Imperatori Leopoldo renuntiat. *Idem. cum nota.* 248.

Paritatem votorum Provinciæ in Comitiis generalibus concedit, & deinceps in hac nova loca sine recursu ad S. Sedem recipi posse indulget. *Idem.* 251.

Rescripto Pontificio Imago B. Virginis Mariæ sub titulo *Consolatricis Afflictorum*, in Capella Cæsarea conservata, *insignis* declaratur, & coram ea orantibus specialissimæ Indulgentiæ conceduntur. *ibi.*

Pontificio Mandato Litteras Fundationis Capellæ B.M.V. Auxiliatricis Patavii ad literam servari, & abusus à Capitulo Cathedrali inductos coërceri, Episcopo Principi ibidem committitur. *cum nota.* *ibi.*

Celsissimi, ac Reverendissimi Josephi Dominici, Episcopi Passaviensis, zelum, quo jura Fratrum circa administrationem spiritualem Capellæ B. Virginis Mariæ Auxiliatricis contra prætensiones Capituli Cathedralis sacra tecta servari curavit, commendat, & Decretum provisionale desuper editum confirmat. *Benedictus XIII.* 253.

Apostolica Auctoritate Fratribus in expeditione militari contra Turcas cura Animarum in Hospitalibus Hungariæ, inspectio Hospitalium, & infirmorum &c. committuntur, ac nonnulla privilegia conceduntur. *ibi.*

Altare Capellæ, in qua Imperatorum, Principum & Principissarum ex Domo Austriaca &c. sepeliuntur, privilegiat. *Benedictus XIV. cum nota* 254.

Mariæ Theresiæ, Comitissæ de Dietrichstein &c. Conventum Hollobrunnæ ingrediendi, & ad Oratorium privatum accedendi licentiam concedi committit. *Benedictus XIV.* 269.

Assistentibus Orationi 40. horarum in Ecclesia Fratrum Viennæ, & Apostolicam Benedictionem, & Indulgentias plenarias pro die proximæ Communionis largitur. *ibi.*

PROVINCIA STYRIÆ.

Epistola S. Congregationis Episc., & Regul. inchoatam Conventûs Fabricam Tergesti, oppositione factâ non obstante continuari, Episcopo ibi committitur. 271.

Ab emptione Calicis Fratres eximit, & destinatos ad hunc ducentos florenos in subsidium Fabricæ loci de Cormons applicari indulget. *Urbanus VIII.* *ibi.*

Legatum centum scutorum à Novitio Conventui loci Muræponti assignatum, Fratri ejus Germano egestate presso, in sublevamen relinqui ratihabet. *Idem.* 272.

Fundationem Monasterii S. Claræ, loci Goritiæ pro viginti Monialibus approbat, hoc Nuntio Apostolico in Germania existenti subiicit, dotem à Puellis, tum originariis, tum extraneis dandam determinat, privilegia Ordinis ei communicat, & locum pro educandis Puellis in illo erigi indulget. *Innocentius X. cum nota.* *ibi.*

Decreto S. Congregationis Episc., & Regul. erectio nostræ Domûs in loco Varasdini inhibetur. *cum nota.* 275.

Decreto S. Congregationis Episc., & Regul. in causa præcedentiæ Novitios Clericos inter- & Laicos Professos solitum servari jubetur. 276.

Decreto S. Congreg. Episc. & Regul. in lite de jure sedendi in Ecclesia Collegiata Civitatis Fluminis, RR. PP. Reformatos, & Fratres nostros promiscuè sedere statuitur. *ibi.*

Decreto S. Congreg. Concilii Controversiam de cadavere Fr. Joannis Antonii à Luca, Provinciæ Tusciæ Missionarii, extra Monasterium defuncti, amicabiliter componi, Ordinario committitur. *cum nota.* 277.

PROVINCIA COLONIENSIS.

bus

PROVINCIA RHENANA.

CUSTODIA POLONIÆ.

PRO-

PROTESTATIO
COMPILATORIS, SEU AUCTORIS.

DUM in Virorum Illuſtrium elogiis, per hunc Quartum Bullarii Tomum ſparſis, nònnulla, quæ iis Sanctitatem attribuere videntur, attingo, geſta, quæ miracula redolent, de iis recenſeo, aliaque, forſan in aſpectu dura ad credendum hiſtoriæ immiſceo, illa ceu ab Apoſtolica Sede examinata, & approbata à Lectore teneri nolo, ſed econtra Apoſtolico Sac. Congregationis Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis Decreto die 13. Martii 1625. edito, & 5. Julii 1634. confirmato integrè inſiſtendo, juxta Declarationem ejuſdem Decreti à SS. D. N. Urbano PP. VIII. die 5. Junii 1631. factam declaro, quod, quidquid Sanctitatis, aut cultûs hujuſmodi Viris attribuitur, id non ſuper eorum Perſonas, ſed mores & opinionem duntaxat cadat, & facta immixta totum auctoritatis pondus à chartis hiſtoricis, aut Auctoribus & libris, è quibus illa hauſta & deprompta ſunt, mutuent: eapropter omnia in eo ſenſu & fide, quam ſecluſa mea narratione obtinerent, eâ, quâ par eſt erga Sanctam Sedem, reverentia & obedientia relinqui, accipi, & teneri cupio. Et ita profiteor & proteſtor.

ANIMADVERSIO.

TOmum hunc quartum Apoſtolica Germanicarum Provinciarum diplomata continere, nemo miretur, nec id vel ex animo incurio, vel ſiniſtro actum eſſe cenſeat: ordo quidem & antiquitatis jus in illo Gallicæ Nationis Monumenta extendi exegiſſent, cum ad hanc Fratres noſtros jam anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo tertio ablegatos, & Lutetiæ Pariſiorum, ac Lugduni prima Religionis noſtræ Domicilia anno milleſimo quingen-

genteſimo ſeptuageſimo quinto erecta fuiſſe, noſtri referant Annales dum econtra nonniſi poſt annum milleſimum quingenteſimum octuageſimum Religionem noſtram ad Provincias Germaniæ transfuſam fuiſſe ex iiſdem edocemur Annalibus ; poſtquam autem jam ab annis ira Dei ita implevit mundum , ut bello , epidemica lue, aliiſque connexis malis confuſa temporum calamitas viis , per quas deficientia Documenta ê Gallia mihi mitti debebant, & libertatem & ſecuritatem ademerit , ordinem inverti neceſſum, &, ne vel opus prodiret in lucem imperfectum, vel ego diutiore otio torpeſcerem, accedente aliorum, quorum intererat, aſſenſu, concluſum fuit , ut parata jam Germaniæ Diplomata prælo ſubjicerentur, antiquitatis vel præcedentiæ jure , quod Gallicis debetur Provinciis , reſervato, & vigore hujuſce animadverſionis & excuſationis, illæſo perſiſtente.

ac causam eò dirigere, ut memorata Provincia ob rationes plusquam prægnantes juxta votum suum in duas dividi, ac ex una parte Bohemia, Moravia, & Silesia, ex altera verò Austria cum duobus Moraviæ Conventibus, videlicet Znoymensi, & Nicolspurgensi, Austriæ aggregandis, pro Provincia constitui, exindeque visitationes annuæ bis juxta Ordinis Constitutiones peragi, ac Monastica ejusdem Religionis disciplina commodiùs observari possit.

Siquidem autem Clemens IX. per Breve Apostolicum super divisione Provinciarum Tyrolensis, Helveticæ, & Coloniensis editum statuerit, ut suffragia per ejusmodi divisionem in Capitulis Generalibus præfati Ordinis non augerentur, sed cujusque Provinciæ sic divisæ Ministri Provinciales cum uno tantùm Custode, alternatim eligendo, in dicto Capitulo intervenirent, atque adeo duæ Provinciæ ab invicem divisæ, insimul non nisi tria vota, nempe duorum Ministrorum Provincialium, & unius Custodis constituerent; quarum tamen cuilibet, juxta Urbani VIII. dispositionem, & ejusdem Ordinis Statuta, singillatim tria vota, videlicet Ministri Provincialis, & duorum Custodum competerent; pertimescit Provincia Bohemiæ idipsum sibi pariter in sui divisione fore præstituendum: obinde nostram quoque interpositionem humiliter imploravit, ut in Decreto ad effectum faciendæ divisionis expediendo, ejusmodi clausula paritati Custodum, ac suffragiorum præjudiciaria, non inseratur, sed Urbana Constitutio super hac re edita in suo robore conservetur.

Præter supradictam Provinciam, etiam Ministri Provinciales Germaniæ Provinciarum, tam in nostris hæreditariis, quàm Romani Imperii ditionibus existentium, pariter obsecrârunt nostris recommendatitiis eò cooperari, ut præmemorata clausula divisis eorundem Provinciis nuper jam imposita (vigore cujus usitatô, & singulis aliis Provinciis concessô Custodum, ac suffragiorum numerô orbantur, & insimul sumptæ pro imminenti Capitulo Generali novem Custodibus, ac totidem suffragiis, cum magno suarum Provinciarum dispendiô destituuntur) ab illis denuo removeatur, & ad terminos Brevis Apostolici Urbani VIII. Anno 1643. hac super re editi reducatur, vel aliô opportunô remediô pro conservanda inter Nationes, & Provincias pace, charitate, & concordia provideatur.

Cum itaque, quod ab eisdem petitur, justitiæ conforme sit, zelô Religionis, & causæ æquitate ducti, eorum precibus benignè annuentes, R̃mam Paternitatem Vestram hisce quoque præsentibus gratiosè interpellamus, velit suo efficaci Patrociniô sese etiam pro viribus interponere, quatenus Provinciæ Bohemiæ in sui divisione ejusmodi clausula Custodum, ac suffragiorum derogatoria non imponatur: imposita verò Provinciis nuper in Germania divisis, ab eis iterum removeatur, & ad terminos juris antiqui, seu dispositionis Urbani VIII. reducatur, vel alio opportuno remedio, quô Pax, Charitas, & concordia inter Nationes, & Provincias ejusdem Ordinis conservetur, providè succurratur; cum æquum non sit, quod solis Germaniæ Provinciis consuetus Custodum suffragiorumque numerus, qui omnibus aliis aliarum Nationum Provinciis communis est, atque ex Regula Seraphica, SS. Canonibus, Decretis Pontificiis, ac Ordinis Constitutionibus, his æquè quàm aliis debetur, sine culpa, ac demerito subtrahatur.

Præterea, cum in præmemorato Clementis IX. Decreto alia quoque clausula, qua supradictis, & nuper divisis Provinciis, novorum Conventuum erectio sine Sedis Apostolicæ licentia in forma Brevis obtinenda interdicitur, irrepserit, quæ neque aliis ejusdem Religionis Provinciis, neque reliquis Mendicantium Ordinibus fuit præscripta, eaque insuper in his Germaniæ regionibus, passim hæresi infectis, non tam incremento, & dilatationi Capucinorum Ordinis, quàm conversioni hæreticorum, ac Propagandæ Fidei plurimùm officiat: supplicârunt Nobis pariter supradicti Provinciales, ut nostra interventione satagamus, eam in Brevi Apostolico pro divisione Provinciæ Bohemiæ expediendo non introponi: & pro divisis nuper Provinciis jam intropositam iterum removeri, & ad terminos Constitutionum Clementis VIII., Gregorii XV., & Urbani VIII. reduci.

Nos igitur considerantes, quantum PP. Capucini fructum Animarum in Germania fecerint, quot millia hæreticorum ad ovile Domini reduxerint, quamque impensè hactenus suam operam pro Fidei Catholicæ dilatatione elocârint, & etiamnum elocant, illorum preces nequaquam irritas esse cupientes, Paternitatis Vestræ Reverendissimæ validam quoque Authoritatem evocamus, quatenus lubeat omnem conatum impendere, ut sæpe allegata clausula Provinciæ Bohemiæ (cui amplus in nostris quoque hæreditariis ditionibus, ac Regno Hungariæ dilatandæ Fidei Catholicæ, suique Ordinis campus patescit:) velut remora, & impedimentum conversionis aberrantium animarum in Decreto divisionis non apponatur: apposita verò pro aliis nuper divisis Provinciis ad supradictos terminos Clementis VIII., Gregorii XV., & Urbani VIII. reducatur: atque ejusmodi novum onus, quod reliquis dicti Ordinis Provinciis, vel aliis Mendicantibus non impositum esse dignoscitur, illis quoque pariter non imponatur. Postremò, cum præmemoratarum Provinciarum Patres pro Fide Catholica, pro salute animarum, pro conversione hæreticorum plurimos labores exantlent, ac indefesso studio vineam Domini in Germania excolant, Nosque eos obinde tenero affectu complectamur, scientes etiam illos ipsissimet Hæreticis ob Apostolicam vivendi rationem, mundi contemptum, ac Evangelicam Paupertatem in veneratione esse, Reverendissimæ Paternitati Vestræ illos quoque non solùm pro supra recensitis, sed etiam aliis in Capitulo Generali occurrentibus justis petitionibus impensè recommendamus, facturæ in his opus Deo imprimis gratum, Ecclesiæ Dei proficuum, ac Ordini Capucinorum acceptissimum: Eidem de reliquo prægnantem nostrum affectum confirmantes. Datæ Viennæ die 14. Septembris 1670.

Leopoldus.

Abele.

Alia Epistola Cæsarea ad Sacram Congregationem supra Regulares, seu ad Cardinalem Præfectum.

L E O P O L D U S &c.

Reverendissime in Christo Pater. Provincia Bohemiæ Fratrum Minorum Sancti Francisci Capucinorum nuncupatorum, quæ se per nostras Ditiones hæreditarias Regni Bohemiæ, Archi-Ducatûs Austriæ, Ducatûs

Silesiæ, & Marchionatûs Moraviæ extendit, tantam in se complectitur amplitudinem, ut bina per annum visitatio juxta ejusdem Ordinis Statuta peragenda Ministris Provincialibus absque manifesta sanitatis jactura, ipsiusque mortis accelerandæ periculo fere impossibilis accidat: Solitæ autem visitationes, à quibus Regularis observantiæ salus plurimùm dependet, sine detrimento disciplinæ Monasticæ intermitti non possint. Ea de causa P. Jovita, dictæ Provinciæ Minister Provincialis, pro impetranda à Sede Apostolica ejusdem Provinciæ divisione, velut unico præmemoratis incommodis obviandi remedio, nostras ad eum finem recommendatitias exoravit. Præterea quoque unà cùm aliis Nationis Teutonicæ Ministris Provincialibus ejusdem Ordinis perhumiliter institit, quatenus occasione partitionis Provinciarum Germaniæ, aut jam divisarum, aut imposterum dividendarum, eis consueta in Capitulis generalibus suffragia, & Custodes ad comitia generalia destinandi non aufferantur, neque communis & usitata omnibus aliis Mendicantium Ordinibus impertita licentia erigendi novos Conventus arctioribus clausulis & conditionibus constringatur: quemadmodum defacto Provinciæ, Tyrolensis, Helvetica & Coloniensis cum aliis ab eisdem nuper divisis super ejusmodi clausulas sese plurimùm gravatas sentiunt.

Nos igitur justam eorum postulationem attendentes, & imprimis optimè perspectam habentes vastitatem Provinciæ Bohemiæ præfatorum Fratrum Capucinorum, quam bis per annum pedes visitare palàm conspicitur, vires humanas superare: præterea quoque considerantes, quod æquitatis ratio non admittat, ut membra ejusdem Corporis seu Ordinis Seraphici æqualia, quoad numerum Custodum ac suffragiorum ad Capitula generalia destinandorum inæqualiter tractentur: aut Provinciæ Nationis Germanicæ omnibus aliis aliarum Nationum Provinciis, quibus hæ meritis & virtutibus nulli secundæ sunt, inferiores habeantur, onerenturque talibus clausulis & conditionibus, quibus aliæ minimè oneratæ cognoscuntur: quarum & illa, quæ novorum erectionem Conventuum interdicit, propagationi fidei Catholicæ non parum obesse perspicitur.

Zelâ Religionis, quô Capucinorum Ordinem tenerè complectimur, & causæ, quæ præfertur, æquitate ducti, Reverendissimam Pateritatem Vestram unà cum Sac. Congregatione supra Regulares, ad quam, vel saltem eorum aliquos præmemoratam causam deferendam credimus, præsentibus gratiosè requirimus; complaceat sibi potenti sua interpositione eò efficaciter cooperari, quatenus Provincia Bohemiæ dictorum Fratrum Capucinorum pro conservanda Ministrorum Provincialium incolumitate, ac manutenenda commodiùs per crebras visitationes Regulari observantia in duas dividi; eaque post divisionem, necnon & aliæ per Germaniam nuper divisæ quoad Custodum, suffragiorumque numerum aliis ejusdem Ordinis Provinciis coæquari; ac circa novorum Conventuum erectionem sine restrictione in secunda clausula comprehensa, paribus tam hujus, quàm aliorum Mendicantium Ordinibus concessis privilegiis perfrui jubeantur ac permittantur.

Præterea, cum Capucinorum Religio in his vastis Germaniæ Regionibus pro Ecclesia Dei, animarum lucro, ac hæreticorum, aliarumque aberrantium ovium reductione plurimum laboraverit, atque etiamnum laboret, cujus fructuosam operam tam Nos, quàm Antecessores Nostri, cum uberi fertilitate, & multorum millium conversione ad orthodoxam fidem feliciter experti sumus: ac proinde Apostolicis favoribus omnino dignam existimamus, eam Reverendissimæ Paternitati Vestræ, Sacræque Congregationi non solùm in supradictis, sed etiam aliis justis postulationibus, durante Capitulo Generali occurrentibus impensè pariter ac peramanter recommendamus. Eidem de reliquo, ac dictæ Sacræ Congregationi prægnantem affectum nostrum confirmantes &c. Datæ Viennæ die 17. Februarii Anno 1671.

Leopoldus.

Christophorus Abele.

Epistola alia ad Reverendissimum Patrem Generalem, totumque Generale Definitorium Capucinorum.

LEOPOLDUS &c.

Reverende Pater. Amplitudo Provinciæ Bohemiæ, quæ se ad trecentum milliaria Germanica in una visitatione percurrenda extendit, & impossibilitas binæ visitationis juxta Ordinis Constitutiones unius anni curriculo peragendæ, induxit Patrem Provincialem cum Patribus ejusdem Provinciæ nostras ad vestram Paternitatem, totumque Definitorium Generale exorare promotionales, quatenus per divisionem dictæ Provinciæ, incolumitati Ministrorum Provincialium, qui, ut experientia docet, sub tantæ vastitatis mole succumbunt, simul ac observantiæ regulari, quæ defectu consuetarum visitationum plurimùm periclitatur, providè consulatur, & Monastica disciplina in suo vigore conservetur.

Rogat autem suæ Provinciæ in divisione non imponi Clausulam illam à Clemente IX. aliis Provinciis nuper in Germania divisis impositam, quâ usitatus aliis aliarum Nationum Provinciis Custodum ac Suffragiorum numerus illis subtrahitur. Quem quoque PP. Provinciales in nostris hæreditariis, ac Romani Imperii ditionibus existentes dictarum Provinciarum divisarum sibi denuo restitui, & quoad paritatem votorum juxta Urbani VIII. dispositionem, & ejusdem Ordinis approbatas à Sede Apostolica Constitutiones, sese aliis coæquari efflagitant.

Insuper etiam obsecrant, alteram in præmemorati Clementis IX. Decreto pro divisione dictarum Provinciarum edito insertam clausulam, erectionis novorum Conventuum sine Sedis Apostolicæ licentia inhibitoriam, iterum aboleri, & ad terminos juris antiqui reduci, ac Provinciis in futurum dividendis amplius non apponi.

Nos itaque zelo Religionis & amore justitiæ ducti, piis eorundem precibus benignè annuentes, optimèque perspectam habentes amplitudinem & vastitatem Provinciæ Bohemiæ, præsentibus Paternitatem vestram zelanter requirimus, quatenus velit unà cum Definitorio Generali desideratam dictæ Provinciæ divisionem, pro facienda commodiùs bina per annum visitatione, ac manutenenda regulari observantia apprimè necessariam efficaciter promovere, atque eò singulariter cooperari, ut supradicta clausula Custodum, Suffragiorumque

rumque paritati derogatoria, Provinciæ Bohemiæ in sui divisione nullatenus imponatur: atque ab aliis jam divisis Provinciis etiam denuo removeatur, cùm æquitatis ratio non admittat, ut membra ejusdem Corporis ac Religionis, quibus communis usus in Choro & Capitulo, atque eadem est vivendi ratio, diverso jure censeantur. Potissimùm, cùm dictis Provinciis tam divisis, quàm dividendis ex regula Seraphica, Sacris Canonibus, Decretis Pontificiis, ac ejusdem Ordinis Constitutionibus æquè, quàm aliis aliarum Nationum Provinciis pares Custodes, pariaque suffragia in Capitulis Generalibus debeantur: quas proinde dictis juribus sine culpa destituere, est pœnam infligere, aliis Nationibus Nationem Teutonicam inferiorem facere, Provincias præmemoratas necessariis Ablegatis & Custodibus, qui in Comitiis Generalibus earundem necessitates ac negotia curent, & proponant, destituere; ac dissensioni, diffidentiæ, & inquietitudini inter Provincias & Nationes ejusdem Ordinis fomitem suppeditare.

Confidimus etiam Paternitatem Vestram Reverendam cum Patribus Definitoribus Generalibus omnem operam adhibituram, ut & altera Clausula erectionis novorum Conventuum inhibitoria in Divisionis Decreto pro Provincia Bohemiæ expediendo non inseratur: ac inserta pro aliis jam divisis denuo removeatur. Cùm enim in his vastis Germaniæ Regionibus, variis hæresibus infectis, Operarii in vinea Domini laborantes sint necessarii, hæretici autem singulariter Capucinos suscipiant, & ob vitæ exemplaritatem, mundi contemptum, Evangelicam Paupertatem, ac omnium rerum temporalium despicientiam in eos præ reliquis afficiantur, Nosque obinde eorundem operâ in aliquibus nostris ditionibus, in quibus, Nobis invitis, adhuc hæreses tollerandæ sunt, pro conversione aberrantium Animarum perlibenter utamur, non convenit, dilatationem & erectionem Conventuum eorundem, in remoram & detrimentum Fidei propagandæ & conversionis hæreticorum, ejusmodi clausulâ restringere; maximè cùm illa aliis ejusdem Ordinis Provinciis, quibus tam amplus inter Acatholicos fructificandi campus non patescit, minimè feratur imposita.

Cæterùm, cùm supradictas Provincias, quas in agro Dominico multum fructum afferre, pro conversione hæreticorum, Fideique Catholicæ propagatione sedulò laborare, ac pro Ecclesia Dei difficilia quæque alacri animo aggredi cognoscimus, tenero complectamur affectu, eas non in supradictis tantùm, sed etiam aliis æquis petitionibus in Capitulo Generali occurrentibus Paternitati Vestræ, totique Definitorio Generali impensè recommendatas volumus, cupimusque dictarum Provinciarum Patres aliquos post Generale Capitulum tam diu Romæ vestrâ licentia sustineri, donec in supra allegatis, aliisque accidentibus justis postulationibus desideratum sortiantur effectum: permanentes nostro favore Cæsareo Paternitati Vestræ, totique Definitorio, ac Seraphico Ordini plurimùm affecti. Datæ in Civitate nostra Viennensi die 17. *Februarii Anno* 1671.

Leopoldus.

Christophorus Abele.

Commendatum sibi de paritate votorum articulum maturiùs examinari debere, Augustissimo Imperatori Leopoldo significat.

A tergo: *Charissimo in Christo Filio nostro, Leopoldo, Hungariæ & Bohemiæ Regi illustri, in Romanorum Imperatorem electo.*

CLEMENS PAPA X.

Charissime in Christo Fili noster salutem, & Apostolicam Benedictionem.

PRæcipua animi nostri cum voluptate perlegimus literas Majestatis Tuæ, Patribus Capucinis accuratè suffragantes, Religiosos enim sensus tuos, eximiumque, præsertim divini cultûs amplificandi, zelum perpendentes, præclara ex iis solidi gaudii sumpsimus argumenta. Quamvis igitur statutum Nobis fuisset divisionem Provinciæ Bohemiæ ad visitationem à Generali Ordinis peragendam differre, palam tamen facturi, quanti apud Nos sint sedula officia tua, facultatem eidem in præsentia impertiri decrevimus, ad opus, per idoneum Administrum quamprimum conficiendum. Non idem autem sequi consilium possumus in stabilienda Custodum, ac suffagiorum paritate, seu in Provincia Bohemica de proximo dividenda, sive in Provinciis Teutonicis jampridiem divisis, res enim peculiari indiget animadversione, nuperâ scilicet fel. rec. Prædecessoris nostri Constitutione id à Nobis prorsus exigente. Cæterùm, ne aliquod fortasse prædictus Capucinornm Ordo, ipsaque Fides Orthodoxa, egregiis christianarum virtutum exemplis ab iisdem continenter propagata, detrimentum patiatur à decreto, Conventuum erectionem retardante, eorumdem eapropter Generali, subjectas sibi Provincias visitaturo, liberum, Nobis concedentibus, fuerit, ubi sic ad promovendam Dei gloriam opportunum duxerit, nova istis in regionibus adversus hæresim sui Ordinis excitare propugnacula, sacrorumque jurium extensioni pro re nata consulere. Ut piis ipsius conatibus pro ingenita sibi Religione præstò esse continenter velit Majestas Tua, enixè cupimus, cui Apostolicam Benedictionem, Pontificiæ benevolentiæ pignus, interim amantissimè impertimur.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, Die prima Augusti MDCLXXI. Pontificatûs nostri Anno secundo.

Marius Spinula secretarius.

Autog. in Secret. Brev. ad Principes *Reg. mens. & an. præd. fol.* 56.

NOTA.

Litteras has Pontificias comitabantur aliæ, & quidem prima fuit illa Cardinalis Alterii, sub hoc tenore:

Sacra Regalis Cæsarea Majestas.

Sicut avitâ & propriâ Majestatis Vestræ pietate dignum est patrocinium, quo ipsa Religiosissimum Ordinem Capucinorum tuetur, & fovet, ita meæ in Majestatem Vestram devotæ observantiæ gratissimum accidit offerri occasiones, quibus in eorumdem Capucinorum utilitatem, cum quâ animarum, & Catholicæ Religionis utilitas haud dubiè conjuncta est, exercere se possit. Non fuit autem mihi valde laborandum apud Suam Sanctitatem in negotiis, quæ nuper Majestas Sua commendavit, cum ipsa satis per se propendeat ad gratificandum Majestati Vestræ, in iis præsertim rebus, in quibus Dei gloria, & ab ea nunquam sejuncta Cæsareæ Ditionis causa agitur. Itaque, quamvis Sanctitas Sua jam statuisset injungere Patri Capucinorum Generali divisionem Provinciæ Bohemicæ, ubi eam inviseret, ne res diutius differatur, mandavit eidem Patri, ut alicui sui Ordinis, seu præfatæ Religionis, & prudentiæ Viro, negotium conficiendum committat. Circa paritatem suffragiorum in Provinciis jam divisis, & in aliis dividendis, cum agatur de derogando Constitutionibus Urbani VIII. & Clementis IX. visum fuit Sanctitati Suæ, accuratiore examine rem indigere.

Quod verò pertinet ad nova Cœnobia erigenda, mandavit pariter Sanctitas Sua eidem Generali, ut per occasionem visitandarum Provinciarum hac super re opportunè provideat, sicut & animarum saluti expedire, & Majestatis Vestræ desiderio gratum fore cognoverit. Pro certo habeat Majestas Vestra, nil mihi antiquius unquam fore opportunitatibus ipsi inserviendi, cujus manus interim humillimè deosculor, ac felicia omnia cum diuturna incolumitate, rei Christianæ securitati tam necessaria, ex animo auguror.

Majestatis Vestræ.

Romæ XXV. Julii MDCLXXI.

Humillimus, Addictissimus, & Obligatissimus Ser.

Cardinalis Alterius.

Alia autem, & sequens fuit Epistola Cardinalis Borromæi ad eundem Augustissimum data:

Sacra Regalis Cæsarea Majestas.

Ex iis, quæ in responsoriali Suæ Sanctitatis Brevi fusiùs continetur, facillimè intelliget Vestra Cæsarea Majestas, quàm paterno, & proclivi erga sua desideria feratur studio Sanctitas Sua, quæ Majestatis Vestræ Cæsareæ singulari zelo, & pietate permota, Bohemicæ Capucinorum Provinciæ assentietur divisioni, novis in Germania exstruendis Conventibus per Patrem ejusdem Seraphici Ordinis Generalem provideri curabit, ac maturiori, quomodo votorum in jam divisis, atque in posterum dividendis Provinciis paritati sit consulendum, sedulitate perpendet. Ultranea Suæ Sanctitatis erga vestram Cæsaream Majestatem propensio id mihi abstulit meriti, quod præfata urgendo negotia lucrum voluissem, liceebitque mihi propterea nova Cæsareæ Majestatis Vestræ in futurum jussa præstolari, quò solidiore obsequio mea firmetur ergo Cæsaream Majestatem Vestram observantia, cujus manus humillimè deosculor.

Cæsareæ Majestatis Vestræ

Romæ I. Augusti MDCLXXI.

Humillimus, Addictissimus, & Obligatissimus Ser.

Fridericus Cardinalis Borromæus.

Eo-

Eodem argumento.

A tergo. *Venerabili Fratri, Maximiliano Henrico, Archiepiscopo Coloniensi*, *S.R.I. Principi Electori*.

CLEMENS PAPA X.

Venerabilis Frater salutem & Apostolicam Benedictionem.

PRæclara laudum testimonia, quæ de Fratribus Capucinis, eximiè istic in Vinea Domini laborantibus, disertis ad Nos dedit litteris Fraternitas Tua, novas erga eosdem paternæ charitati nostræ faces addiderunt, rebus autem ipsis, quoties facultas aderit, Pontificii amoris incrementum testatum iisdem profectò facere non omittemus, enixis ita ad ipsorum vota juvanda precibus tuis ex animo responsuri. Remoratur tamen in præsentia propensionem hanc nostram, quin expetitam à divisis nuper Provinciis suffragiorum paritatem statuamus, accurata emanati à fel. record. Decessore nostro in contrarium Decreti habenda à Nobis omnino ratio, rem nihilominus suis momentis pensabimus, suffragationi Tuæ non parum tributuri. Ut prædictos Capucinos, Ordinemque universum, divini cultûs ad incrementum in Ecclesia Catholica adeo strenuè militantem, continenti patrocinio foveas, â perspecta Fraternitatis Tuæ pietate prorsus exigimus, cui Apostolicam Benedictionem ex omni cordis nostri sensu interim impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die prima Augusti MDCLXXI. Pontificatus nostri Anno secundo.

Marius Spinula Secret.

Autog. in Secret. Brevium ad Principes *Reg. mens. & anni præd. fol.* 58.

Eodem argumento.

A tergo: *Venerabili Fratri, Joanni Philippo Archiepiscopo Moguntino*, *S. R. I. Principi Electori*.

CLEMENS PAPA X.

Venerabilis Frater salutem & Apostolicam Benedictionem.

CApucinorum Religionem, ob eximios ab eadem procurandæ animarum salutis continenter impensos labores, præcipua in Domino charitate prosequimur, ejusdemque rationes, divini cultûs ad amplificationem unicè spectantes, Nobis admodum cordi sunt. Perlibenter quocirca excepimus preces Fraternitatis Tuæ, quibus Provinciis Rhenanæ, ac Bavaricæ ex nupera fel. rec. Decessoris nostri concessione divisis, nec non etiam, & inposterum dividendis, suffragiorum paritatem in Capitulis Generalibus humillimè exposcis: tanti tamen facimus ejusdem Decessoris nostri Decreta, ut in hac re absque accurata consideratione nihil in contrarium decernendum censeamus. Votis autem tuis, in quantum possumus, indulturi, ne ex retardata novorum Conventuum erectione aliquod fortasse prædicta Religio, ipsaque Fides Orthodoxa detrimentum patiatur, ejusdem Religionis Generali subjectas sibi Provincias visitaturo facultatem impertiemur, ubi sic ad divinam gloriam propagandam opportunum duxerit, novas illis in Regionibus absque peculiari Pontificio Diplomate sui Ordinis radices figendi; uberes enim ab iis, Deo incrementum dante, progignendos esse Populorum istorum ad salutem fructus omnino confidimus. Ut piis prædicti Ordinis conatibus validam usque præstare velit opem Fraternitas Tua, ex animo cupimus, cui paratam ad ulteriora quoque paterni amoris documenta voluntatem nostram pollicentes, peramanter interim benedicimus.

Datum Romæ *ut supra.*

Marius Spinula Secret.

Autog. in Secret. Brevium ad Principes *regesto mens. & anni præd. fol.* 59.

Eodem argumento.

A tergo: *Dilecto Filio, Nobili Viro, Ferdinando Mariæ*, *Duci Bavariæ, S. R. I. Principi Electori*.

CLEMENS PAPA X.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

SEdula officia, quibus Nobilitas Tua Fratribus Capucinis Bavaricæ, ac Tyrolensis Provinciæ suffragatur, illius indices pietatis sunt, quæ præcipuè inter decora, quibus insigniris, jure sibi optimo vindicat principatum. Gratificari quocirca Nobis ipsis reputabimus, precibus ubi dabitur tuis indulgere. Hujusce tamen erga Te propensionis nostræ

ductum

ductum ſequi non poſſumus in præſentia, Cuſtodum, ſuffragiorumque paritatem in diviſis Provinciis ſtabiliendo. Cum enim huic conſilio è directo adverſetur nuperum fel. rec. Deceſſoris noſtri Decretum, accurato res examine penſanda Nobis profectò fuerit.

Conſulturi verò præjudiciis, quæ Fidei Orthodoxæ propagationi evenire fortaſſe poſſent ex retardata novorum Conventuum erectione, tuis annuentes votis, prædictorum Capucinorum Generali, ſubjectas ſibi Provincias viſitaturo, facultatem impartiemur, quoties id divino cultui amplificando opportunum duxerit, novas iſtis in Regionibus ſui Ordinis ſtationes erigendi, quas ſcilicet Catholicæ Religionis incremento admodùm profuturas, eximia in hunc ſcopum Religionis univerſæ ſtudia, Nobis prorſus pollicentur.

Optatis autem inſuper tuis de non adjungendis Provinciæ Tyrolenſis Conventibus, eidem Generali, ſeu alii cuilibet Commiſſario in Germaniam profecturo, expreſsè injungemus, ut in hac re, quantùm fieri poterit, Nobilitati Tuæ obtemperare curet. Ut prædictam FF. Capucinorum Religionem continenti patrocinio foveas, ex animo interim cupimus, Tibi, Dilecte Fili, Apoſtolicam Benedictionem ex omni cordis noſtri ſenſu impertientes.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, Die 1. Auguſti MDCLXXI. Pontificatûs noſtri Anno ſecundo.

Marius Spinula Secret.

Autograph. in Secret. Brev. ad Principes *regeſto menſ. & anni præd. fol.* 55.

Eodem argumento.

A tergo: *Dilectæ Filiæ in Chriſto, Nobili Mulieri, Adelaidi, Duciſſæ Bavariæ, Ferdinandi Mariæ Ducis Bavariæ, & S. R. I. Principis Electoris Conjugi.*

CLEMENS PAPA X.

Dilecta in Chriſto Filia, Nobilis Mulier, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

PONtificiæ Charitatis ſolatia ſunt accuratæ commendationes Nobilitatis Tuæ, rationibus Patrum Capucinorum Bavariæ, nec non Tyrolenſis Provinciæ ſuffragantes, in iis enim præclaris expreſſa votis illius elucet præſtantia pietatis, quæ divini cultûs in amplificationem ſedulò incumbenti voluntatem Tibi noſtram apprimè conciliat. Huic autem, quantùm cum Domino poſſumus, reſpondere exoptantes, diligentiori reſervantes examini Cuſtodum ſuffragiorumque paritatem à prædictis Patribus in diviſis Provinciis, nec non in dividendis expetitam (nupero ſcilicet fel. rec. Deceſſoris noſtri in contrarium Decreto id à Nobis prorſus exigente) neceſſariam in præſentia eorumdem Generali, ſubjectas ſibi Provincias viſitaturo, facultatem impertiemur, ad novos ſui Ordinis Conventus, ubi ſic ad orthodoxæ fidei propagationem opportunum duxerit, abſque alio Apoſtolico Diplomate iſtis in Regionibus erigendos; Te enim adjuvante uberrimam ad Catholicæ Religionis incrementum ab eximiis tantorum in Vinea Domini Operariorum laboribus omnino Nobis meſſem pollicemur. Tuis inſuper votis de non adjungendis Provinciæ Tyrolenſis Conventibus, in Bavariæ Provincia exiſtentibus, indulturi, prædicti Ordinis Generali, ſeu Commiſſario iſthuc profecturo mandamus, ut in hoc negotio, quò maximè potuerit, Nobilitati Tuæ morem gerere ſtudeant, cui propitium interea, faventemque bonorum omnium Auctorem Deum precamur, atque Apoſtolicam Benedictionem ex omni cordis noſtri ſenſu impertimur.

Datum Romæ *ut ſupra*.

Marius Spinula Secret.

Autog. ubi ſupra fol. 59.

Ad novas inſtantias, eaſdem circa paritatem votorum difficultates ſubſiſtere, Auguſtiſſimo Imperatori Leopoldo reſcribit.

A tergo: *Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Leopoldo, Hungariæ & Bohemiæ Regi Illuſtri, in Romanorum Imperatorem electo.*

CLEMENS PAPA X.

Chariſſime in Chriſto Fili noſter ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

GAviſi non parum ſumus ex litteris Majeſtatis Tuæ die ſexta Junii datis intelligere, diviſionem Provinciæ Bohemicæ, juxta facultatem, à Nobis Miniſtro Generali Fratrum Capucinorum impertitam, in opus redactam fuiſſe; piorum enim optatorum tuorum effectio, propenſiſſimæ erga te Charitatis Noſtræ

stræ votum est. Quod verò ad paritatem suffragiorum in Provinciis divisis attinet; cum res peculiari indigeat examine, suis negotium momentis perpendi mandabimus, id profectò decreturi, quod divinæ gloriæ, ipsiusque Ordinis incremento magis conducere videbitur. Cum autem idem quoque sit scopus Majestatis Tuæ, non dubitamus, quin capiendum à Nobis consilium omnino Tibi gratum sit futurum. Tibique interim, Charissime in Christo Fili noster, amantissimè benedicimus.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, Die XXVIII. Julii MDCLXXIII. Pontificatus nostri Anno quarto.

Marius Spinula Secret.

Autograph. in Arch. Vaticano Secret. Regesto 31. *Brevium* ad Principes *fol.* 101.

Circa eandem paritatem Cæsareæ Majestatis officiis se annuere non posse, clariùs significat.

A tergo: *Charissimo in Christo Filio Nostro, Leopoldo, Hungariæ & Bohemiæ Regi Illustri, in Romanorum Imperatorem electo.*

CLEMENS PAPA X.

Charissime in Christo Fili Noster salutem, & Apostolicam Benedictionem.

GRave enimverò Nobis est optatis Majestatis Tuæ refragari; eâ nimirum Te charitate complectimur, ut vim profectò patiamur, ubi Tibi non indulgemus. Hujusmodi autem molestiam in præsentia Nobis conficiunt validæ difficultates, quæ post accuratum examen petitionis Fratrum Capucinorum, paritatem votorum in Provinciis nuper divisis exoptantium, se se rei concessioni opponunt; tanti siquidem momenti sunt, ut impensis in eundem scopum à Majestate Tua enixis officiis annuere in Domino nequeamus; non defuturas autem imposterum Nobis occasiones propensæ erga rationes prædictorum Fratrum voluntatis nostræ, intuitu præsertim Majestatis Tuæ, luculenter eisdem declarandæ, pro certo habentes, Tibi interim Charissime in Christo Fili noster, Apostolicam Benedictionem amantissimè impartimur.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die VII. Apr. MDCLXXIV. Pontificatus Nostri Anno quarto.

Marius Spinula Secretarius.

Autogr. in Secret. Brev. ad Principes *Reg. mens. & anni prædict. fol.* 120.

Ex qualibet Germaniæ Provincia, noviter divisa, ad Capitulum Generale duos Custodes ablegari, ad iteratas Augustissimi Imperatoris instantias, pro una vice tantùm indulget.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit Dilectus Filius Minister Generalis Ordinis Minorum Sancti Francisci Capucinorum nuncupatorum, quòd, cum tam Charissimus in Christo Filius noster, Leopoldus Romanorum Rex, in Imperatorem electus, quàm alii Sacri Romani Imperii Principes cupiant Provinciis dicti Ordinis in Germania non itapridem divisis, duos Custodes, qui ad Capitulum Generale ejusdem Ordinis accedant, concedi, quemadmodum aliis omnibus Ordinis præfati Provinciis antehac divisis, ac etiam subdivisis concessi fuerunt; ipse Minister Generalis eorundem Leopoldi Regis, & aliorum Principum desiderium hujusmodi, rationi, & justitiæ valde consentaneum reputans, plenè illi satisfieri posse existimat, si fel. rec. Urbani PP. VIII. Prædecessoris Nostri in simili forma Brevis literæ super paritate votorum inter Cismontanas, & Ultramontanas dicti Ordinis Provincias die XVIII. Junii MDCXLIII. emanatæ in usum reducantur, ita, ut nulla ejusdem Ordinis Provincia ea de re rationabiliter conqueri, aut deinde se gravatam prætendere valeat. Nobis propterea dictus Minister Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur ipsius Ministri Generalis votis hac in re, quantùm cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes,

tes,

tes, ac præfatarum Urbani Prædecessoris literarum tenorem, præsentibus pro plenè, & sufficienter expresso, & inserto habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Authoritate Apostolica, tenore præsentium benignè indulgemus, ut pro Capitulo Generali Ordinis prædicti proximè celebrando tantùm, in singulis præfatis Germaniæ Provinciis eligi possint duo Custodes, qui votum habeant in dicto Capitulo Generali; hac tamen adjecta conditione, ut Provinciis citra Montes ejusdem Ordinis tot vota restituantur, quod ex hujusmodi novorum Custodum electione supradictis Provinciis augebuntur juxta dispositionem memoratarum Urbani Prædecessoris literarum. Quid verò in futurum servandum sit, mandamus, ut in eodem Capitulo Generali proximè celebrando hujusmodi negotium examinetur. Decernentes easdem præsentes literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac Provinciis prædictis plenissimè suffragari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam, quavis authoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non, quatenus opus sit, Ordinis, & Provinciarum hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XV. Novembris MDCLXXV. Pontificatus Nostri Anno sexto.

J. G. Slusius.

Breve formatum in Arch. Gen. Ord. Armario *Bullæ*, *Brevia &c.*

NOTA.

Limitata hac facultate cum Augustissimo Imperatori satisfactum non esset, aliàsque fixum maneret de petitis, donec concessa forent, non desistere, ea Ven. Dei Servo Innocentio XI. sequentibus Litteris commendavit.

Beatissime in Christo Pater, Reverendissime Domine.

Post officiosam commendationem Filialis observantiæ, Prosperitatis incrementum.

Concessit præteritis annis Sancta Sedes Apostolica quatuor Provinciis Germaniæ Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Capucinorum ob earum amplitudinem, & vastitatem, necessariam divisionem, sicut defacto quævis actualiter in duas divisa subsistit. Decreta autem Divisionum in se continent duas conditiones onerosas, quarum prima est: ut non multiplicent vota in Capitulo Generali, vel, ne quævis Provincia duos Custodes ad illud eligat, & mittat. Altera: ut nec multiplicent amplius Conventus, vel, ne novos ædificent sine speciali licentia Sacræ Sedis.

Et licèt felic. record. Clemens X. Sanctitatis Vestræ Prædecessor primam conditionem in forma Brevis dispensaverit sub dato 15. Novembris Anni 1675., atque concesserit Provinciis dicti Ordinis in Germania non ita pridem divisis duos Custodes eligere, qui ad Capitulum Generale accedant, & votum habeant, quemadmodum aliæ prædicti Ordinis Provinciæ antehac divisæ, ac etiam subdivisæ, voluit tamen idem pro Capitulo Generali proximè celebrando tantùm valere, & ut, quid in futurum servandum sit, in eodem Capitulo Generali hujusmodi negotium examinetur.

Cùm igitur, prout intelleximus, prædicti Ordinis Capitulum Generale proximè celebrandum sit Romæ Die 27. Maii Anni 1678., atque Justitiæ, æquitati, & rationi conforme, ut consuetus, ac communis tam Custodum, votorumque numerus, quàm novos Conventûs ædificandi usus, sicut aliarum Nationum Provinciis, ita etiam Germaniæ concedatur, Sanctitatem Vestram omni, quò possumus, filiali affectu, & animi contentione requirimus, ut sua Auctoritate Apostolica jubeat Provincias Germaniæ Fratrum Minorum S. Francisci Capucinorum in nostris hæreditariis, & Romani Imperii ditionibus existentes, non tantùm proximo, sed imposterum omni Capitulo Generali in Custodum, votorumque numero, item in antiqua novos Conventus ædificandi consuetudine, aliis ejusdem Ordinis Provinciis pares haberi, ac prædictas duas in divisionum Decretis onerosas conditiones penitus tollere, & abrogare mandet, cùm prima Religiosam Charitatem,

em, altera Fidei Catholicæ, & prædicti Ordinis augmentum impediat. Quia verò hac nostra pia petitione, cura, & sollicitudine in Ordinem Capucinorum (quem ob vitam exemplarem, & sedulum in Vinea Christi laborem tenerè diligimus, ac Sanctitati Vestræ quàm impensè commendamus) nihil aliud, quàm Dei gloriam. & Catholicæ Religionis emolumentum prætendimus, desideratum à Sanctitate Vestra effectum filiali observantia nostra continuò demerendum, certò nos obtenturos confidimus: Quam in Ecclesiæ bonum diu incolumem servari unicè cupimus. Dabantur in Civitate nostra Viennæ Die 4. Novembris 1677.

Leopoldus.

Aliæ Litteræ Cæsareæ ad eundem Summum Pontificem pro eadem votorum paritate.

BEATISSIME PATER.

Plenè dubio procul informata est Beatitudo Vestra de negotio Fratrum Min. S. Francisci Capucinorum circa divisionem Provinciæ Illorum Bohemicæ, atque Austriacæ in Urbe aliquot ante annos agitato, in quam piissimus Sanctitatis Vestræ Prædecessor, post iteratas efficaces instantias nostras, tandem condescendit, adjectâ tamen quoad reliqua duo petita nostra, suffragiorum nimirum Paritatem unà concedendam, & novorum Cœnobiorum in dictis Provinciis noviter divisis absque peculiari Sanctæ Sedis licentia erectionem difficultate, cui licèt Sanctitas Sua non attenta officiorum nostrorum assiduitate, gravitateque rationum à Nobis adductarum aliquamdiu innixa sit, Eam tamen eousque demum permovimus, ut quoad primum reservati, seu exceptionis caput, paritatem scilicet votorum dispensaverit, eamque antefatis Provinciis paulò ante divisis per speciale Breve Apostolicum 15. Novembris 1675. emanatum ad exemplum aliarum Provinciarum ante hac divisarum impertita sit, eâ tamen conditione, ut hæc ejusmodi concessio pro solo Capitulo Generali proximè celebrando intelligenda, in eò verò, quid deinceps hac in parte observandum sit, ulteriori examini subiiciendum sit: hanc autem novam rei discussionem, vel ex eo minùs necessariam, imò purè superfluam ducimus; quod superioribus annis plùs quàm satis accuratissimè investigata, & expensa fuerit, Nosque non nisi majorem Dei cultum, emolumentumque Sancti hujus Ordinis in hocce desiderio nostro spectemus, neque tanti momenti negotium expetamus, quòd tot, tantosque obices mereatur, & inexspectatissimum Nobis accideret. id Nobis in quæstionem dubiumque trahi; quod aliis Regibus, & Principibus in pari omnino causa ultrò concedebatur. Cui accedit, quòd æquitati plenè congruum sit, ejusque ratio postulet, ut Religiosi ejusdem Ordinis, & sub eadem Regulæ observantia viventes, iisdem etiam Privilegiis, & prærogativis indistinctè potiantur: & proptera tam consuetus atque communis Custodum, votorumque numerus, quàm novos Conventus ædificandi usus, velut aliarum Nationum Provinciis, ita etiam Germaniæ concedatur. Cum itaque Capitulum Generale sæpe libati Ordinis proximè imminere, atque pro ejus congressu vigesimam septimam Maii Anni fluentis indictam esse intelligamus, Nos pro singulari affectu, & benevolentia, quâ Religiosos hosce ob exemplarem vivendi consuetudinem unicè complectimur, non possumus non causam hanc eorum æquissimam fovere, Sanctitati Vestræ omni meliori modo, quo possumus, recommendare, impenso Eandem proinde filialis observantiæ studio precantes, dignetur sepositis quibuslibet rationibus, Ei fortè in contrarium aliunde repræsentandis, sanctæ intentionis nostræ eam habere rationem, quam Nobis de perspecta sua Paterna in Nos, totumque Ordinem Seraphicum pietate pollicemur, & Auctoritate Sua Apostolica demandare, ut sæpedictę Provincię in nostris hæreditariis æquè, ac Romani Imperii ditionibus existentes, non modo in proximo, verùm etiam quovis imposterum celebrando Capitulo Generali in Custodum, votorumque numero, necnon in antiqua novos Conventus erigendi consuetudine, aliisque ejusdem Ordinis Provinciis pares habeantur: atque suprafatæ duæ in Decretis ratione divisionis emanatis appositæ onerosæ conditiones, quarum prima religiosæ charitati, altera verò Fidei Orthodoxæ. Ordinisque incremento obest, penitus tollantur, & abrogentur. Cujus effectum eò certiùs à Sanctitate Vestra sperare Nos juvat, quod æquanimitatem suam ita comparatam esse sciamus, ut nihil admittere possit, nec velit, quod justitiæ ullô modô refragetur: non deerimus ejusmodi propensi animi testimonium quibuslibet filialis observantiæ studiis reciprocare, quæ Sanctitati Vestræ rursum offerentes, eandem diu, multùmque salvam, & sospitem in majus universalis Ecclesiæ emolumentum servari ex intimo auspicamur.
Datæ Neostadii die 27. Januarii Anno 1678.

Leopoldus.

Litteræ Cæsareæ in eadem causa ad Emin. D. Cardinalem Cybo datæ:

LEOPOLDUS &c.

Optimè compertæ sunt Rmæ Paternitati Vestræ repetitæ instantiæ nostræ, quibus defuncti Pontificis Beatitudinem permovere nixi sumus, ut Provinciæ Bohemiæ, atque Austriacæ Ordinis Minorum S. Francisci Capucinorum ob earum amplitudinem, & vastitatem, primò quidem divisionem, deinde verò divisis votorum paritatem, atque novos Conventus absque peculiari S. Sedis licentia erigendi facultatem ad normam, & exemplum aliarum Provinciarum ejusdem Ordinis divisarum concederet. Et quamquam Sua Sanctitas desiderio nostro in tantum detulerit, ut in primis in memoratam divisionem consenserit statim etiam effectui mancipatam, paritati verò votorum nonnullas opposuerit difficultates, & tandem etiam illam admiserit, pro solo tamen Capitulo Generali proximè celebrando restrinxerit: cum autem exemplum aliarum Provinciarum divisarum iisdem prærogativis jampridiem gaudentium, Nos in limitata hac dispositione, ac indulto acquiescere minimè sinat, stante præsertim Generalitate Decreti Pontificii antehac emanati, quô cun-

ctis Provinciis divisis paritas votorum tribuitur, cujus Provinciam Bohemicam, atque Austriacam tantopere, tamquam ubere fructu in vinea Domini desudantes eque, ac alias capaces, neque Nos deterioris conditionis, aut Ordinis, quàm allos Reges, & Principes Catholicos hac in parte habendos existimamus, quibus absque ulla difficultate, conditioneve suprafatæ facultates pro memorato Ordine concessæ fuerunt. Quapropter Rmam Paternitatem Vestram, cujus peculiarem in Nos zelum, & studium omnimoda cum satisfactione nostra pluribus in occasionibus hactenus luculenter experti sumus, obnixè impensèque requirimus, velit æquitatem petitionis nostræ non tam ipsa penitus indagare, ac perpendere, quàm Suæ Sanctitati, apud quam etiam efficaciter instamus, nervosè repræsentare, eamque mihi validis suis officiis eum in modum promovere, ut ab eadem suffragiorum paritas, & nova Cœnobia sine peculiari S. Sedis Apostolicæ licentia erigendi facultas pro sæpe libata Provincia Bohemica, atque Austriaca, sicut & aliis Provinciis in reliquis Regnis, & ditionibus nostris hæreditariis æquè, ac Romano Imperio existentibus, quà jam divisis, non tantùm pro hoc, verùm pro omnibus deinceps Capitulis Generalibus concedatur. Quod ubi à Sanctitate Sua impetraverimus, plurimùm Rmæ Paternitatis Vestræ operæ adscribemus, quæ Nobis etiam rem acceptissimam præstabit, quibusvis benevolentiæ, affectûsque Cæsarei documentis agnoscendam, prouti eundem Rmæ Paternitati Vestræ prolixè quoque testatum cupimus, simulque ad Cardinalem Pium, qui desuper cum Rma Paternitate Vestra fusius nostro Nomine loquetur, referimus. Data Neostadii Die 27. Januarii Anno 1678.

Leopoldus.

Christophorus Abele.

Aliæ ad Eminentissimum Cardinalem Pium Protectorem Germaniæ.

L E O P O L D U S &c.

Meminerit Rma Paternitas Vestra litterarum nostrarum tum ad Defuncti Summi Pontificis Beatitudinem, tum ad eandem, tum etiam ad alios quosdam Reverendissimos Cardinales in materia Paritatis votorum, & facultatis nova Cœnobia sine particulari Sedis Apostolicæ licentia erigendi, Provinciæ Fratrum Minorum Capucinorum Sancti Francisci Bohemicæ, atque Austriacæ concedendæ, atque impetrandæ repetitis vicibus directarum: meminerit etiam secutæ post crebras instantias nostras, indefessamque operam à Reverendissima Paternitate Vestra adhibitam, quoad primum petiti nostri caput in favorem nostrum resolutionis Pontificiæ, ea tamen restrictione, ut paritas illa pro proximo tantummodo Capitulo Generali concessa intelligeretur: quô licèt aliqua desiderii nostri pars adimpleri cœperit, experta tamen in re tam justa, emolumentumque Ordinis concernente minima Nobis præbita fuit satisfactio; qua de causa dictô indultô cùm contenti esse nequeamus, nec non Ordinis hujus Capitulum Generale proximè in Urbe celebrandum, & quidem vigesima septima Maii anni præsentis principium sortiturum esse intelligamus, negotium hocce denuo reassumendum duximus, ab eo non priùs destituri, donec illimitatam unius, alteriusque puncti concessionem assequamur. Quem in finem annexas cum exemplaribus litteras ad suam Beatitudinem, Reverendissimos Cardinales Cybo, & Acciajoli, præterea Generalem Ordinis, ejusdemque Procuratorem Generalem perscribimus, & sollicitatam, diu optatam negotii determinationem impensè commendamus: Reverendissimam Paternitatem Vestram proinde enixè requirentes, velit autographa singulis, quibus inscripta sunt, primâ occasione exhibere, mentem, desideriumque nostrum ardentissimum dictis litteris expressum vivâ etiam voce prolixè repræsentare, eique, si præterea perspecta Reverendissimæ Paternitatis Vestræ Prudentia eidem quid ulteriùs ad obtinendam faciliùs intentionem nostram opportunum suggesserit, adjungere, denique sibi causam hanc summæ curæ sumere, ac propterea ad assequendam voti nostri ultra memoratam Provinciam Bohemicam, & Austriacam, etiam ad alias Provincias Regnorum, & Ditionum nostrarum hæreditariarum, necnon Romani Imperii extensi metam eum in modum allaborare, ut proximè fructum ejus experiamur: & si difficultatem aliquam, vel in Sanctitate Sua, vel in alio quopiam experiret, eandem utpote plenariè jam ante informata facilè diluere, & præterea addere poterit, honorem hîc auctoritatemque nostram intervenire, adeoque Nos nec repulsam spectaturos, neque unquam cessuros, verùm eousque indesinenter instituros esse, donec à Sanctitate Sua causa hæc, summâ æquitate nixa, sine ulla restrictione, vel reservatione desideratô à Nobis modô universaliter, & pro omni tempere stabiliatur. Totum itaque negotium dexteritati Reverendissimæ Paternitatis Vestræ omnino committimus, quæ, quò majorem in eo expenderit operam, eò rem Nobis gratiorem exhibitura est: Eidem in reliquo Benevolentiæ nostræ Cæsareæ affectum denuò confirmantes. Datæ Neostadii Die 27. Januarii Anno 1678.

Leopoldus.

Christophorus Abele.

Alia Epistola ad Eminentissimum Cardinalem Acciajoli, Protectorem Ordinis.

L E O P O L D U S &c.

Quemadmodum nihil magis quàm Cultum Divinum, Religiosorumque Ordinum Sanctitate, integritateque vitæ florescentium incrementum cordi habeamus, ita S. Francisci Sectatoribus hanc ob causam maximè addicti sumus, eorumque emolumenta in Regnis, & Provinciis nostris hæreditariis, quavis ratione cupimus promota; quem in finem à demortui Summi Pontificis Beatitudine divisionem Provinciæ Bohe-

micæ

micæ, & Auſtriacæ, ſicut & paritatem ſuffragiorum, atque præterea facultatem, nova ſine ſpeciali Sedis Apoſtolicæ licentia erigendi cœnobia expetivimus, & primum quidem, admotis priorum Ordinis Protectorum officiis ſimpliciter, alterum verò pro ſolo Capitulo Generali proximè celebrando obtinuimus, tertio puncto nondum determinato: Qua reſolutione Pontificia, cum intentionem noſtram nondum plenè aſſecuti ſimus, ab hac autem vel ideo recedere non poſſimus, quod alioquin in re ad aliorum Regum, & Principum interpoſitionem facilè, & illimitatè quidem conceſſa, Nobis verò ſolis, tam arctis circumſcripta limitibus graviſſimum Auctoritati Noſtræ Cæſareæ inferretur præjudicium, Ordini autem de optima fama, affectuque Populi ſibi hactenus conciliato plurimùm dedeceret, imò plurima verenda forent ſcandala, ſi ſoli Provinciæ Bohemicæ, & Auſtriacæ diviſæ prærogativa aliis Provinciis diviſis indulta negaretur. Idcirco modernam Sanctitatem Suam inſtanter obſecramus, ut non modò eandem Bohemicam, & Auſtriacam, verùm etiam alias Provincias in reliquis Regnis, & Ditionibus noſtris hæreditariis, necnon Romano Imperio exiſtentes, aliarum Nationum Provinciis in Cuſtodum, votorumque numero, ſicut & facultate Conventus abſque ſpeciali Sedis Apoſtolicæ licentia conſtruendi pares, non in proximo duntaxat, ſed etiam omnibus impoſterum Capitulis Generalibus velit habere, quod ab eadem accedentibus præſertim Reverendiſſimæ Paternitatis Veſtræ officiis impetrare non dubitamus, quam proinde impensè cupimus requiſitam, velit unacum Reverendiſſimo Cardinale Pio, à quo ſenſa noſtra percipiet uberiùs, eò ſtudium omne convertere, atque pro munere ſuo Protectoris, eaque, qua tum apud Sanctam Sedem, tum apud Ordinem Seraphicum pollet, æſtimatione ſollicitè cooperari, ut pii deſiderii noſtri omninò compotes proximè reddamur; neque enim ab inſtantiis noſtris priùs deſiſtemus, donec optatum effectum ex aſſe conſequamur: perſuadeat ſibi Reverendiſſima Paternitas Veſtra, nullum hôc acceptiùs Nobis à ſe affectûs & devotionis documentum præberi poſſe, in ſe ferentibus occaſionibus, prolixis propenſionis, & Benevolentiæ teſtimoniis compenſandum, quam eidem pro omni etiam tempore confirmamus. Datæ Neoſtadii Die 27. Januarii 1678.

Leopoldus.

Chriſtophorus Abele.

Alia ad Reverendiſſimum Patrem Generalem Ordinis.

LEOPOLDUS &c.

Compertum habetis, quibus in terminis negotium Provinciæ Ordinis Veſtri Seraphici Bohemicæ, atque Auſtriacæ ſuperioribus annis circa paritatem votorum, facultatemque nova Cœnobia abſque prævio ad Sedem Apoſtolicam recurſu erigendi verſetur, quorum primum à Defuncti Pontificis Beatitudine quidem conceſſum, ad proximum tamen Capitulum Generale ſolummodò reſtrictum eſt, alterum verò indeciſum hucuſque permanſit: cum autem petitioni noſtræ exinde adæquatè ſatisfactum non ſit, imò gravi Nobis foret dedecori, ejuſmodi conceſſionem reſpectu Provinciarum noſtrarum adeo limitatam admittere, quam aliæ Provinciæ Ordinis veſtri diviſæ generaliter poſſident, præſertim cum vos ipſi ſufficiens habere poſſitis teſtimonium, eaſdem à Vobis in nulla, quæ ad vitam religioſam, & Monaſticam pertinet, qualitate inferiores reliquis, imò plus in ſe, quam fortè credebatis, habentes inventas eſſe: Noſque præter unicum Ordinis incrementum penitus nihil intendamus. Eapropter Sanctitatem Suam impensè pro Generali ſuprafatarum duarum conceſſionum extenſione obteſtamur, à Vobis verò etiam vehementer deſideramus, ut in quoddam iteratarum expreſſionum veſtrarum ſpecimen, intentionem noſtram ſimiliter pro virili promovere, ac, quantùm in Vobis eſt, conferre velitis, quo ſuffragiorum paritatem æquè, ac facultatem Conventus abſque ſingulari Sedis Apoſtolicæ licentia ędificandi, antedictę Provincię Bohemicę, & Auſtriacę, nec non cęteris Provinciis in Ditionibus noſtris hæreditariis, tum etiam in Romano Imperio exiſtentibus pro omni tempore conceſſam proximè inaudire valeamus: quod licèt munus veſtrum, ipſaque cauſæ æquitas per ſe requirat, nihilominus tamen pro amplo devotionis veſtræ ſæpenumero teſtificatæ argumento accipiemus, prægnantiori Vobis obinde gratia propenſi manſuri, eamqae effectu ipſo in quibuſvis occurrentiis corroboraturi. Neoſtadii Die 27. Januarii Anno 1678.

Leopoldus.

Chriſtophorus Abele.

Alia ad Reverendiſſimum Patrem Procuratorem Generalem Ordinis.

LEOPOLDUS &c.

Supervacaneum foret, Vobis ſtatum paritatis votorum, & facultatis Cœnobia ſine peculiari Sedis Apoſtolicæ licentia ædificandi apud Defuncti Pontificis Beatitudinem per Nos annis ſuperioribus pro Provincia Bohemica, atque Auſtriaca Ordinis veſtri Seraphici poſt ejus diviſionem ſollicitatæ, reſolutioniſque ab Eadem deſuper captæ recenſere, qui uberem totius rei ſucceſsûs tenetis notitiam; quare multâ negotii deductione ſuperſedentes, Vobis id ſolùm ſignificamus, quod cauſam hanc, cujus Protectionem in Nos plenè ſuſcepimus, denuo reſuſcitare decreverimus, & juxta intentionem noſtram definitam cupiamus, eumque in finem Sanctitatem Suam intensè obteſtamur, ut Provinciam hance nulli alteri Provinciæ, ſeu virtute, ſeu pietate, ſeu etiam vitæ probitate inferiorem, ſi non ſuperiorem, quoad prædicta duo puncta, reliquarum Nationum Provinciis illimitatè conceſſa, parem habere dignaretur: ad quod deſiderium noſtrum aſſequendum

cum Vos pro perspecta vestra apud universum Ordinem vestrum validitate plurimùm etiam conferre possitis; ideo à vobis perbenignè contendimus, velitis rem unacum Generali Ordinis, in proximo Capitulo Generali eò dirigere, atque disponere, ut & suffragiorum paritas, & facultas Conventus absque speciali Sedis Apostolicæ licentia erigendi, non modò pro imminenti, verùm etiam omnibus futuris Capitulis Generalibus memoratæ supra Provinciæ Bohemicæ atque Austriacæ, necnon cæterorum Regnorum, & Ditionum nostrarum hæreditariarum, Romanique Imperii Provinciis concedatur. Exhibituri Nobis estis peculiare devotionis testimonium, & quidem in causa, à qua nullo modo recedemus, usque dum eam secundùm intentionem nostram terminatam cernemus. Confidimus proinde, Vos benignam fiduciam, quam in vobis reponimus, agnituros, eidemque indefesso studio vestro corresponsuros esse; de reliquo gratiam vobis nostram Cæsaream perbenignè confirmantes. Datæ Neostadii Die 27. Januarii Anno 1678.

Leopoldus.

Christophorus Abele.

Tot, & tanta Cæsarea &c. conamina effecêre tandem, ut non solùm punctum de paritate votorum, sed etiam aliud de erectione novorum Conventuum sine S. Sedis licentia, hucusque nonnisi ad tempus visitationis P. Generalis restrictum, fuerit concessum Litteris Pontificiis sequentibus.

Quamlibet divisarum Provinciarum, tribus votis in Capitulis Generalibus gaudere, & novas in iis Domos sine recursu ad Sanctam Sedem construi, ad Augustissimi Imperatoris Leopoldi &c. instantias indulget.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

AD Pastorale fastigium, meritis licet imparibus, divinâ dispositione evecti, Religiosorum Virorum vota sua Deo sub laudabili austerioris vitæ disciplina, cum populi Christiani ædificatione reddere jugiter satagentium statui, decori, & commodis libenter providemus, ac in idipsum tendentes sublimium Principum preces propensâ paternæ charitatis benignitate exaudimus, favoribusque & gratiis prosequimur opportunis. Nuper siquidem pro parte charissimi in Christo Filii Nostri Leopoldi Romanorum Regis, in Imperatorem electi, Nobis expositum fuit, quod aliàs in vim quarundam fel. rec. Clementis IX., & Clementis X. Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum in simili forma Brevis litterarum quatuor Provinciæ Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupatorum, unaquæque scilicet illarum in duas divisæ, atque ita ex illis octo Provinciæ, quæ Helvetiæ, Austriæ anterioris, Coloniensis, Rhenanæ, Tyrolensis, Bavariæ, Bohemiæ, & Austriæ respectivè nuncupantur, constitutæ fuerunt: eâ tamen lege, ut per ejusmodi divisionem suffragia in Capitulis Generalibus Ordinis præfati augeri non possent; sed cujusque Provinciæ divisæ Ministri Provinciales unà cum Custode alternatim eligendo in dicto Capitulo intervenire deberent, ita, ut tria tantùm vota, nempe duorum Ministrorum Provincialium, ac unius Custodis pro singulis Provinciis, ex una in duas divisis hujusmodi constituerent; utque in præfatis Provinciis divisis novi Conventus erigi inposterum nullatenus possent sine expressa Sedis Apostolicæ licentia, per litteras in forma Brevis expedienda, quæ huic prohibitioni derogaret, & subinde dictus Clemens X. Prædecessor per quasdam suas pariter in forma Brevis die decimâ quintâ Novembris 1675. expeditas litteras benignè indulsit, ut pro Capitulo Generali dicti Ordinis, tunc proximè celebrando tantùm, in singulis præfatis Germaniæ Provinciis eligi possent duo Custodes, qui votum haberent in eodem Capitulo Generali; quid verò in futurum servandum esset, mandavit, ut in eodem Capitulo Generali tunc proximè celebrando hujusmodi negotium examinaretur, & aliàs, prout in præfatis eorundem Prædecessorum litteris, quarum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis haberi volumus, uberius continetur. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, ut Provinciarum prædictarum incremento, ac Religiosæ quieti, & honorificentiæ peramplius consulatur, dictus Leopoldus Rex duas conditiones supradictas in divisionibus hujusmodi appositas tolli, & abrogari plurimùm desiderat: Nobis propterea ejusdem Leopoldi Regis nomine humiliter supplicatum fuit, ut in præmissis opportunè providere, &, ut infra, indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur piis ipsius Leopoldi Regis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, supradictis Provinciis, Helvetiæ, &

Au-

Austriæ anteriori, Coloniensi, & Rhenanæ, Tyrolensi, & Bavariæ, ac Bohemiæ, & Austriæ, & illarum singulis, ut omnia vota, & suffragia, quæ aliis Ordinis præfati Provinciis competunt, in Capitulis Generalibus ejusdem Ordinis, de cætero celebrandis, pariformiter habeant, & novos Conventus, sublatâ prohibitione prædictâ absque alia hujus Sanctæ Sedis licentia, de Ordinariorum locorum consensu, servatisque aliàs servandis erigere, aliisque omnibus & singulis juribus, Privilegiis, prærogativis, præeminentiis, honoribus, gratiis, & indultis, quibus cæteræ Ordinis hujusmodi Provinciæ, tam de jure, usu, & consuetudine, quàm aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur, & gaudent, ac uti, frui, & gaudere possunt, & poterunt in futurum, pari modo, & absque ulla prorsus differentia, uti, frui, & gaudere liberè & licitè possint, & valeant, Auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium concedimus, & indulgemus. Decernentes easdem præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocunque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscunque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, & Apostolicæ Sedis præfatæ Nuntios, aliosve quoslibet, quâcunque præeminentiâ & potestate fungentes, & functuros, sublatâ eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, & Auctoritate judicari & definiri debere, ac irritum & inane, si secus super hisâ quoquam, quavis Auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Litteris supradictis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac, quatenus opus sit, Provinciarum, & Ordinis hujusmodi, aliisque quibuslibet, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissarum effectum hac vice duntaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, ut præsentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus Fides tam in judicio quàm extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die x. Januarii MDCLXXIX. Pontificatus nostri Anno tertio.

I. G. Slusius.

Breve formatum in Archivo Generali Ord. Armario Bullæ, Brevia *&c.*

N O T A.

Quantùm gaudii ex Apostolico hoc Indulto Augustissimus Imperator conceperit, tum de conatu, quo illud urgebat, tum de sequente Epistola responsoria, Fr. Idelphonso à Carlshoven, tunc Definitori Generali inscripta, desumi debet, ac potest.

L E O P O L D U S &c:

Honorabilis, Religiose, Devote, Dilecte.

Quemadmodum negotium Paritatis votorum peculiariter, uti vobis compertum est, Nobis cordi fuimus, ita non minori cum satisfactione è Literis Vestris die 18. *Junii elapsi intelleximus, officia hac in parte diversis in locis adhibita, tantùm in Congregatione Generali proximè peracta valuisse, ut suam Provinciæ Germaniæ assecutæ sint intentionem : de quo prospero adeo successu non minùs lætamur, ac singulari ferimur desiderio, plura Ordini Vestro Gratiæ, Protectionisque nostræ testimonia exhibendi. Gratulamur Vobis præterea benignissimè de Persona Vestra inter Definitores Generales, vel ex eo digniùs collocatâ, quod & honorem hunc indefesso labore in emolumentum Sacræ Religionis per tot annos impenso quàm maximè promeriti sitis, & muneri huic ita vos præfuturos non ambigamus, ut præfatus Ordo Vester uberem exinde, præsertim in Germaniæ Ditionibus fructum sentiat; Nos verò in existimatione de Vobis ob insignes animi dotes, virtutesque vestras conceptâ ulterius confirmemur : qui nullam vicissim omissuri sumus occasionem, Vobis gratiam nostram Cæsaream etiam deinceps testificandi, prouti Vobis eandem pro omni tempore hisce benignissimè confirmamus. Datum in Civitate nostra Viennæ die vigesimâ quinta*

ta Julii, Anno millesimo sexcentesimo septuagesimo octavo. Regnorum nostrorum, Romani vigesimo, Hungarici vigesimo tertio, & Bohemici vigesimo secundo.

Leopoldus.

Christophorus de Abele.

PONTIFICIO RESCRIPTO

Ex Provinciis Germaniæ Secretarium cum Socio Nationali in Romana Ordinis Curia stabiliri confirmatur.

Beatissime Pater.

CUM ad mentem S. Cæsareæ, & Catholicæ Majestatis, & ad urgentem instantiam Ministrorum Provincialium Nationis Germanicæ Ordinis Minorum S. Francisci Capucinorum in ultimo Generali Capitulo sub die 29. Junii 1726. in pleno Definitorio Generali conclusum, & statutum fuerit, ut deinceps Pater aliquis ex Provinciis Germaniæ, qui jurium, ac consuetudinum suæ Nationis gnarus sit, ad pertractanda Provinciarum negotia cum socio proprio Nationali, & convenienti ad Reverendissimum P. Procuratorem Generalem Ordinis subordinatione in Romana Curia stabiliatur, præsentandus semper ab ipsa Natione Germanica, & cum beneplacito ejusdem R. P. Procuratoris Generalis à Reverendissimo P. Generali in tali officio confirmandus; jamque actu vi hujus statuti ad hujusmodi Secretarii Generalis officium de mente Ministrorum Provincialium Germaniæ, ac de beneplacito R. P. Procuratoris Generalis respectivè præsentatus, & assumptus, ac à Reverendissimo P. Generali per Patentes Litteras confirmatus fuerit R.P. Maximilianus à Wanghena, Provinciæ anterioris Austriæ Custos, & in S. Curia Romana Postulator Causæ Gloriosi Martyris P. Fidelis à Sigmaringa &c.

Iidem Ministri Provinciales Nationis Germaniæ ad pedes Sanctitatis Vestræ provoluti humillimè supplicant, ut Sanctitas Vestra salutarem illam totius Diffinitorii Generalis dispositionem benignè ratam habere, eamque ad pacificam, & pleniorem ipsius observantiam Apostolica Auctoritate confirmare dignetur, ad effectum, ut idem P. Maximilianus, ejusque Successores ad formam prædictam instituendi, vel instituti, cum socio proprio Nationali in Conventu Urbis persistere, & sub immediatâ ad R. P. Procuratorem Generalem subordinatione tali officio in Religiosa quiete perfungi, ac Provinciæ Nationis Germanicæ pro negotiis itentidem in Sacra Curia Romana occurrentibus, condebita assistentia constanter perfrui possint, quibuscunque in contrarium non obstantibus.

Et pro gratia &c.

Rescriptum: *Ex Audientia Sanctissimi Die 15. Januarii 1728.*

Facta per me relatione, Sanctitas Sua, benignè petitis annuit juxta Rescriptum propria ejus manu exaratum.

Jos. Archiep. Philippen. Auditor.

Manu propriâ Papæ.

Confirmamus Die 15. Januarii 1728.

BENEDICTUS P. P. XIII.

Excemp. Auth. in Archivo Generali.

RESCRIPTO APOSTOLICO.

Gratia Altaris ter in septimana &c. Ordinis Ecclesiis concessa ad Ecclesias Missionum, & Residentiarum tum Regularium, tum Sæcularium extenditur.

Beatissime Pater.

FR. Maximilianus Wangensis, Ordinis Sancti P. Francisci Capucinorum pro tota Germania Assistens humillimè supplicat Sanctitati Vestræ, ut gratiam Altaris Privilegiati, pro Ecclesiis Conventuum Ordinis ter in septimana, & per totam octavam Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum olim benignè concessam clementissimè extendere dignetur, tam ad Ecclesias Missionum, & Residentiarum, purè Regularium, quàm ad illas Sæculares, in quibus PP. Capucini, vel inter Hæreticos, vel alias ob causas ordinariè

curam

curam Animarum, & omnia jura Parochialia administrant. Et pro gratia, quam Deus &c.

Sanctissimus annuit Die 26. Mens. Novemb. 1728.

Locus Sigilli.

N. Card. Coscia.

In Regesto Secret. Memorialium.

In Locis Missionum, in quibus Fratres Ecclesias proprias non habent, Indulgentias Ordinis, sæcularibus Ecclesiis communicat.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad futuram rei memoriam.

CÆlestes Ecclesiæ Thesauros, quorum dispensationem Fidei nostræ credidit Altissimus, iis potissimum Christifidelibus, quibus opportunitas, & commodum Ecclesiarum, quemadmodum alibi reperitur, non est, libenter erogamus. Alias siquidem fel. record. Urbanus PP. VIII. Prædecessor noster ad supplicationem tunc existentium Provincialis,& Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupatorum, Provinciæ Helveticæ, suas in simili forma Brevis litteras dedit tenoris, qui sequitur = Urbanus Papa VIII. Dilectis Filiis Provinciali, & Fratribus Ordinis Minorum Sancti Francisci Capucinorum nuncupatorum, Provinciæ Helveticæ, salutem, & Apostolicam Benedictionem. Ad augendam vestram Religionem, & Animarum salutem Cælestibus Ecclesiæ thesauris pia charitate intenti, Vobis omnibus, & singulis verè pœnitentibus & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis Sæcularium, Provinciæ prædictæ, in qua, seu quibus per vos Divina Officia, seu Ecclesiastica Sacramenta administrantur, devotè visitaveritis, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, & Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderitis, ut eas omnes, & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes consequamini, quas consequeremini, si aliquam ex propriis Ecclesiis vestræ Religionis personaliter, & devotè visitaretis, misericorditer in Domino concedimus, non obstan. Regula nostrâ de non concedendis Indulgentiis adinstar, cœterisque contrariis quibuscunque. Præsentibus, postquam proprias Ecclesias in eisdem vestris Domibus habueritis, minimè valituris. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris Die XXX. Augusti MDCXXXIV. Pontificatûs nostri Anno duodecimo. = M. A. Maraldus. = Quoniam autem nuper pro parte dilecti Filii Procuratoris Generalis, ejusdem Ordinis, Nobis supplicatum fuit, ut indultum per præinsertas Urbani Prædecessoris prædicti Litteras Fratribus hujusmodi in Provincia Helvetica duntaxat degentibus concessum non solùm ad Fratres omnes ejusdem Ordinis, qui in Provinciis Ultra montes commorantes Sacrorum Operariorum Missionariorumque functiones, officia, & alia pietatis opera peragunt; verùm etiam ad eos utriusque sexûs Christifideles, qui iisdem functionibus, officiis, & pietatis operibus per dictas Provincias ultra Montes ab ipsis Fratribus fieri solitis intersunt, extendere, & de benignitate Apostolica concedere dignaremur. Nos igitur piis ejusdem Procuratoris Generalis votis, quantùm cum Domino possumus, benignè annuere volentes, eumque à quibu svis Excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium tantùm consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, præinsertum hujusmodi indultum Urbani Prædecessoris prædicti sub iisdem modo, & forma tam ad memoratos Fratres, quàm ad utriusque sexûs Christifideles in Provinciis ultra Montes prædictis degentes, dummodo præmissa omnia peregerint, extendimus, iisdemque concedimus. Non obstantibus Regulâ Cancellariæ nostræ Apostolicæ de non concedendis Indulgentiis adinstar, cæterisque contrariis quibuscunque. Præsentibus, postquam Fratres prædicti proprias Ecclesias in Domibus suis quarumcumque Provinciarum ultra Montes habuerint, minimè valituris.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, Die XIV. Februarii MDCCXLII. Pontificatûs nostri Anno secundo.

D. Card. Passioneus.

Breve formatum in Archivo Generali Ordinis Armario Bullæ, Brevia &c..

Om-

Omnibus Fratrum Provinciarum Germaniæ Ecclesiis pro festo Titulari earumdem Ecclesiarum Indulgentiam plenariam impertitur.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Universis Christifidelibus præsentes litteras inspecturis salutem, & Apostolicam Benedictionem.

AD augendam Fidelium Religionem & Animarum salutem cœlestibus Ecclesiæ thesauris pia charitate intenti, omnibus utriusque sexus Christifidelibus verè pænitentibus, Confessis, ac Sacra Communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis Ord. Fratrum Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupat. Provinciarum Helvetiæ, Austriæ anterioris, Viennen., Flandriæ, Walloniæ, Leodien., Tyrolen., Bavariæ, Bohemiæ, Stiriæ, Colonien., Rhenanæ, & Franconiæ die Festo Titulari earumdem Ecclesiarum respectivè à primis Vesperis, usque ad occasum Solis diei hujusmodi singulis annis devotè visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, Plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus: præsentibus ad septennium tantùm valituris: Volumus autem, ut, si pro impetratione, præsentatione, admissione, seu publicatione præsentium aliquid vel minimum detur, aut sponte oblatum recipiatur, præsentes nullæ sint, atque earumdem præsentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prosus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die XIX. mensis Julii MDCCXLII. Pontificatûs nostri Anno secundo.

D. Card. Passioneus.

Brevia Authentica in Archivis Provinciarum.

Indulgentiam plenariam, etiam Defunctis per modum Suffragii applicandam, pro menstrua Communione Generali, in Ecclesiis Provinciarum Germaniæ, vel etiam in Ecclesiis Sæcularibus à Fratribus instituenda, confirmat.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Universis Christi Fidelibus præsentes Literas inspecturis salutem & Apostolicam Benedictionem.

AD augendam Fidelium Religionem, & animarum salutem, cælestibus Ecclesiæ thesauris pia Charitate intenti, omnibus, & singulis utriusque sexûs Christifidelibus verè pœnitentibus & confessis, qui aliquam Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupatorum, Provinciæ N.N., seu quamcunque aliam Sæcularem Ecclesiam in dicta Provincia existentem, in qua Communio generalis, sollicitudine dictorum Filiorum Fratrum dicti Ordinis, de licentia Ordinariorum locorum, & quoad Ecclesias Sæculares de illarum Rectorum consensu, in una ex Dominicis cujuslibet Mensis respectivè agetur, devotè visitaverint, ibique Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, ac pro Christianorum Principum concordiâ, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem, quam etiam animabus Christifidelium, quæ Deo Charitate conjunctæ ab hac luce migraverint, per modum Suffragii applicare possint, misericorditer in Domino concedimus. Præsentibus ad septennium valituris. Volumus autem, ut, si pro impetratione, præsentatione, admissione, seu publicatione præsentium aliquid, vel minimum detur, aut sponte oblatum recipiatur, præsentes nullæ sint; utque præsentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die &c. &c. Pontificatus Nostri Anno &c.

D. Card. Passioneus.

Brevia formata in Archivis Provinciarum, in quibus devotio Communionis generalis viget.

EPI-

EPISTOLA

S. Congreg. de Propaganda Fide.

A PP. Ministris Provincialibus, ceu Præfectis Missionum, statum harum juxta modum præscriptum, eidem Sac. Congregationi exponi jubetur.

Reverende Pater.

INter multiplices Supremi Apostolatûs curas, in quibus SS. Dominus Noster hisce præsertim difficillimis temporibus versatur, quum nihil habeat antiquiùs, quàm Orthodoxæ Religionis, veræque Fidei propagationem, Missionum omnium præsentem conditionem statuit cognoscere, ut earum spiritualibus necessitatibus, si quæ sint, aptiùs consulatur. Eapropter folium quoddam, aliàs typis Sacræ hujus Congregationis vulgatum, reimprimi jussit, & ad Missionum earumdem Superiores, Præsides, seu Præfectos, quos vocant, dirigi, ut eo Duce, qui sit rerum status, diligentissimè exponant. Mandatis itaque Sanctitatis Suæ, quo par est, obsequio obtemperans, huic Epistolę exemplar dicti folii adjungo: De eo autem monitam Pat. Tuam esse volo, singulis capitibus è latere ponendas esse responsiones: in his verò utendum quàm maximè diligentiâ: de fide siquidem adhibenda non est quod disseram; eam enim Ecclesiastico homini, ac præcipuè Operario Vineæ Domini non convenientem modò, sed apprimè necessariam ex se quisque noscit. Alterum est, quod advertam, hasce Relationes saltem infra annum esse transmittendas ad hanc Sac. Congregationem; ea enim est mens Sanctitatis Suæ, ut post hujusmodi tempus inobedientes, quos tamen nullos fore putamus, atque etiam negligentes per eamdem Sacram Congregationem priventur Superioritate Missionum, suspendantur ab exercitio facultatum, quæ eis concedi solent, ac demum subjiciantur pœnis ab eadem Sacra Congregatione, & Sanctitate Sua infligendis. Hisce stimulis Pat. Tuam, bonum animarum pro suo zelo imprimis requirentem, non indigere, cùm probè noverim, pluribus non urgeo, sed orationibus tuis me etiam atque etiam commendo. Romæ 19. Septemb. 1744.

P. Tuæ Studiosus.

V. Card. Petra.

Nicolaus Lercarius Secret.

NOTA.

QUæstiones à Sacra Congregatione propositæ fuêre sequentes:

I. Quæ sint Missionum loca, quæ singulorum nomina, & cujus Diœcesis sint illa?
II. Quis præ cæteris locus magis præcipuus, & Missionibus utilior?
III. Quot in singulis locis existant Familiæ Catholicæ?
IV. An, & quantùm Catholicæ Religionis usus à Principe permittatur?
V. Cujus Sectæ sint infideles ibi existentes?
VI. An Catholici habeant Ecclesias?
VII. An in his Ecclesiis, ac Conclavibus SS. Eucharistia cum lampade ardente servetur?
VIII. Num in eis serventur Olea Sacra?
IX. Cujus qualitatis sit Sacra Supellex?
X. An præfatæ Ecclesiæ habeant redditus?
XI. Quinam ibi sint Regulares, vel Sacerdotes sæculares?
XII. An Conventus formatos habeant, aut hospitia duntaxat?
XIII. Quot Religiosi in iisdem habitent?
XIV. An aliquos redditus habeant, an ex eleemosynis vivant?
XV. A quo tempore illis Missionibus inserviant?
XVI. Quanto cum fructu Missiones exerceant, & in quæ opera præcipuè incumbant?

Autog. in Archivis Prov inciarum &c.

PROVINCIA HELVETICA.

Sacro Regularium Ordinum Cœtu Ecclesiam Dei multifario splendore illustrari, ac ejus commoda operario illorum zelo per Orbem mirè dilatari, Sancti Patres dudum cumulatis asseruerunt elogiis, ac ipsa Sacra Romana Sedes amplè concesso privilegiorum munere in dies testari non desinit. Specialiùs hoc agnovit S. mem. Gregorius Papa XIII., inde, dum confusio temporis gloriam sui Pontificatûs funestè turbavit, hominumque iniquitas florentem in Helvetia Fidei Catholicæ Segetem, commixto hæreseos olere miserè contaminavit, Religiosos ad sistendum mali progressum illuc ablegare decrevit. Fuit ad Fratrum nostrorum selectum eò faciliùs commotus, cum & Divi Caroli Borromæi, tunc Archiepiscopi Mediolanensis, & S.R. Ecclesiæ Cardinalis, nec non Illustrissimi D. Joannis Waltheri à Roll ab Altorffio, Equitis, & Colonelli, ac Illustrissimi D. Melchioris Lussii, à Stantio, Equitis pariter, & Colonelli, ac Cantonum Helveticorum in Concilio Tridentino Oratoris, enixæ accessissent preces.

In opus Domini anno 1581. segregatum Fr. Franciscum ab Aquis Bormiis, Provinciæ Mediolanensis ex-Provincialem, & Ordinis Definitorem Generalem, cum quatuor sociis, prælibatus Waltherus gratioso Altorffii excepit hospitio, & paulò post ad Regulare Domicilium, quod adhuc visitur, & inter illa Germanicarum Provinciarum primum est, partim sub confuso invidiæ murmure, partim sub hilari devotionis plausu conduxit. Sortis hujus communionem cum & alia Helveticæ loca ambirent, tot illico visa fuère Fratrum Cœnobia, ut anno millesimo quingentesimo octuagesimo nono, prima Lucernæ indicta, & celebrata fuerint comitia, Fr. Antonio à Canobio in primum Provincialem electo.

Provincia ita inter Montes, ac Alpes, & ubertate Soli, & temperie Poli felices plantata, succedaneo conjugio sibi copulavit & Sveviam, & Alsatiam, & dum domesticæ pietatis exemplo in aliis firmavit Fidem, Apostolici laboris zelo in aliis peccati libertatem ligavit, ac incrementa frugum justitiæ Dei ita multiplicavit, ut Sacra Sedes eidem tum in laboris præmium, tum ad zeli stimulum Missionariorum privilegia jam anno 1608. communicaverit, Documento Authentico in Archivo Lucernæ adhuc asservato. Sine intermissione suam prosequitur Spartam, eo quidem fructu, ut intra septem annos, videlicet ab anno millesimo septingentesimo trigesimo tertio usque ad annum millesimum septingentesimum quadragesimum in Matricula Sacræ Congregationis pro more annotaverit:

A Fratribus exceptas Confessiones Sacramentales, Milliones sexaginta quinque, octuaginta duo millia, septingentas, & triginta quatuor.

Conciones habitas, viginti octo millia, sexcentas, & novemdecim.

Catecheses, sex millia, octingentas, & quatuor.

Absolutos ab heresi trecentos, & viginti novem.

Numerum hunc eò magis mirabitur, qui Provinciam jam bina vice divisam, ad paucos Conventus restrictam esse reflectet, fructumque hujusmodi, in aliis Germaniæ Provinciis, vel parem, vel majorem concludet.

Positi arctioris termini quasi pertæsa, Moscuam usque Spiritum zeli effudit, & ab anno millesimo septingentesimo decimo nono, quo Petrus Czaar Religiosos indifferentis Nationis, seu nulli Principi subditos, ac diversarum linguarum peritos in Catholicæ rei subsidium à S. m. Clemente XI. petiit, Missionem ibi celebri fructu excolit, ac in plerisque Regum, & Principum aulis, spiritualem Prætoriani militis curam exercet.

Viros ut habeat semper Apostolico labori aptos, ex speciali statuto, ad Sacræ Regulæ vota Clericum non admittit, qui ex doctrina, idoneus saltem Pœnitentiæ Minister futurus non præsumatur: nec multiplicat gentem sine delectu, nec ad Habitum Instantes, quos præter probitatem morum, honestas ortûs non commendat, admittit. Hinc inter Cantones Catholicos Familia nobilis, & Patritia vix ulla est; quæ Provinciæ, vel non dederit Filios, vel in hac non habuerit Fratres sibi sanguine junctos.

Nationis Germanicæ partes à sua origine sequitur, estque Provinciarum Teutonicarum Decana, ac diversis cum iis fruitur privilegiis. In medio Acatholicorum virens, inoffenso pede illorum terras excurrit, & dum crebra ab iis humanitatis & charitatis recipit argumenta, eorum Sectas modesto, discretoque zelo, tum per libros, tum per scripta, tum verbo, tum exemplo, potenter impugnat, hinc & non semel in Curia Romana, ex ore Eminentissimi D. Josephi Cardinalis Firrao, qui olim ibi Nuntium Apostolicum egerat, necnon & aliorum &c. laus de illa personuit, quod hæresis in Helvetiæ partibus plurimùm se dilataret, si Apostolicus Capucinorum fervor, effusi veneni progressum non inhiberet.

Quantùm de S. Fidelis à Sigmaringa Proto-Martyris gloria participet, præposita huic Tomo exhibet Dedicatio. Hujus Sacras exuvias dum Curiæ in Capella Fratrum conservat, tenet & Altorffii jam ab anno millesimo sexcentesimo vigesimo nono Cadaver Fr. Apollinaris, qui prædicti Sancti Martyris Frater secundùm carnem germanus, & Provinciæ unitæ Definitor fuit. Eo ipso tempore, & puncto, quo Fidelis in Rhætia sub fustibus & gladiis Martyrium subiit, hæsit & Apollinaris in pulpito Constantiæ quasi entheus, laudesque neo-Sanctorum Confessorum Ignatii Lojolæ, & Francisci Xaverii ad tempus interrupit, ut gloriæ neo-Martyris, & Fratris raptus congauderet. Præter eximiœ virtutis memoriam, reliquit Apollinaris Vitam S. P. Francisci latino metro conscriptam, quam ante quatuor annos è pulvere extractam typus in hac Provincia publici juris, & usûs fecit.

A Fidele, & Apollinare non sejungo Fr. Victorem à Solodoro, ex antiquo Nobilium de Wallier Stemmate, qui Primi in Missione Socius traditur, & cum Secundo eundem quietis & sepulturæ locum eodem anno habuit. Hic à Patre, sub Serenissimi Ducis à Longa Villa nomine Ducatum Neoburgi gubernante, Parisios missus, dum prius Christianissimi Regis Ephebum egit, castris postmodum destinatus, strenui belli & militum Ducis famam sibi comparavit. Patre autem vitâ functo, ad Matrem regressus, ejusque assensu veneranda Jerosolymę Sanctuaria invisendi lachrymis potius quàm verbis obtento, Lucernę ad B. Virginis Aram superno lumine illustratus desiderium sacræ peregrinationis in Vitę Capucinę votum anno 1595. convertit. Inter nostrates ita illico in virtute profecit, ut illum ceu Evangelicę perfectionis exemplar suspicerent: à rebus sæculi ita abhorruit, ut de iis nec loqui, nec quid audire vellet: donum orationis, & lachrymarum arcto custodivit silentio, & post exantlatos plurimos in

in Missione labores vitæ humanæ peregrinationem felici ad cœlestem Jerusalem transitu terminavit.

Seriem aliorum Virorum illustrium, quos Provincia unita numeravit amplos, ne reddam confusam, eam partior, Virosque, quos hæc Provincia habuit nativos, hîc solùm recenseo, narraturus alios, ubi Provinciarum ab ea sectarum occurret proemium. Meritò autem primatus datur Fr. Joanni Chrysostomo, ex Beuren, Ditionis San-Gallensis (ut nonnulli volunt) loco, & ex Illustri Schenkorum de Castell prosapia oriundo, qui virtutem, quâ Provinciæ munia ornavit, usque ad extases perfecit. In Puerum Jesum, cujus Imaginem prodigiis coruscam Salisburgum adhuc exhibet, miro ferebatur amore, fuitque inter Utrumque conversatio usque ad sacrum lusum familiaris. Abscondita cordium pluribus ad salutem patefecit, & læsam aliorum sanitatem devoto apud Deum patrocinio curavit; exit adhuc hæc virtus in accurrentem populum ê tumulo, quem Delemonti sub lampade Altaris Majoris tenet. Memoriæ illius, ut providè consuleretur, non solùm vita illius publico prælo vulgata, sed etiam de inducenda Beatificationis causa crebrior jam mota est quæstio.

Fr. Franciscus Sebastianus ab Altorffio, ex celebri Beroldingorum Stirpe, vitæ innocentiam rigidioris pœnitentiæ exemplo servavit: in actibus suis prudens ùt serpens incessit, ita, ut non solùm ei omnia Provinciæ munia fuerint collata, sed etiam à Sæcularibus Vir consiliorum sit habitus. Donum orationis fuit in eo peculiare, ac studium Teologiæ mysticæ continuum, fœcundumque libris, quos usui Meditationis, & Spiritualium exercitiorum pro Provincia aptatos, typis edidit. Pro fide, quę crebriora illo tempore subiit discrimina, certavit impiger, & fortis in bello militem Catholicum contra castra iniquitatis eduxit. Victima tamen fidei dum non occubuit, beatę confessionis titulo clarus obiit.

Exaltat Friburgum Nuithonum grato semper præconio Fr. Philippum ex Herisau, claro Cantonis Appenzellensis Oppido, qui de umbra Patriæ Sectæ ad admirabile veræ Fidei lumen translatus, inter nos luxit Sacerdos solidæ virtutis decore insignis, & in Cathedra verba Evangelii ita strinxit, ut Friburgenses Eum ceu virum Apostolicum audire turmatim contenderent. In via olim errans, Angelica manu ad vias rectas deductus est; Spiritu prophetico aliis vitam, sibimetipsi mortem prædixit: hanc pretiosam fuisse triplicatus Sol cum Cruce candida in aëre supra Conventum visus, & plura subsequa probârunt prodigia.

Fr. Ludovicus à Lucerna, ex antiqua, & nobili Dominorum à Will Prosapia, pingues Canonicatûs Beronensis proventus, paupere D. Francisci portione commutavit, Vir magni ingenii, & perfectæ virtutis; in officiis Provinciæ, quæ gessit omnia, Spirtum Seraphicum continenter exhibuit. Cultui Virgineæ Matris specialiter addictus. Sanctuarium eidem Beatissimæ Virgini in Monte, quem Sylvam Dei dicunt, erectum. eruditis emblematibus exornavit, ac memoriam benedictione populi plenam reliquit.

Fr. Apollinaris à Svitio, ex Patritio Juziorum genere ortus, militiam Regis Christianissimi deseruit, ut eam Regis immortalis, & invisibilis sub vexillo S. P. Francisci sectaretur. In pulpitis fuit Præco eximius, in præfectura Provinciæ zelator strenuus, & contra veritatis inimicos Defensor intrepidus. Colunt memoriam ejus Annales Principalis Monasterii Ordinis Sancti Benedicti ad Eremum B. V. Marię, quam S. Meinradi Martyrio sacratam, Einsidlam etiam nuncupant; cum enim nonnulli Clerici Regulares hujus Sanctuarii possessionem sub allegato neglecti Divini Officii prętextu sibi in Curia Romana quęrerent, in hac pręsens Apollinaris, inhianti pietati larvam abstraxit, valido veritatis testimonio subdola tentamina confutavit, callidumque opus reddidit irritum. Obtinuit quoque Romæ Indulgentias varias pro iis, qui in Ecclesiis locorum Svitii, Tugii, & Abbatiscellæ Juventutem in Doctrina Christiana instruunt, aut huic intersunt, & posita contra fabricam nostræ Domûs Arthę obstacula feliciter superavit: Spiritu Prophetico præditus Solodori vitâ cessit, cranio ejus

vigin-

viginti quinque post obitum annis (exesâ licèt reliquâ corporis parte) sine corruptione reperto.

Confessus, quem Fr. Sigismundus à Tugio ex Zurlaubianorum, Baronum de Thurn, & Gestellenburg, ac Dominorum in Hembrun, & Angliken Sanguine, undecies in Definitorio Provinciæ occupavit, prudentiam pietati sociatam apprimè testatur, hæc verò nomen ejus posterorum memoriâ dignum reddit.

Dum in Fr. Marquardo Sarnensi, ex patritio Imfeldiorum genere peritiam Architecturæ plura è fundamentis erecta, tum Virorum, tum Monialium cœnobia, ac speciosum Parochiale Templum in Küsnacht. commendant, celebriorem Eum in Architectura mystica Provincia experta est, dum Magister Novitiorum plura, & viva S. Spiritûs, & Francisci Templa recenti virtute ornata formavit. In humilitate ita excelluit, ut & præhabiti Definitoratûs officium, & alia munia quæque renuntiaret, perfectam virtutis suæ structuram quieta ascesi, & in meditatione Legis completurus.

Fr. Januarius Surlacensis, nostri temporis decus, fuit Vir plenus spiritu, quem gravitas vultûs ad similitudinem illius, quo S. P. Franciscus depingi consuevit, formati indicavit. Doctrina, quâ enituit, fuit illa Sanctorum, contemplationis spiritu commixta, in stuporem rapiens eos, qui illum vel in Schola legentem, vel in Pulpito perorantem, vel aliàs in foro discurrentem audiverunt. In Provinciæ gubernio, quod quinque vicibus suscepit, zelum Regularis Observantiæ cum discretione ita univit, ut, quantùm timoris, tantùm & amoris in Fratribus relinqueret. Vir Sanctus communiter est habitus, tum ob gratias, vel benedicendo, vel manus imponendo, vel preces fundendo variis concessas aut obtentas, tum ob vitæ innocentiam, quam illibatam servavit, tum ob extaticam devotionem, quâ in Deum, Deiparamque mirè exarsit. Stanislaus Rex Poloniæ, & Lotharingiæ Dux frequentius illius quæsivit alloquium, & in tesseram suæ erga illum existimationis & affectûs, Imagines S. Felicis à Cantalicio, & aliorum, Regia sua manu miniatas in donum dedit; Filia autem ejus moderna Galliarum Regina, adhuc cœlebs, secreta cordis non semel ei patefecit, & adgeniculata benedictionem ab eo Weissenburgi expetiit. Olæ infirmatus, ipsemet suum Confessarium è Cella vocavit, & ei agonem suum vicinum dixit. Occubuit quidem, vivit tamen in actorum gloria, & vitę Sanctę opinione.

Vivit & adhuc Fr. Apollinaris Svitensis ex Patritia Weberianorum Gente, qui post plures in Missione Moscovitica labores, Serenissimi, & ultimi Principis Jacobi Sobieski Theologus, & conscientię arbiter electus, instante hujus Filiâ, Reginâ Anglię &c. Clementina, Sacris Indulgentiarum & Rituum Congregationibus fuit adscriptus.

Continet Provincia

Conventus Fratrum XXIV.

Residentias Stabiles VIII.

Monasteria Monialium Tertiariarum Capucinarum sub delegata Fratrum curâ existentium VI.

Aliarum VIII.

Mo-

Monialibus Loci Wunenstein in Principali Ditione Sant-Gallensi Ecclesiam, Cœmeterium, & Sacellanum seu Sæcularem, seu Regularem concedi, Episcopo Constantiensi committit.

Venerabili Fratri nostro Episcopo Constantien.

LEO PAPA X.

Venerabilis Frater salutem & Apostolicam Benedictionem.

EXponi nobis nuper fecerunt Dilectæ in Christo Filiæ, Ministræ, & Sorores in Wunenstein prope Tüffen, Tertii Ordinis Sancti Francisci de Pœnitentia nuncupati, Dioec. Constantien. quod, cum illarum Domus inter montes & asperas sylvas, ac ab Ecclesia Parochiali, cui subsunt, haud parum distita existat, ita, ut difficulter, & subinde non sine periculo, aliquoties verò possibile non sit dictis Ministræ & Sororibus ob intemperiem & impetuosas pluvias diebus Dominicis & Festis, ad Sacrum Missæ Sacrificium audiendum, & SS. Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramenta recipienda ad prædictam Ecclesiam Parochialem se conferre: & præterea ipsa Ministra & Sorores sub cura FF. Minorum de Observantia nuncupatorum vivant, & secundùm privilegia, & Apostolicas immunitates, eidem Ordini FF. Minorum concessas, etiam Fratres & Sorores Tertii Ordinis pariter eadem privilegia, exemptiones dictum Fratrum Minorum quoad Oratoria, Sacella, SS. Altaris & Extremæ Unctionis Sacramenta, & adjacentia Cœmeteria, in quibus harum & illarum Familiarium cadavera sepeliuntur, habeant, & fruantur. Quemadmodum quoque Alexander PP. VI. Prædecessor noster, Ministris, Vicariis, & Custodibus prædicti Ordinis FF. Minorum concessit, & indulsit, ut Sæcularem Sacerdotem, vel aliàs etiam Regularem cujuslibet Ordinis, qui ex dictorum Vicariorum, Ministrorum, & Custodum licentia, prædictarum Sororum confessiones excipere, & alia Sacramenta administrare possit, admittere, & juxta eorum arbitrium dimittere possint; pro parte dictarum Ministræ & Sororum Nobis humiliter fuit supplicatum, quatenus ipsis & futuris Ministræ, & Sororibus concederetur, ut dictus Sacellanus per pariter prædictos Vicarios &c. recipiatur, qui Missam diebus Dominicis, & festivis, ac etiam alio quocunque tempore in Ecclesia seu Oratorio coram ipsis Ministra & Sororibus celebrare, alia Divina Officia peragere, SS. Altaris, & extremæ Unctionis Sacramenta administrare, & Verbum Dei prædicare possit, & econtra ipsa Ministra & Sorores prædictæ recepti Sacerdotis Missam, & conciones audire, SS. Sacramenta ab ipso recipere; nec non à quolibet Episcopo Catholico locum pro sepultura designari, Altaria, Calices & paramenta, ac Sacerdotales vestes ejusdem Ecclesiæ consecrari, & benedici facere; & in præfato Cœmeterio, postquam institutum fuerit, earundem Ministræ, Sororum & Familiarium cadavera sepeliri valeant, sine præjudicio Parochi dictæ Ecclesiæ Parochialis, Superiorum Ordinis FF. Minorum Observantiæ, & præfatæ Ministræ, Sororum, ac earum Familiarium; & Sacellanus Deputatus, quamdiu iis inserviet, omnibus & singulis privilegiis, exemptionibus, gratiis, quæ iisdem Sororibus concessæ sunt, potiri, frui, & uti liberè & licitè possit, & ita in præmissis earum statui, & saluti providere, auctoritate Apostolica dignaremur.

Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati, Discretioni Tuæ, Frater Episcope, committimus & mandamus, ut, si res ita constitutas esse inveneris, omnes & singulos articulos iis auctoritate Apostolica concedas, non obstantibus Apostolicis Decretis in Conciliis sive Provincialibus, sive Synodalibus editis, nec non quibuscunque Constitutionibus, & Ordinationibus. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris 11. Dec. MDXIII. Pontificatus nostri anno primo.

Breve form. in Archivo Episcopali Constantiæ, de quo copia in Germanicum Idioma traducta in Archivo Parthenonis.

NOTA.

MOniales hujus Loci Wunenstein, quæ defacto spirituali curâ Sant-Gallensi gaudent, prius RR. PP. Observantibus subjectas fuisse, Apostolici Brevis contextus probat; acceptis postmodum Constitutionibus, quas Moniales Congregationis Lucernensis servant, ex nostris extractas, relationem ad nostrum Ordinem acquisiverunt.

Nun-

PONTIFICIO ORACULO.

Per P. Procuratorem Generalem Ordinis P. Commissario intimato, licentia manducandi lacticinia tempore jejunii more aliarum Religionum in illis partibus, Provinciæ conceditur.

Reverende ac in Christo Observandissime Frater.

Literas vestras, mihi gratissimas recepi, &, ut onus humeris vestris impositum cum patientia supportetis, in responsum adhortor. Scit R. P. Generalis fructum, qui de vestra cura & gubernio isthinc colligitur, & ideo faciendæ mutationis spes non apparet &c.

Quod attinet licentiam manducandi lacticinia tempore jejunii, Illustrissimus D. Protector cum Sanctitate Sua desuper locutus est, qui & respondit, *se concedere, & in hoc dispensare juxta morem aliarum Religionum in illis partibus*, inde, quod ab his fieri consuevit, etiam à Vobis servari poterit.

Gaudeo de exemplo, quod ipsi quoque Acatholici de nostra simplicitate & paupertate sumunt. Advertite autem, ut hoc bonum principium cum vestro honore ad solatium, ædificationem & salutem tot animarum errantium, quas Deus ad suum ovile reducere velit, sartum tectum conservetur. Gavisus est de hoc plurimùm & ipse D. Cardinalis Protector &c. me sacris vestris orationibus commendo.

Romæ 28. Januarii 1583.

Fr. in Christo, Procurator Ordinis.

Fr. Silvester à Rossano.

Epistola Originalis in Archivo Provinciæ.

Nuntio Apostolico cum Clericis Presbyterandis tum super ætate pro uno anno, tum super interstitiis dispensandi facultatem largitur.

A tergo: *Venerabili Fratri Octavio, Episcopo Alexandrino, nostro & Apostolicæ Sedis apud Helvetios Nuncio.*

SIXTUS PAPA V.

Venerabilis Frater salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Ut Sacerdotum penuriæ, quam istis in partibus esse intelligimus, quantùm fieri potest, occurratur, Fraternitati Tuæ, ultra alias facultates, Tibi per Nos concessas, cum quibusvis Fratribus Capucinis Ordinis S. Francisci ad sacros etiam Presbyteratus Ordines promovendis, tam super ætate pro uno anno tantùm, quàm super interstitiis, si pro Ecclesiarum istarum partium utilitate, vel divini cultûs servitio ita expedire judicaveris, ut ad sacros, etiam Presbyteratus, Ordines &c. aliàs ritè promoveri possint, dispensandi, Apostolica Auctoritate, tenore præsentium facultatem coucedimus. Non obstan. præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, Die XII. Martii MDLXXXVIII. Pontificatûs nostri Anno tertio.

Aut. in Secret. Brev. Apost. Regest. mens. & anni præd. fol. 14.

EPISTOLA

S. Congreg. Episc. & Regul.

Novitiarum Ordinis Cisterc. Rathusæ Professionem, pro tunc à Fratribus nostris recipi, P. Provinciali committitur.

Reverende Pater.

Illustrissimi Domini mei Sacræ Congregationis Episc. & Regul. statuerunt, ut Novitiæ Monasterii Rathusæ, impræsentiarùm ex S. Sedis dispositione à vestris PP. Capucinis gubernatæ, Sacram Professionem in vestris emittant manibus, ita tamen, ut juxta statuta, & usum Regulæ obedientiam suis pro-

mit-

mittant Superioribus, & vos in horum nomine Professas recipiatis, prout æquum est. Inde ita exequi studete.

Romæ 22. Novembris 1593.

Ex Regest. Secret. Sac. Congreg. mensis & anni præd. fol. 343.

Domum cum Ecclesia Lucernæ à D. Casparo Pfiffer, Consiliario &c. latiùs constructam, à Fratribus sine scrupulo acceptari indulget, Scripturas desuper confectas confirmat, in Fabrica Monasterii, seu ornamentis aliquid à Superioribus immutari interdicit, Fratres in eo privilegiis &c. Ordinis frui declarat, ac Litterarum suarum executionem Abbatibus Ordinis S. Benedicti Einsidlæ, & Montis Angelorum, necnon Decano Uraniensi committit.

CLEMENS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

DEcet Romanum Pontificem ea suæ auctoritatis patrocinio confirmare, quæ ad divini cultûs, & Religionis propagationem piâ Christifidelium largitione facta esse nôscuntur. Sanè, cum, sicut accepimus, dilectus filius Caspar Pfiffer ex Consiliariis Civitatis Lucernensis, Constantien. Diæcesis, pro devotionis affectu, quem erga Ordinem Fratrum Capucinorum Sancti Francisci gerit, ductus, unum Monasterium, seu Conventum pro ipsis Fratribus Capucinis cum Ecclesia in eadem Civitate Lucernæ magno opere, & sumptu extruxerit, ac de licentia Superiorum eisdem FF. Capucinis concesserit, ut ipsi Fratres in eodem Conventu pro tempore degentes in præfata Ecclesia Altissimo perpetuò laudes & sacrificia offerre valerent. Cum autem ipsi Fratres eò, quia Ecclesia, & Monasterium latius, quàm aliæ eorum Ecclesiæ soleant, extructa & ornata existat, illam, nisi ad instar aliarum hujusmodi eorum Ecclesiarum & Monasteriorum moderetur, retinere fortasse renuant, & propterea prædictus Caspar cupiat fundationem & concessionem hujusmodi Apostolicæ Auctoritatis munimine roborari, & Ecclesiam ipsam aliquibus spiritualibus muneribus decorari, Nos ejusdem Casparis pio desiderio benignè annuere, eumque, ac dictum Ordinem Fratrum Capucinorum specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, supplicationibus nomine dicti Casparis Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, fundationem dictorum Monasterii, seu Conventûs & Ecclesiæ, quæ vulgò *Auff dem Wasemblim* dicitur, ac in honorem Dei, ac Beatissimæ Virginis, Sanctorumque Francisci, & Galli, ac totius Cœlestis Curiæ dicata existit, illiusque concessionem præfato Ordini Fratrum Capucinorum factam, ac quascumque scripturas publicas desuper confectas, & in eis contenta quæcumque, licita & honesta, ac Sac. Concilii Tridentini Decreto conformia, Auctoritate Apostolica, tenore præsentium perpetuò confirmamus, & approbamus, illisque perpetuæ, & inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes & singulos tam juris, quàm facti defectus, si qui intervenerint, in eisdem supplemus, ac præfati Ordinis Fratribus, ut Monasterium, seu Conventum, & Ecclesiam hujusmodi recipere, ac illorum possessionem apprehendere, aut apprehensam perpetuò retinere, ac in Monasterio seu Domo præfatis, unum ejusdem Ordinis Fratrum Conventum ad instar ejusdem Ordinis aliorum Conventuum erigere, & instituere, qui omnibus, & singulis gratiis, privilegiis, indultis, exemptionibus, & Indulgentiis, quibus alii similes Conventus fruuntur, potiuntur, & gaudent, uti, frui, potiri, & gaudere possunt, seu poterunt, quomodolibet in futurum, frui, potiri, gaudere, ac sine ulla differentia uti possint, valeant, & debeant: utque ex eodem Conventu nullo tempore à quacumque persona tam Ecclesiastica, quàm sæculari, quacumque Auctoritate fulgente eiici, expelli, aut amoveri, vel aliàs molestari, perturbari, inquietari quoquomodo possint, auctoritate, & tenore præsentium præfatis concedimus, & indulgemus: ac præterea tam ipsis Fratribus, quàm quibuscumque eorum Superioribus, & aliis, ne aliquid in dicti Monasterii fabricâ, seu ornamentis mutare possint, expresè interdicimus, & prohibemus.

Quocirca Dilectis Filiis Sacræ Eremi Beatæ Mariæ, & Montis Angelorum Abbatibus, ac Henrico Decano Uraniensi per præsentes committimus, & mandamus, ut ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel per alios, uti, & quando opus fuerit, præsentes litteras, & in eis contenta quæcunque solemniter publicantes, dictis Fratribus, & Conventui in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant eos præmissorum eorumdem effectu pacificè frui, & gaudere, non permittentes eos desuper à quopiam, quavis auctoritate, quomodolibet molestari, contradictores per censuras, & pænas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postpo-

poſtpoſita compeſcendo, legitimis ſuper his habendis ſervatis Proceſſibus, cenſuras, & pœnas ipſas iteratis vicibus aggravando, invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis, non obſtantibus quibuſvis Apoſtolicis, ac in univerſalibus, Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, à quibus caveri dicitur, ne Fratres cujuſvis Ordinis Mendicantium nova loca ad inhabitandum abſque ſpeciali licentia Sedis Apoſtolicæ recipere valeant, ac Regulâ noſtrâ de non concedendis Indulgentiis ad inſtar, necnon præfati Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate aliâ roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, Privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & approbatis, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris, Die XIX Februarii Anno MDXCIV. Pontificatus noſtri Anno tertio.

M. Veſtrius Barbianus.

Breve formatum in Archivo Lucernæ.

Indulgentias plenarias, eandem Eccleſiam Conventûs Fratrum Lucernæ in feſto B. Virginis Mariæ ad Coelos Aſſumptæ viſitantibus, & aliàs centum dierum coram quindecim Capellis in via ad Conventum erectis orantibus largitur.

PAULUS PAPA V.

Univerſis Chriſtifidelibus præſentes litteras inſpecturis ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

AD augendam Fidelium Religionem, & Animarum ſalutem, cœleſtibus Eccleſiæ theſauris piâ Charitate intenti, omnibus utriuſque ſexûs Chriſtifidelibus verè pœnitentibus, & confeſſis, ac Sacra Communione refectis, qui Eccleſiam Domûs FF. Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum ſub invocatione B. V. Mariæ, in Wâſemlin, prope & extra muros Oppidi Lucernæ, Conſtantien. Diœceſis, die feſto Aſſumptionis dictæ B. Mariæ Virginis, à primis Veſperis uſque ad occaſum Solis Feſti hujuſmodi ſingulis annis devotè viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, & S. Matris Eccleſiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Iis verò, qui quindecim Capellas in via, quæ à dicto Oppido ad eandem Eccleſiam tendit, conſiſtentes, ſingulis diebus totius anni piè viſitaverint, & oraverint, qualibet vice id egerint, centum dies de injunctis eis, ſeu aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Eccleſiæ conſueta relaxamus, præſentibus ad ſeptennium tantùm valituris. Volumus autem, ut, ſi aliàs Chriſtifidelibus dictam Eccleſiam viſitantibus aliquam aliam Indulgentiam perpetuò, vel ad tempus nondum elapſum duraturam conceſſerimus, præſentes nullæ ſint.

Datum Romæ apud S. Marcum ſub Annulo Piſcatoris XIX. Novembris MDCX. Pontificatûs noſtri Anno ſexto.

Scipio Cobellutius.

Breve formatum in Archivo Provinciæ, ab hoc tempore ſemper renovatum.

Senatui Friburgi Nuithonum, litteras à Fr. Paulo à Ceſena Commiſſario ſibi redditas, exhibitaque huic humanitatis officia ſibi relata eſſe reſcribit, ac zelum Senatûs, Pontificii amoris fide commendat.

A tergo: *Dilectis Filiis Conſuli, & Senatui Friburgenſi, Eccleſiaſticæ Libertatis Defenſoribus.*

PAULUS PAPA V.

Dilecti Filii ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUM jucunditate legimus litteras, quas ad Nos dediſtis Dilecto Filio Religioſo Viro Paulo de Cæſena, Ordinis Capucinorum Commiſſario, qui de ſingulari veſtra erga Sanctam hanc Apoſtolicam Sedem pietate, & devotione, deque humanitatis, & charitatis officiis, quibus illum excepiſtis, multa Nobis ſignificavit. Nos quidem Vos valde diligimus in viſceribus Chriſti, & magnum ſolatium capimus audientes veſtrum zelum, quem ut augeat Deus ad Religionis Catholicæ propagationem, veſtramque ſalutem, vehementer optamus, & Benedictionem noſtram Apoſtolicam Vobis peramanter impartimur.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub An-

Annulo Piſcatoris ſexta Idus Januarii MDCX. Pontificatus noſtri Anno quinto.

Petrus Stroza.

Autog. in Archivo Vaticano Secreto, *Regeſto Brevium* ad Principes *epiſt. anni* v. *Pontif.* 264.

Eidem Senatui ob controverſiam Monaſterii noſtri 1613. terminatam, & ob conceſſum Eccleſiæ B. V. Mariæ Altare privilegiatum perpetuum grates referenti, conſtantes Pontificiæ benevolentiæ ſenſus explicat, ejuſque conſtans erga Sedem Apoſtolicam ſtudium laudibus ornat.

A tergo: *Dilectis Filiis*, *Conſuli*, *& Senatui Reipublicæ Friburgi Eccleſiaſticæ libertatis Defenſoribus.*

PAULUS PAPA V.

Dilecti Filii ſalutem, *& Apoſtolicam Benedictionem.*

QUod in determinatione controverſiæ occaſione novi Monaſterii Ordinis Capucinorum apud Vos erigendi, & ex benignitate, qua Vobis conceſſimus Altare Privilegiatum iſtic in Eccleſia Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis pro celebratione Miſſarum ad impetrandam à Deo Animabus Chriſtifidelium, qui in charitate obierint, peccatorum ſuorum Indulgentiam, agnoveritis peculiarem charitatem, qua Vos in Domino proſequimur, ut ſcribitis: de quibus Nobis tanta cum ſignificatione veſtri in Nos obſequii gratias egiſtis, ſanè Nobis valde gratum fuit, & cum jucunditate legimus litteras, quibus hoc officium filialis obſervantiæ, ac pietatis veſtræ Nobis præſtitiſtis; ſicuti perlibenter quoque intelleximus, Venerabilem Fratrem Ladislaum, Epiſcopum Venafranum, olim apud Vos noſtrum Apoſtolicum Nuncium, in omnibus, quæ ad ejus pertinebant munus, ſatisfeciſſe. Diligimus Vos Filii plurimùm ob zelum Catholicæ Religionis, atque ſtudium, quod profitemini, hujus Sanctæ Apoſtolicæ Sedis, ac ſemper ex animo gaudebimus, quoties ſe Nobis obtulerit opportunitas dandi Vobis nova ſigna paternæ noſtræ dilectionis. Interim cum omni charitatis affectu Benedictionem noſtram Apoſtolicam Vobis peramanter impartimur.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris XVI. Kalendas Decembris MDCXIII. Pontificatus noſtri Anno nono.

Petrus Stroza.

Autog. in Archivo Vaticano Secret. Reg. Brev. ad Principes *epiſt. anni noni Pontificatûs* 147.

PONTIFICIO ORACULO.

Eccleſiam B. V. Mariæ in Werdenſtein Fratribus noſtris dari, & ab his acceptari, ratum haberi Senatui Lucernæ reſcribitur.

A tergo: *Peril. DD. Sculteto*, *& Senatui Civitatis Lucernæ Helvet. Cath.*

Perilluſtres Domini.

CUM Veſtræ Dominationes ſua mihi pia conſilia commendant, libenti animo ſero, ut pluribus mecum agant, quàm mea in Vos benevolentia requirit. Siquidem mihi gratiſſimum eſt pietati DD. Veſtrarum id totum concedere, quod facit ad majorem illius commendationem. Egi cum Sanctiſſimo Domino noſtro de Patribus Capucinis evocandis ad Eccleſiam B.M. Virginis Werdenſtenianæ. Et ſicut Suæ Sanctitati grata fuit Religio veſtra in ea Eccleſia reparanda, ita gratiſſimum, ut à Veſtris Dominationibus eadem colenda Religioſiſſimæ Familiæ tradatur. Spero fore, ut hoc ipſum pietatis DD. Veſtrarum ſpecimen ſatis futurum ſit ad eos alliciendos. Ceterùm Sua Sanctitas Procuratori Generali ejuſdem Familiæ mandare non prætermiſit, ut devotioni rei veſtræ publicæ obſequatur, niſi grave aliquod incommodum obſit. Quod cum fuſiùs Helveticæ Cuſtodiæ Capitaneus DD. Veſtris renuntiaturus ſit, ego illis omnem à Deo felicitatem exoro, & meam paratam operam deſero. Romæ 12. Julii 1614.

Peril. DD. Veſtrarum.

Studioſiſſimus
Scipio Card. Burgheſius.

Ex regeſt. epiſt. ad Principes, *&c. ab anno* 1609. *ad* 1614. *reſerv. in Arch. ſecret. Vatic. fol.* 584.

NOTA.

EXecutionem gratia non habuit.

PON-

PONTIFICIO ORACULO.

Per P. Procuratorem Generalem Ordinis P. Provinciali intimato, confeſſio, viſitatio, & cura ſpiritualis Monialium Tertii Ordinis Reformati Capucinarum, Civitatis Lucernæ, ad inſtantias Illuſtriſſimi Senatûs addicitur.

Beatiſsime Pater.

POſtquam Sorores Tertii Ordinis S. Franciſci in hac noſtra Civitate habitantes, ſalubri zelo commotæ, & à Deo inſpiratæ de vita, quam ducebant, largâ, & paulo minus ſæculari receſſerunt, & tum noſtro adjutorio, tum operâ RR. PP. Capucinorum Reformationi, & Regulæ S. Claræ ſeſe addixerunt, mediâ pietate, religione, & devotione, quæ cum obſervantia Regulari conjuncta in iis paſſim videbatur, illarum æquè numerus, ac populi noſtri erga eas benevolentia ſummopere adaucta eſt. Cum autem Domus iis per modum Monaſterii aſſignata, fuerit parva & anguſta, & numerus earum uſque ad triginta (res in hiſce partibus rara) excreverit, varia paſſæ ſunt incommoda. Quapropter Nos attenta illarum vita Religioſa, ac precibus, & inſtantiis Illmi, & Rmi Sanctæ Sedis in hiſce partibus Nuntii, qui tum RR. harum Matrum pietatem, & Regularem obſervantiam, tum habitationis anguſtias probè novit, incitati, iis locum pro conſtruendo Monaſterio illarum vocationi conformi aptum donavimus, & inſuper largo pecuniarum ſubſidio illius fabricam coadjuvimus. Quamvis autem ex hac parte jam magis conſolatæ defacto exiſtant, nihilominus ex alia cum anxietate adhuc vivunt, cum ſtabilis Moderator, & Viſitator, qui illas in plena, & vera Regulæ, & Statutorum obſervantia conſolidet, iis deficiat. Fungitur quidem Sacerdos Sæcularis, & Eccleſiæ noſtræ Collegiatæ Canonicus pius, & rectus impræſentiarùm hoc officio per modum proviſionis cum RR. Matrum ſatisfactione, ac noſtra; cum autem in ætate proficiat, & ſenſim hujus oneris reddatur inhabilis, alius Succeſſor idoneus ægrè reperietur. Cum Nos tamen ſufferre non poſſimus, ut Monaſterium, pro cujus decore tam ſolliciti laboravimus, & tot expenſas fecimus, in hoc notabili puncto maneat mancum, ad Paternam Sanctitatis Veſtræ benignitatem recurrimus, ac humillimâ filialique inſtantia Eidem ſupplicamus, quatenus tam pro plena harum RR. Matrum quiete, quàm noſtra conſolatione, & principaliter pro majore Dei gloria, & ſervitio deſuper opportuno remedio providere dignetur. Aliud autem magis proprium, ſecundùm noſtrum judicium, reperiri haud poterit, quàm ut hujuſmodi Viſitatio prædictis RR. PP. Capucinis committatur: cum enim ii Sorores prædictas Nobis commendent, ceu Religioſas pias, ſintque ejuſdem Ordinis & Regulæ, & ſpontaneè jam illarum confeſſiones excipiant, nullum videtur inconveniens, aut onus, ſi totalem illarum curam, & adminiſtrationem in ſe ſuſcipiant. Cumque à Sanctitate Veſtra ſimilem gratiam, & proviſionem cum RR. PP. Capucinis in aliis quoque locis factam eſſe intelligamus, majore fiducia, & noviter omni humilitate rogamus, quatenus diſponere, & Rmo P. Generali Capucinorum ordinare dignetur, ut ſuis Patribus hujus noſtri Conventûs harum RR. Matrum curam, & viſitationem in ſe ſuſcipiendam injungat. Acceptiſſima planè Nobis, & toti noſtræ Civitati erit hæc gratia, & paterna Sanctitatis Veſtræ benevolentia infinities Nos obligabit, & ſtimulabit ad officia noſtra pro manutentione, & propagatione noſtræ S. Fidei Catholicæ in hiſce partibus impendenda (prout retroacto tempore in quolibet caſu fecimus) & ad fideliter Sanctitatis Veſtræ, & Sanctæ Sedi obſequendum, prout tum vires noſtræ permittent, tum occaſio ſe præſentabit. Ad quod dum nos offerimus ex corde, cum debita reverentia ſacratos pedes oſculantes, ſanctam, paternamque Benedictionem precamur. Dat. 16. Julii 1619.

Sanctitatis Veſtræ.

Humillimi, & Obedientiſſimi Filii & Servi

Scultetus, & Senatus Civit. Lucernen.

Sanctiſſimus Dominus noſter Paulus PP. V. mandat attentis ſupra narratis, ut audiantur Confeſſiones harum Monialium ab illis Confeſſariis Capucinis, qui ad hunc effectum deputati fuerint à P. Provinciale noſtræ Provinciæ Helvetiæ. Mandat ulterius Sanctitas Sua, ut ab eodem P. Provinciale viſitentur, ſicut abs eo viſitantur aliæ Monaſterii in Urania prope Altorff, de quibus ipſe Pater ſcribit ſub die 14. Julii 1619. Sed hæc omnia ad triennium tantùm. In quorum omnium fidem Nos Fr. Hieronymus à Caſtro Ferrettorum, in Romana Curia Procurator Generalis, has præſentes manu propria ſubſcripſimus, & Sigillo officii noſtri ordinario muniri juſſimus, ac P. Provinciali ſubſcriptas, & munitas ad effectum executionis mittimus.

Datum Romæ die 21. menſ. Auguſti 1619.

NOTA.

Decreto adjunxit P. Procurator Generalis litteras ſequentes, P. Provinciali inſcriptas:

Reverende Pater.

Tranſmitto Paternitati Veſtræ Decretum, Libello ſupplici Sanctitati Suæ porrecto ſubjunctum, quo Sanctitatem ſuam abſolutè, & expreſsè velle advertet, ut Paternitas Veſtra in puncto Confeſſionis, Viſitationis, & reliquorum in omnibus, & per omnia quoad Moniales Lucernæ ſe regulet, prout illæ Monaſterii Vranienſis prope Altorffium gubernantur. Quantumvis prius, Nos ad hoc non obligari replicaverim, nihilominus, ut hoc onus in Nos ſuſcipiamus, Sanctiſſimus expedire judicavit. Inde, cum Sanctiſſimus, qui à Deo illuminatur, & in hoc mundo vices Dei gerit, ita ordinet, & nos quoque id ratihabere debemus. Sumamus inde conjunctim reſolutiones noſtras à Deo, cui me Paternitas Veſtra in ſuis orationibus commendare velit. Romæ 21. Auguſti 1619.

R. P.

Fr. Hieronymus à Caſtro Ferrettorum, Procurator Generalis.

Autographum Epiſtolæ, & Decreti in Archivo Provinciæ.

Prædictam Confeſſionis facultatem Apoſtolicis Litteris confirmat.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Spirituali dilectarum in Chriſto Filiarum, Prioriſſæ, & Monialium Monaſterii Sancti Franciſci Ordinis S. Claræ, Oppidi Lucernenſis, Diœceſis Conſtantien. conſolationi, quantùm cum Domino poſſumus, benignè conſulere, illaſque ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & earum ſingulares Perſonas à quibuſcunque excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti &c. abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus illarum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, dilectis Filiis Fratribus Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum ad Chriſtifidelium Confeſſiones audiendas ab Ordinario Loci approbatis, quatenus ad quindecim annos duntaxat, vel infra, ac accedente dilecti Filii Miniſtri Generalis dicti Ordinis conſenſu, Sacras Prioriſſæ & Monialium dicti Monaſterii Confeſſiones, ac in caſu neceſſitatis etiam intra ejuſdem Monaſterii clauſtra audire, illiſque pro commiſſis pœnitentiam injungere ſalutarem, nec non abſolutionis, præterquam in caſibus Sedi Apoſtolicæ, ac eidem Ordinario reſervatis, beneficium impendere, necnon Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum eiſdem Monialibus pro tempore ægrotantibus, & intra eadem clauſtra adminiſtrare, liberè, & licitè poſſint, & valeant, Apoſtolica Auctoritate, tenore præſentium concedimus, & indulgemus: non obſtantibus Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Monaſterii & Ordinis præfatorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXX. Decembris MDCXXV. Pontificatûs noſtri Anno ſecundo.

V. Theatinus.

Breve formatum in Archivo Provinciæ.

Statuta & Ordinationes Monialium prædictarum approbat, iiſque Apoſtolicæ firmitatis robur adjicit.

A tergo: *Dilectis in Chriſto Filiabus, Prioriſſæ & Monialibus Monaſterii S. Franciſci Ordinis S. Claræ, Oppidi Lucernen. Conſtantien. Diœc.*

URBANUS PAPA VIII.

Dilectæ in Chriſto Filiæ ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Veſtris in Nos, & Apoſtolicam Sedem Fidei, & devotionis meritis inducimur, ut votis veſtris, quantùm cum Domino poſſumus, favorabiliter annuamus. Specialem itaque Vobis gratiam facere volentes, & veſtrûm ſingulares perſonas à quibuſvis &c. cenſentes, ſupplicationibus veſtro nomine Nobis ſuper hoc

hoc humiliter porrectis inclinati, omnia & singula Monasterii vestri statuta, & ordinationes, quatenus tamen sint in usu, ac licita & honesta, nec revocata aut abolita, vel sub aliquibus revocationibus, aut abolitionibus comprehensa, neque Sacris Canonibus, & Concilii Tridentini Decretis, ac Constitutionibus Apostolicis adversentur, Apostolica Auctoritate, tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos tam juris, quàm facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, illaque omnia, & singula ab omnibus, ad quos spectat, & in futurum pro tempore spectabit, inviolabiliter observari debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, Die XIII. Januarii MDCXXV. Pontificatus nostri Anno secundo.

M. A. Maraldus.

Autog. in Arch. Secret. Brev. Apost. Reg. mens. & anni præd.

Fratribus, Indulgentias Ordinis in Ecclesiis sæcularium, in quibus divina officia peragunt, lucrari posse declarat.

URBANUS PAPA VIII.

Dilectis Filiis Provinciali, & Fratribus Ordinis Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupatorum Helvetiæ salutem, & Apostolicam Benedictionem.

AD augendam vestram Religionem, & animarum salutem cælestibus Ecclesiæ Thesauris pia charitate intenti, Vobis omnibus, & singulis verè pænitentibus, & confessis, ac sacra Communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis sæcularium Provinciæ prædictæ, in qua, seu quibus per vos Divina Officia, seu Ecclesiastica Sacramenta administrantur, devotè visitaveritis, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, & Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderitis, ut eas omnes, & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes consequamini, quas consequeremini, si aliquam ex propriis Ecclesiis vestræ Religionis personaliter, & devotè visitaretis, misericorditer in Domino concedimus. Non obstante regula nostra, de non concedendis Indulgentiis ad instar, cæterisque contrariis quibuscumque. Præsentibus, postquam proprias Ecclesias in eisdem vestris Domibus Provinciæ hujusmodi ad eum effectum ædificatas habueritis, minimè valituris. Volumus autem, quod si pro præsentatione, admissione, seu publicatione præsentium aliquid, vel minimum detur, aut sponte oblatum recipiatur, ipsæ præsentes nullæ sint eo ipso.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXX. Augusti MDCXXXIV. Pontificatus nostri Anno duodecimo.

M. A. Maraldus.

Autog. in Arch. Secret. Brev. Apost. regesto mensis, & anni præd.

NOTA.

ET vide extensionem hujus gratiæ ad sæculares fol. 23.

EPISTOLA

S. Congreg. Episc. & Regul.

Idæatum pro Sepultura Familiæ à Roll in Ecclesia Fratrum Altorffii concessa ornatum impediri, & ad Capucinæ simplicitatis limites reduci, Nuntio Apostolico ad Helvetos committitur.

Perillustris, & admodum Reverende Domine uti Frater.

EXposuit P. Procurator Generalis Capucinorum, quod Joannes Petrus unus ex Dominis de Roll Altorffii, ex affectu, & devotione, quâ erga prædictam Religionem & Ecclesiam eorum Conventûs ejusdem Loci Altorffii, à Colonello Waltero à Roll suo Genitore constructi, fertur, nonnulla ornamenta pro Sepultura, quam idem ejus Pater, in dicta Ecclesia pro se, & suis Descendentibus construendi, à fel. record. Clemente VIII. licentiam obtinuit, delineaverit, & præparet. Ad quod Eminentissimi Domini mei, dicta ornamenta dictæ Religionis instituto contrariari censuerunt, & à me Dominationi Vestræ scribi jusserunt, quatenus solita sua prudentia & dexteritate dictum Jo: Pe-

Petrum desuper reddat capacem, curetque, ut in gratia Familiæ suæ, ut supra, concessa se contineat, eaque fruatur cum ea simplicitate, quæ à Capucinis in fabricis & Ecclesiarum ornatibus servatur. Hoc, ut sequatur, procuret, nullâ novitate concessâ. Deus &c. Romæ 20. Oct. 1634.

Card. Ginettus.

Exemplar in Archivo Generali Ord. Arm. Provincia Helvetica.

EPISTOLA

S. Congreg. Episc. & Regul.

A Fratribus nostris Loci Stantii Monialium Tertiariarum Capucinarum confessiones excipi, Missam celebrari, cum ingressu Clausuræ SS. Sacramenta infirmis administrari debere, P. Ministro Generali significatur.

Reverende Pater.

Cum à sua Sanctitate, huic S. Congregationi Libellus supplex Monialium Tertiariarum S. Claræ, Loci Stantii, Dioec. Constantien. fuerit remissus, quo supplicârunt pro confirmatione nonnullarum declarationum, & articulorum provisionalium, abs Illustrissimo Domino Farnese, Patrassi Archiepiscopo, tunc Apostolico ad Helvetos Nuntio sub 6. Septemb. 1643. circa Clausuram, aliasque Monasterii necessitates, usque dum alia Româ superveniret dispositio, factorum: cumque in dictis declarationibus in specie contineatur, ut PP. Capucini harum Monialium confessiones excipere, Missam celebrare debeant, & in casu morbi Monasterium ingredi possint ad SS. Sacramenta infirmis administranda, Eminentissimi ac Reverendissimi Domini mei voluêre, ut Paternitas Vestra desuper informetur, quatenus nihil innovet, quin prius notitiam dederit, & S. Congregationis resolutionem desuper exspectaverit.

Romæ 22. Decemb. 1645.

Ex Regesto Autographo Congreg. prædictæ.

Senatûs Civitatis Solodoranæ dum de constanti erga Sanctam Sedem obsequio commendat, ab hac vicissim ejusdem pietati consuli æquum nuntiat, & ideo quoad illius petita circa nostros Fratres provideri, Apostolico Nuntio commissum esse significat.

A tergo: *Dilectis Filiis Sculteto, & Consilio Civitatis ac Reipublicæ Solodoren.*

INNOCENTIUS PAPA X.

Dilecti Filii salutem & Apostolicam Benedictionem.

Quæ perenni à Vobis obsequio in Catholica Religione constanter propugnanda, culta jamdiu est Apostolica Sedes, meritò Vos eadem vicissim tueatur, & quæ pietatis, ac publicæ tranquillitatis sunt, vestris votis ultro subscribat ipsa, annuatque. Quamobrem, quod pio nunc studio petitis de Religiosis Capucinis apud Vos commorantibus, perscripsimus ad nostrum isthuc Apostolicum Nuntium, ut perfici pro tradita sibi authoritate, curet; eaque Vobis instruat in Domino solatia, quibus & Divinum proferri cultum, & vestram in spectatæ Religionis, ac virtutis Viros laudabilem observantiam augeri perpetuò intelligamus. Parem in reliquis, quæ saluti, commodisque vestris conducere arbitrabimur, Pontificiam imposterum charitatem pollicemur, eâdemque nunc Apostolicè Vobis, ac paternè benedicimus.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XV. Januarii MDCXLV. Pontificatus Nostri Anno primo.

Gaspar de Simeonibus Secret.

Autogr. in Secret. Brev. ad Principes *f.* 85.

NOTA.

Quos Fratres hæ Litteræ Pontificiæ concernant, & quale eorum negotium tangant, Annales Provinciæ notant.

EPISTOLA

S. Congreg. Episc. & Regul.

Erectio novæ Domûs Loci Arthæ Nuntio Apostolico committitur.

Perillustris & Reverendissime Domine uti Frater.

ERectio novi Conventûs FF.Capucinorum in Loco Arthæ expediens judicata est, & Sanctitas Sua eam Dom. Vestræ committi voluit, prout mediante hâc Epistolâ Eidem necessaria facultas conceditur, servatis servandis, & dummodo pro fabrica sufficiens adsit subsidium, situs opportunus, concurrat Ordinarii & aliorum, si qui ibi sint, Regularium Mendicantium consensus, Populus erga Religiosos propensâ feratur voluntate, sitque in statu eleemosynas ita faciendi, ut ex his ad minus duodecim Fratres sustentari possint, & de reliquo omnes aliæ conditiones, per Apostolicas Constitutiones circa hujusmodi erectiones præscriptæ serventur. Quando autem dicta fabrica numeris omnibus fuerit absoluta, & juxta Capucinorum Institutum tum sacrâ, tum prophanâ suppellectile pro usu & habitatione duodecim Fratrum sufficiente munita, Dom. Vestra illam, locum & clausuram Religiosorum, juxta dispositionem Constitutionis s. m. Pii Papæ V. declarabit. Quod dum ex mandato Sanctissimi significo &c.

Romæ 27. Septemb. 1659.

Dominat. Vestræ

Uti Frater.

M. Card. Ginettus.

N O T A.

JUssa S. Congregationis, & Sanctissimi Illustrissimus & Reverendissimus D. Fridericus Borromæus, Patriarcha Alexandrinus, tunc Nuntius Apostolicus &c. prompta executione complevit, per Litteras P. Visitatori Generali inscriptas, tenoris sequentis:

Admodum Reverende Pater.

Communicata Nobis de mandato Sanctissimi à S. Congregatione, Episc. ac Regul. negotiis constituta, concedendi erectionem novi PP. Capucinorum Monasterii, in Arthensi Pago ædificandi, occasionem præbet, quâ Pat. Vestræ occupationibus ulteriores faciamus molestias. Earum summa est, ut velit in ipsa, quam aliàs instituere deberet, Visitatione Provinciæ, & præsertim in Locis supradicto Arthensi Pago finitimis, informationem sumere opportunam circa eas conditiones, quas eadem S. Congregatio requirere in novis ejusmodi erectionibus consuevit, Nobisque specialiter demandavit.

Debebit itaque examinare, an sufficientes constructioni & fabricæ sumptus haberi possint, situm opportunum & commodum eligere, & pro tali effectu certum habere, ab aliis circumstantibus non longè Conventibus informationem exquirere, an nova ejusmodi erectio ipsis præjudicium afferre possit, de Populi consensu, ac satisfactione prædictos Patres habendi requirere: ita etiam de facultatibus & animo circumcirca habitantium, unde sperari possint necessaria pro sustentandis ad minus duodecim Religiosis, tum etiam, si providendi sacram & religiosam suppellectilem media suppetant. Transmissâ nobis deinde à Pat. Vestra super prædictis punctis relatione, liberum erit principium ædificio & constructioni Conventûs; quod opus, uti speramus, Divinamque Bonitatem enixè rogamus, ad Fidei Catholicæ incrementum, Cantonum Catholicorum laudem, Deique Omnipotentis gloriam haud dubio consurget. Nostram denique semper Pat. Vestræ singulari virtuti propensam voluntatem offerimus. Hochenrein 23. Novemb. 1659.

P. V. A. R.

Studiosus

Fridericus Patriarcha Alexand.

Originale in Archivo Provinciæ.

Per-

Perſcripta æquè, ac voce per Carolum, & Joannem Leonardum Betſchart circa Fratrum noſtrorum negotium relata, debito examine ponderanda eſſe, Senatui Cantonum Svitii & Tugii renuntiat, &, ut moderamine animorum pacis ratio habeatur, eos hortatur.

A tergo: *Dilectis Filiis Sultetis, Landtamannis, & Senatui duorum Pagorum Helvetiorum Catholicorum Svitii, & Tugii, Eccleſiaſticæ libertatis Defenſoribus.*

ALEXANDER PAPA VII.

Dilecti Filii ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

QUÆ literis veſtris, & voce Dilectorum Filiorum Caroli, & Joannis Leonardi Betſchart de rebus ad negotium Capucinorum ſpectantibus expoſuiſtis, attentè audivimus, eiſque profectò debitæ conſiderationis examen impendetur. Porrò autem erit prudentiæ veſtræ, propriæ quietis rationem ſedulò habere, ac his, quæ ob eam vobis parandam decernentur, æquitatem & moderationem animorum accomodare; quod ſanè pro paterna, qua Vos in Domino complectimur, charitate magnopere cupimus, & ab Auctore bonorum omnium Vobis, Dilecti Filii, poſtulamus, Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertientes. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die xx. Auguſti MDCLX. Pontificatus Noſtri Anno ſexto.

Franciſcus Nerlius, Archiepiſcop. Florent. Secret.

Autogr. in Secret. Brevium ad Principes *fol.* 76.

Provinciam in duas; Helveticam videlicet, & Rhenanam Superiorem, ſeu Svevicam (nunc Anterioris Auſtriæ nuncupatam) dividi, P. Miniſtro Generali Ordinis committit.

A tero: *Dilecto Filio, Miniſtro Generali Ordinis FF. Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum.*

CLEMENS PAPA IX.

Dilecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti Filii Fratres Provinciæ Helveticæ tui Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, quod in Capitulo Generali dicti Ordinis noviſſimè in hâc Alma Urbe celebrato Definitio Generalis bene perſpectam habens Provinciæ prædictæ vaſtitatem, ob quam uni ſoli Miniſtro Provinciali penitus eſt impoſſibilis viſitatio conſueta, vigore Regulæ, & Conſtitutionum Generalium omnino requiſita ad conſervandam Diſciplinam Regularem, aliiſque graviſſimis cauſis conſideratis cenſuit eidem Provinciæ ſubveniendum eſſe per convenientem diviſionem, de hujus S. Sedis Apoſtolicæ licentia faciendam. Quare ipſi Exponentes Nobis humiliter ſupplicari fecerunt, ut ſibi in præmiſſis opportunè providere, &, ut infra, indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur dictos Exponentes ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares Perſonas à quibuſvis excommunicationis &c. & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ac de tua fide, prudentia, charitate, vigilantia, pietate, integritate, & Religionis zelo, plurimùm in Domino confiſi, Tibi, ut in actu Viſitationis memoratæ Provinciæ à Te benedicente Domino faciendæ, eandem Provinciam in duas, unam quidem Helveticam, alteram verò Rhenanam ſuperiorem, ſeu Svevicam, reſpectivè nuncupandas, Auctoritate noſtra Apoſtolica dividere, ac utrique Provinciæ hujuſmodi Conventus, Domos & Hoſpitia Provinciæ ſic dividendæ reſpectivè aſſignare, cæteraque in præmiſſis & circa ea quomodolibet neceſſaria, & opportuna facere, & exequi, liberè, & licitè poſſis & valeas, facultatem & licentiam, auctoritate prædicta, tenore præſentium tribuimus, & impartimur, ea tamen lege, ut per ejuſmodi diviſionem ſuffragia in Capitulis Generalibus Ordinis prædicti augeri non poſſint, ſed cujuſque Provinciæ ſic diviſæ Miniſtri Provinciales unà cum Cuſtode alternatim

natim eligendo in dicto Capitulo intervenire debeant, ita, ut tria tantùm vota, nempe duorum Ministrorum Provincialium, ac unius Custodis constituant: utque in prædictis Provinciis divisis novi Conventus erigi in posterum nullatenus possint sine expressa licentia dictæ Sedis, per litteras in simili forma Brevis expedienda, quæ deroget hujusmodi prohibitioni. Non obstantibus fel. record. Urbani PP.VIII. Prædecessoris nostri Litteris die XVIII. Junii MDCXLIII. emanatis, per quas inter alia Provinciarum dicti Ordinis divisio prohibita reperitur, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Ordinis, & Provinciæ hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & Consuetudinibus, Privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hâc vice duntaxat specialiter, & expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die VII. Septembris MDCLXVII. Pontificatus nostri Anno primo.

I. G. Slusius.

Breve formatum in Archivo generali Ordinis, Armario Provincia Helvetica.

P. Ministro Generali impedito, divisionis executionem Fr. Stephano à Cæsena committit.

A tergo: *Dilecto Filio Stephano à Cæsena, Ordinis FF. Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupatorum Professori.*

CLEMENS PAPA IX.

Dilecte Fili salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Aliàs pro parte dilectorum Filiorum Fratrum Provinciæ Helveticæ, Ordinis Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupatorum Nobis exposito, quod in Capitulo Generali dicti Ordinis novissimè in hac Alma Urbe celebrato, Definitio Generalis benè perspectam habens Provinciæ præfatæ nimiam vastitatem, ob quam uni soli Ministro Provinciali penitus est impossibilis visitatio consueta, vigore Regulæ, & Constitutionum Generalium omnino requisita ad conservandam Disciplinam Regularem, aliisque gravissimis caulis consideratis, censuerat eidem subveniendum esse per convenientem Divisionem, de hujus S. Sedis Apostolicæ licentia faciendam. Nos supplicationibus dictorum Exponentium nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, dilecto Filio nostro Ministro Generali Ordinis præfati, ut in actu visitationis memoratæ Provinciæ ab eo faciendæ, eandem Provinciam in duas, unam quidem Helveticam, alteram verò Rhenanam superiorem, seu Svevicam respectivè nuncupandas, Auctoritate nostra Apostolica dividere, ac utrique Provinciæ hujusmodi Conventus, Domos & Hospitia Provinciæ sic dividendæ respectivè assignare, cæteraque in præmissis, & circa ea quomodolibet necessaria, & opportuna facere & exequi liberè, & licitè posset & valeret, facultatem & licentiam eadem Auctoritate Apostolica tribuimus, & impertiti sumus, eâ tamen lege, ut per hujusmodi divisionem seu suffragia in Capitulis Generalibus Ordinis præfati augeri non possint, sed cujusque Provinciæ sic divisæ Ministri Provinciales, unà cum Custode alternatim eligendo in dicto Capitulo intervenire deberent, ita, ut tria tantùm vota, nempe duorum Ministrorum Provincialium, & unius Custodis constituerent: utque in Præfatis Provinciis divisis novi Conventûs erigi imposterum nullatenus possent sine expressa licentia dictæ S.Sedis, per litteras in simili forma Brevis expedienda, quæ derogaret hujusmodi prohibitioni, & aliàs, prout in nostris desuper & in forma Brevis die VII. Septembris proximè præteriti expeditis litteris, quarum tenorem præsentibus pro plenè & sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberiùs continetur.

Cum autem, sicut Fratres præfati Nobis denuo nuper exponi fecerunt, memoratus Minister Generalis visitatione Provinciarum dicti Ordinis in Regnis Neapolis, & Siciliæ consistentium facienda præpeditus, in Helvetiam tàm citò se conferre nequeat, interea verò periculum sit, ne incomoda, quibus Provincia supradicta, propter nimiam ejus vastitatem premitur, magis ingravescant, Nobis propterea iidem Fratres humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportunè providere, de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ipsos Fratres speciali favore gratiæ prosequi volentes, & eorum singulares Personas à quibusvis excommunicationis &c. censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ac de tua fide, prudentia, Ordinis usu, integritate, ac Religionis zelo plurimùm in Domino con-

consili, Te supradictæ Provinciæ Helveticæ Commissarium, & Visitatorem, Auctoritate Apostolica, tenore præsentium constituimus, & deputamus, Tibique committimus & mandamus, ut peracta hujusmodi visitatione, incommodis ex nimia illius vastitate provenientibus, secundùm datam Tibi à Domino prudentiam consulere satagas; &, quatenus opus sit, ad divisionem ejusmodi Provinciæ modo, & forma præmissis, ac salva remanente in reliquis omnibus, & singulis supradictarum nostrarum litterarum dispositione procedas.

Nos enim quamcunque necessariam, & opportunam ad id facultatem Tibi harum serie eadem auctoritate tribuimus & impartimur; non obstantibus præmissis, ac omnibus, & singulis illis, quæ in eisdem litteris concessimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XI. Octobris MDCLXVII. Pontificatûs nostri Anno primo.

I. G. Slusius.

NOTA.

Partes muneris sui P. Commissarius complevit sequenti instrumento:

In nomine Sanctissimæ, & individuæ Trinitatis, Humanati Jesu Christi Domini nostri, Beatissimæque semper Virginis Mariæ, & Seraphici Patris nostri Francisci. Amen.

Quia Magistrâ experientia evidenter patuit, frequentem Ministri Provincialis in anno per singulos suæ Provinciæ Conventus discursum, & Visitationem adeo regulari observantiæ esse necessarium, ut vix semel possit prætermitti, quin vitæ austeritas, severitas morum, & totius disciplinæ Religiosæ ædificium ruinæ fiat proximum. Hinc est, quod cum in pluribus nostris generalibus Comitiis in Alma Urbe celebratis, & potissimum in præterito anni elapsi Capitulo coram tota Definitione, nec non & in Visitationibus plurium PP. Generalium multoties expositum fuerit, atque ab ipsismet bene visum, & compertum, Provinciam Helveticam ita finibus, & ambitu vastam, ac numero Conventuum adeo dilatatam, ut minimè possibile sit Ministro Provinciali singulis ejusdem Provinciæ Conventibus binas (imò nec fere unam integram) visitationem impendere, atque adeo sancitum, dividendam fore, quippe quæ præ sitûs opportunitate, & Monasteriorum multitudine de facili in duas valeat resecari Provincias. Pro cujus Divisionis executione exoratus modernus Summus Pontifex Clemens IX. libentissimè votis annuit, instantibus & petentibus, imò urgentibus variis Magnatibus, & præsertim S. Cæs. Majestate Leopoldi I. Imperatoris feliciter regnantis per Serenissimum, & Eminentissimum D. Cardinalem de Hassia, atque Illustrissimis Dominis Cantonum Catholicorum, & ideo Breve super hoc specialiter concessum, & Admodum R. P. nostro Generali Fortunato à Cadoro porrectum, & exhibitum expediri fecit, tenoris sequentis, videlicet:

A tergo: *Dilecto Filio Ministro Generali Ordinis Fratrum Minorum Capucinorum nuncupatorum.*

CLEMENS PAPA IX.

Dilecte Fili salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exponi Nobis nuper fecerunt. Residuum, ut supra, in primis Pontificiis Litteris.

Postea verò, cum idem A. R. P. Generalis, uti aliis præpeditus negotiis, ac urgente ipsius Visitatione in extremis Italiæ plagis, haud potuerit huic interesse Divisioni, & ita supradictum Breve nullatenus effectum suum sortiri, idem D. Papa de hoc certioratus aliud expedivit Breve, Nobis immediatè tanquam Visitatori, atque Commissario Apostolico super istam Divisionem directum & emanatum, ex cujus tenore de verbo ad verbum fideliter descripto, quid in eo Sanctitas sua mandet, & præcipiat, rimari cuique licebit:

A tergo: *Dilecto Filio Stephano à Cæsena, Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupatorum Professori.*

CLEMENS PAPA IX.

Dilecte Filii salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Aliàs pro parte. Reliqua, ut supra, in secundo Brevi.

Quam.

Quamobrem eâ, quâ decuit, reverentiâ, supradicto Brevi Apostolico Nobis transmisso, & jam per Nos acceptato, atque in majus signum, præcipuè filialis, ac humilis obedientiæ erga S. Sedem, & eundem Summum Pontificem arrepto statim itinere (licèt inopportunâ tempestate) ex Provincia nostra Bononiensi ad hanc Helveticam convolavimus, ut cuncta Nobis in præfato Brevi imposita & contenta sine tardatione executioni demandare possemus, uti Deo prosperante, &, in quantum moraliter possibile fuit, feliciter absolvimus. Interea præmonitis Patribus istis de nostro adventu in Provinciam, intimatâque cunctis Fratribus visitatione ad mentem Sanctissimi facienda, majore, qua potuimus, solertia ad plura Monasteria, & loca nostra invisenda (ultra etiam quàm quod tempus permiserit) personaliter Nos contulimus. Auditis postmodum Fratribus oretenus, habitisque litteris à remotioribus & absentibus, auscultatisque multis Dominis in dignitate spirituali, ac temporali constitutis, aliisve Sæcularibus in voce & in scriptis, superatisque omnibus superandis difficultatibus, impedimentis & obstaculis, visum tandem repertumque fuit & exploratum, necessariam omnino (nemine fere dissentiente) fore, & esse Divisionem, necnon periculum in mora diutius protrahenda imminere, variis undequaque confluentibus, & concurrentibus rationibus & causis. Subinde quoque dimissis & relaxatis à Nobis Epistolis circulatoriis ad creandos Discretos in singulis Conventibus, & pro Capitulo nostro congregando in loco nostro Wilæ Turgoviæ, Principatûs S. Galli, pro die, qui est hodie 16. mensis Aprilis hujusce anni 1668. congregatisque congregandis Patribus Provinciale, Definitoribus, Custodibus, Guardianis, atque Discretis, iisque sic unitis, & in unum corpus in Nomine Domini redactis ad numerum 104. fuit per Nos expositum & repetitum Sanctitatis Suæ Breve cum facultate Apostolica Nobis super hoc Divisionis negotium tradita, & ad nostrum arbitrium commissâ: insuper exploratis iterum, atque iterum prædictorum omnium Patrum & Vocalium sensibus, non tantùm hi ad jussa Pontificia se paratos obtulerunt, quinimo omnes insimul gratias quàm maximas suæ Beatitudini egerunt, & Divisionem eorum Provinciæ pernecessariam esse asseveranter dixerunt, & perseveranter conclamaverunt. Quapropter & Nos idem judicamus, sentimus & consulimus, secundùm datam Nobis (uti in Brevi nostro legitur) à Domino prudentiam & intelligentiam, opus nempe esse, ut ad hujusmodi Provinciæ Divisionem procedatur, ac omnino sine delatione deveniatur. His igitur stantibus, concurrentibusque rationibus, sic, ut supra, allegatis, aliisque de causis maturè à Nobis & seriò discussis, perpensis, & consideratis.

Nos Fr. Stephanus à Cæsena Visitator, & Commissarius Apostolicus, tanquam vice Pontificia fungentes in isto Divisionis articulo, vigore præsentis Decreti, memoratis Brevibus innixi dicimus & decernimus, quod hæc ipsa Provincia, quæ à principio usque modò integra, indivisa, atque unita nominabatur (quoad nos Capucinos) Helvetica, quippe, quæ complexabatur Helvetiam, Sveviam, Brisgojam, Alsatiam, aliasque fortè Regiones quoquo nomine nuncupatas, ex nunc divisa & partita in duas existat Capucinorum Provincias, & pro duabus Provinciis hinc inde censeantur, & infacto sint duæ distinctæ, & separatæ, eadem, qua fungimur, Apostolica Auctoritate sententiamus, definimus, & declaramus, non solùm isto, sed & omni alio meliori modo: singula Monasteria utrique assignando, & dividendo loca, Regiones, & confines sequenti serie, & ordine, videlicet:

Helveticæ Provinciæ Monasteria.

1. Altorffium.	12. Sursejum.	23. Olta.
2. Stantium.	13. Kiensishemium.	24. Melsium.
3. Svitium.	14. Friburgum Nuith.	25. Wila.
4. Lucerna.	15. Bremgartha.	26. Selestadium.
5. Appencella.	16. Tanna.	27. Lansera.
6. Badena.	17. Brisacum Vetus.	28. Schuphemium.
7. Solodorum.	18. Hagenoa.	29. Bruntrutum.
8. Tugium.	19. Delemontum.	30. Curia, Missio.
9. Frauenfelda.	20. Obernehemium.	31. Artha, Missio.
10. Ensishemium.	21. Sulzium.	32. Bullum, Missio.
11. Rappersuila.	22. Sarna.	33. Molsishemium.

Svevicæ, sive Rhenanæ Superioris Provinciæ Monasteria.

1. Rheinfelda.	10. Cella.	10. Riedlinga.
2. Friburgum Brisg.	11. Ravenspurgum.	20. Bludentum.
3. Constantia.	11. Rottvila.	21. Immenstadium.
4. Feldkirchium.	13. Marchio--Bada.	22. Waldisbutum.
5. Biberacum.	14. Haslachium.	23. Lauffenburgum.
6. Neoburgum.	15. Offenburgum.	24. Marchdorffium.
7. Uberlinga.	16. Brigantium.	25. Villinga.
8, Enga.	17. Wanga.	26. Bezavium.
9. Rottenburgum.	18. Wilerstadium, Missio.	27. Möskirchium.

Confinia duarum Provinciarum sic, ut suprà, divisarum, sive limites ab utrâque parte in futurum exactè serventur, amplius non transgrediendi, censeanturque secundùm Rhenum Fluvium, ejusque decursum, ultra quem una, altera verò citrà terminetur Provincia, à Curia Marchiobadam usque cum suis territoriis extraneas Provincias excludentibus; exceptis Curiâ, & Brisaco, uti quæ ad Helvetiam; item Constantiâ, Lauffenburgô, & Rheinfelda cum suis utriusque Provinciæ respectivè territoriis, quæ ad Svevo-Rhenanam spectabunt, ita tamen, ut cum loca quædam unius Provinciæ alterius Conventibus adeò propè adjaceant, quod Religiosa servitia impendi à propriâ extraneis commodè nequeant, vicinioribus Con-

ventibus ea præstare, atque convenientes inde laborum fructus, & eleemosynas percipere liceat, prout ex paternâ charitate pro rerum, & temporum statu inter utriusque Provinciæ Patres Superiores conventum fuerit: idcirco unaquæque ex dictis duabus Provinciis, ut supra, vocatis, & nuncupatis, imposterum intra suos terminos degere, morari, & permanere satagat, neque illos unquam, nisi de superiorum Majorum licentiâ ulli Fratrum transgredi liceat, aut concessum sit.

Quam Divisionem, sive Provinciæ Helveticæ Partitionem, & Conventuum ipsius, ac locorum, suorumque confinium designationem in duas factam, explicitam, taxatamque ac publicatam, atque à cunctis Patribus, & Vocalibus in hoc Capitulo degentibus, etiam nomine Provinciæ divisæ, seu Provinciarum divisarum acceptatam, subscriptamque, ac sigillis utriusque confirmatam, assignamus, stabilimus, ac perpetuò permanentem, durabilem, atque immutabilem eadem Auctoritate Apostolica esse volumus, & statuimus, non obstantibus quibuscunque in contrarium facientibus, & opponentibus: suos Provinciales Ministros cum quatuor PP. Definitoribus eligere, cuique suo tempore licebit; Custodes quoque, Magistros Novitiorum, Lectores, cum Novitiatibus, & Studiis, Guardianis, & Fabriceriis, instituere, aliosve Officiales deputare curabit; & hæc omnia juxta præscriptum nostrarum Constitutionum, & Capitulorum Generalium Ordinationes; ita ut deinceps unaquæque ex his duabus sic, ut supra, divisis, cæteris nostræ Religionis Provinciis se conformet, in factoque sit, & inter illas adnumerari valeat, & possit, & debeat. Salvo tamen, quod Vocales concurrentes ad futura Comitia Generalia, parere, & se conformare teneantur dispositioni supra memoratorum Brevium, & omnibus in eis contentis.

Quæ omnia, & singula conclusa, adstipulata, ac publicata fuerunt in loco, tempore, modo, & formâ suprascriptis, ad Majorem Dei gloriam, & nostræ Seraphicæ Religionis augmentum, atque profectum.

Ita Ego F. Stephanus à Cæsena, Visitator, & Commissarius Apostolicus decrevi, ac definivi.
Ego Fr. Perfectus Constan. p. t. Helvet. Capucinorum Provinciæ Provincialis immeritus, nomine meo, & totius Provinciæ, approbavi, & acceptavi.
Ego F. Pelagius Stauff. Brisg. Capucinus, Definitor indig. supradicta omnia, & singula approbavi, & acceptavi.
Sic, & Ego F. Bonagratia Habsen. Alsata, Cap. Definitor indignus.
Ego F. Placidus Friburg. Brisg. Cap. Definitor indig. omnia, & singula approbavi, & approbo, & accepto.
Ego Fr. Januarius Worblingens. Capuc. Definitor indig. supradicta omnia, & singula accepto, & approbo.

Ex parte Helvetiæ.

Ego F. Benjamin Rappersvilanus Cap. Ex-Definitor indig. suprafacta amplexor.
Sic & Ego F. Appollinaris Suitens. Cap. Custos indig.
Sic & Ego F. Joan. Baptista Tugiens. Cap. Guardianus indig.
Sic & Ego F. Bonaventura Tugien. Cap. Guardianus hujus loci Wilensis.
Sic & Ego F. Crescentius Lucernens. Vicarius ejusdem loci Wilensis Capucinus.

Autographum in Archivo Provinciæ.

DECRETO

S. Congreg. Episc. & Regul.

In Provincia tum Superiorum electiones, tum Familiarum distributiones, tum omnes actus Capitulares liberos, & ab omni coarctatione immunes esse debere, declaratur.

Beatissime Pater.

Fratres Minores Provinciæ Helveticæ, Capucini nuncupati, Provincialis & Definitores, humiles Filii ad pedes Vestræ Sanctitatis prostrati, omni, quâ possunt, & quâ par est, demissione & reverentia supplicant, quatenus in suis electionibus Capitularibus, tam Provincialibus, quàm Localibus, nec non & in Familiarum suarum, Fratrumque dispositione liberè procedere valeant juxta Constitutiones suas, Apostolica auctoritate roboratas; qua in re non semel tantùm cum notabili communis pacis & tranquillitatis perturbatione impeditos se fuisse ingemuerunt, & non sine fundamento reformidant ulterius impediendos cum aperto Regularis Observantiæ evertendæ periculo, machinantibus in hunc finem quibusdam paucis Adversariis. Sanè sufficit præfatæ Provinciæ malum, quo vexatur exterius bello grassante, & omnia devastante per totam Alsatiam, in qua decem Conventus Fratres Capucini Provinciæ Helveticæ inhabitant; at contra illud Scripturæ, afflictis superadditur afflictio, &, dum bellum penè necessaria adimit corpori, machinationes contra Constitutiones vitam auferunt spiritûs, nullum relinquentes locum paci, & tranquillitati: à quibus cum se extricare per seipsos non valeant imbecilles Filii Capucini, ad Pedes Patris Clementissimi fiducialiter confugiunt, id unum petentes (ad quod cogi deberent, si non peterent, vel renuerent) scilicet

licet liberè vivere, & Deo servire juxta normam suæ vocationis, & status à Deo inspirati, & à Sede Apostolica confirmati, refrænatis cujuscunque in contrarium nitentis machinationibus. Pro qua gratia continuas ad Deum effundent preces, ut Sanctitatem Vestram pro universalis Ecclesiæ beneficio diu servet incolumem.

Sac. Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium negot. & consultat. Episc. & Regular. præposita, attentis expositis, statuit, atque decrevit prænarratas Superiorum electiones, Familiarum distributiones, omnesque alios actus Capitulares, Provinciales, seu Conventuales debere esse omnino liberos, atque ab omni restrictione, & coarctatione immunes juxta præscriptum, & dispositionem SS. Canonum, & Apostolicarum, ipsiusque Ordinis Constitutionum, aliterque factos, nullos & irritos esse declarat; quapropter Superioribus Regularibus mandat, & præcipit, ut hujusmodi liberam eligendi formam fideliter observent; & ab iis, ad quos spectat, observari faciant, contrariis quibuscunque non obstantibus. Romæ 31. Maii 1677.

Card. Gaspar Carpineus.

Autographum exemplar in Archivo Provinciæ.

Provinciæ post divisionem duos ad Capitulum Generale Custodes cum P. Ministro Provinciali ablegandi, novasque Domos sine Sanctæ Sedis licentia &c. construendi facultatem largitur.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

AD Pastorale fastigium, meritis licèt imparibus, Divinâ dispositione evecti &c.

Residuum vide supra fol. 20.

In erecto Majasi Hospitio Fratres nostros morari, ad Helvetiæ Catholicæ instantias concedit, hujusque zelum & pietatem laudibus effert.

A tergo: *Dilectis Filiis Scultetis, Landamannis, & Senatui Helvetiæ Catholicæ.*

INNOCENTIUS PAPA XII.

Dilecti Filii salutem & Apostolicam Benedictionem.

LIbenti prorsus animo annuimus precibus, quas ad Nos detulistis, ut facultatem tribuere vellemus aliquibus ex Ordine Capucinorum commorandi in Hospitio, quod nuper in Oppido, *Majasum* nuncupato, excitatum est, quemadmodum ex Decreto Congregationis negotiis Episcoporum & Regularium examinandis præpositæ, manifestè apparet; salutarem enim admodum futurum Fidelibus ibidem degentibus hujusmodi facultatem, planè confidimus. Pietatem autem, zelumque vestrum commendantes, de benevolentia Nostra certiores Vos facimus, Vobisque Apostolicam Benedictionem peramanter impartimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XIX. Januarii MDCXCII. Pontificatus Nostri Anno primo.

Marius Spinula Secretarius.

Autog. in Secret. Brev. ad Principes *Regest. mens. & anni præd. fol.* 120.

DECRETO

S. Congregationis Generalis de propaganda Fide habitæ die 16. Novemb. 1722.

P. Provinciali pro tempore quoad usum pecuniarum in Missionibus Rhætiæ sub quibusdam articulis providetur.

REferente R. P. D. Petro Aloysio Carafa, Archiepiscopo Larissæ, Secretario, Sacra Congregatio censuit, si Sanctissimo placuerit, dispensandum esse cum Patre Provinciali pro tempore Provinciæ Helveticæ Ordinis Capucinorum, in casu defectûs fidelis Syndici circa pecuniæ usum Curiæ, Zizerii, Undervazy

dervazy, & Mastrilsberg tantùm, additis conditionibus, videlicet, quando urget necessitas, ac invitat utilitas, doloque, ac fraude cessante, eorum sinceritatem cupiditas non seducit; eidemque P. Provinciali concedendam esse facultatem eodem modo, & cum iisdem conditionibus dispensandi cum suis Religiosis ei benevisis in præfatis locis tantùm, non obstantibus in contrarium quibuscunque.

Quod Sac. Congregationis Decretum Sanctissimo Domino Nostro per Eminentissimum, & Reverendissimum Dominum D. Cardinalem S. Agnetis in solita audientia relatum, Sanctitas Sua benignè approbavit. Datum Romæ die 12. Decembris 1722.

Joseph Card. Sacripantes Præf.

P. A. Archiepisc. Larissæ Secret.

Exemplar Autographum in Archivo Provinciæ.

N O T A.

Sociavit Decreto prædicto R. P. Procurator Generalis Literas, quæ sequuntur.

Reverende, ac in Christo Observantissime Pater.

Participo R. P. Vestræ Decretum S. Congregationis de propaganda Fide, quod hisce acclusum inveniet, cujus tenorem cum clausulis bene advertendis Ipsamet proplanè percipere & intelligere poterit. Porro cum usus, & tractatio pecuniæ non permittatur, nisi cum debitis cautelis, circumstantiisque urgentissimis, R. P. Vestræ injungo, ut prius omni, qua par est, sedulitate, & exactitudine circumspiciatur de aliqua Persona Catholica, ac fideli, sed non Religiosa, quæ munere Syndici ritè fungi velit & possit, &, ut neutiquam hac facultate utatur, nisi tantùm in casu, quo alius modus omnis deesset fideliter administrandi & impendendi eleemosynas Missionum allegatarum. Quæ omnia dum punctualiter observanda esse confido, me in omnia Sancta commendo &c. Romæ die 19. Decemb. 1722.

Fr. Petrus Maria, Proc. & Commissarius Generalis.

Autograph. in Archivo prædicto.

Privilegium aliàs Altari S. P. Francisci Ecclesiæ antiquæ Stantii concessum ad Altare S. Mariæ Magdalenæ in Ecclesia noviter extructa in perpetuum transfert.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Dudum felic. record. Clemens PP. VIII. Prædecessor noster, ut Ecclesia Conventûs Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupatorum, Loci Stantii, Constantien. Dioec. simili eousque privilegio minimè decorata, & in ea situm Altare Sancti Francisci hoc speciali dono illustretur, auctoritate sibi à Domino tradita concessit, ut, quoties ab aliquo Sacerdote dictæ Ecclesiæ duntaxat, Missa Defunctorum pro anima cujuscunque Chistifidelis, quæ Deo in charitate conjuncta ab hac luce migrasset, celebraretur, anima ipsa de thesauro Ecclesiæ Indulgentiam consequeretur, quatenus Domini Nostri Jesu Christi, & Beatissimæ Virginis Mariæ, Sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus à Purgatorii poenis liberaretur, prout in dicti Clementis Prædecessoris Nostri Literis desuper, & in simili forma Brevis die XIII. Martii MDXCVII. Pontificatûs sui anno sexto expeditis, uberiùs continetur.

Cum autem, sicut Dilecti Filii moderni Guardianus & Fratres dicti Conventûs Nobis nuper exponi fecerunt, præfata veteri destructâ, nova à fundamentis Ecclesia reædificata fuerit, ac proinde privilegium prædictum per Nos, ut infra, transferre, de benignitate Apostolica dignaremur, Nos supplicationibus dictorum Exponentium Nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, privilegium Altari S. Francisci pro animabus Christi fidelium

lium Defunctorum à poenis Purgatorii liberandis, per prædictum Clementem, ut præfertur, concessum, ad Altare S. Mariæ Magdalenæ in nova Ecclesia, sicut asseritur, extructum, servatâ tamen in reliquis Literarum memorati Clementis Prædecessoris formâ, & dispositione, Auctoritate Apostolica, tenore præsentium perpetuò transferimus, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXVIII. Septembris MDCCXXIV. Pontificatûs Nostri Anno primo.

Cardinalis Oliverius.

Breve formatum in Archivo Provinciæ.

Instante Ludovico, Galliarum Rege, Conventus Alsatiæ à Provincia separantur, & in Provinciam eriguntur.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

PAstoralis Officii, quo Catholicæ Ecclesiæ per universum ter rarum Orbem diffusæ regimini Divinâ Providentiâ præsidemus, solicitudo Nos admonet, ut felici prosperoque Religiosorum Virorum, Divinis Officiis, sub austerioris vitæ disciplina mancipatorum, suavique Christi odore de bona conversatione fragrantium statui, regimini & progressui, interdum etiam per novarum Provinciarum Institutionem providere studeamus, sicut sublimium Principum de Ecclesia Dei optimè meritorum vota postulant, ac rerum, temporum, locorum, & Personarum qualitatibus maturè perpensis, ad Omnipotentis Dei gloriam, & Religionis incrementum, atque salutem Animarum expedire in Domino arbitramur. Nomine siquidem Charissimi in Christo Filii Nostri Ludovici Francorum Regis Christianissimi Nobis nuper expositum fuit, quod, cum Provincia Helvetiæ, Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupatorum, quæ Conventibus variis in Ditionibus sitis constabat, inter alios Conventus hujusmodi, etiam illos complecteretur, qui in Alsatia, dominio ejusdem Ludovici Regis Christianissimi subsunt, multiplicia incomoda, detrimentaque præfatis Conventibus Alsatiæ, eorumque Fratribus enata fuissent, ac proinde Fratres præfati Definitorio Capituli Generalis in Alma Urbe nostra novissimè celebrati exposuissent, nullum aliud efficaciùs hujusmodi damnis sarciendis, aliisque imposterum avertendis remedium suppetere, quàm, quod prædicti Conventus Alsatiæ non modò ab Helveticis plenè segregarentur, sed etiam in novam Provinciam erigerentur. Definitorium ergo præfati Capituli Generalis die XXV. Junii Anno MDCCV. censuit, & decrevit: ut dicti Conventus Alsatiæ ab ipsa Provincia Helvetica penitus & totaliter separentur, ac tanquam Custodia à Provincia Helvetica independens pro tunc, donec sufficientem, & necessarium Fratrum, & Conventuum numerum haberet, soli MinistroGenerali ejusdemOrdinis subjaceret, & aliàs, prout in Decreto DefinitoriiGeneralis Capituli hujusmodi desuper edito, cujus tenorem præsentibus pro plenè & sufficienter expresso haberi volumus, uberiùs continetur.
Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, per enarratam provisionem à Definitorio Generalis Capituli susceptam, minimè statui, & religiosæ tranquillitati præfatorum Fratrum & Conventuum Alsatiæ usquequaque consultum sit, præfata verò Custodia undecim ad præsens Conventus, & quatuor hospitia, nec nonConventus singuli pro regulari observantiâ, & disciplinâ Religiosos numero sufficientes habeant, ac in Ordine præfato plures reperiantur Provinciæ, quarum aliquæ minori, quàm præfato Conventuum numero constituuntur, ideoque ex præfatis Hospitiis (utpote, in quibus sufficientes Religiosi sunt) formales Conventus facile erigi valeant; & si Fratres Helveti eam curam præfatorum Conventuum in ditione ejusdem Ludovici Regis Christianissimi existentium, ac inHelvetia positorũ gessissent, etiam antehac erigi potuissent: hisque accedat, quod inCustodia præfata ultra Novitiatum, ubi quatuordecim Novitii continuò habentur, ac quorum numerus augeretur, si per Ministrum Provincialem regeretur, Philosophiæque ac Theologiæ studia vigerent; quodque intra dictæ Custodiæ limites, illius Fratres ad victum, & vestitum necessaria abundè, nec magno labore, ex quæstuatione, ac Fidelium liberalitate colligenda inveniant. Quibus, aliisque gravibus rationibus consideratis, plurimùm expedire videtur, Custodiam præfatam in Provinciam erigi. Nobis propterea ejusdem Ludovici Regis nomine humiliter fuit supplicatum, ut in præmissis opportunè providere, & (ut infra) indulgere de Benignitate Apostolica dignaremur.
Nos igitur pro ipsius Regis Ludovici desiderio hac in re, quantùm in Domino possumus, favorabiliter annuere, ac firmiori solidiorique memoratorum in Alsatia, prædicti Regis dominio subjecta, ut præfertur, Conventuum statui & quieti, prosperoque regimini providere cupientes, hujusmodi supplicationibus incli-

inclinati, præfatam Cuſtodiam in novam Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum Provinciam (Alſaticam nuncupandam) quæ à congruis Miniſtro Provinciali ac Definitoribus, cæteriſque Superioribus, juxta ejuſdem Ordinis ſtatuta eligendis, nominandis, & deputandis regi, & gubernari debeat, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium erigimus, & inſtituimus, ac ipſi novæ Provinciæ ſic erectæ & inſtitutæ, illiuſque Conventibus, Hoſpitiis, Domibus, ac Miniſtro Provinciali & Definitoribus, cæteriſque Superioribus pro tempore exiſtentibus, Fratribuſque & Perſonis quibuslibet, ut omnibus & ſingulis Privilegiis, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, prærogativis, indulgentiis & indultis, quibus aliæ ejuſdem Ordinis Provinciæ, illarumque Conventus, Hoſpitia, Domus, Superiores & Fratres, aliæq; Perſonæ tam de jure, quàm de uſu & conſuetudine, & aliàs quomodolibet utuntur, & fruuntur, gaudentq;, ac uti, frui, & gaudere poſſunt, & poterunt in futurum, pari modo, & abſque ulla prorſus differentia uti, frui, & gaudere poſſint liberè & licitè, eadem auctoritate, harum ſerie ſimiliter, & perpetuò concedimus & indulgemus. Decernentes ipſas præſentes Litteras ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quocunque ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari, & ab his reſpectivè inviolabiliter obſervari, ſicque in præmiſſis per quoſcunque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Sac. Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac, quatenus opus ſit, noſtrâ, & Cancellariæ Apoſtolicæ regulâ de non concedendis Indulgentiis ad inſtar &c. aliiſq; Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non Cuſtodiæ, ac Provinciæ, & Ordinis præfatorum, aliiſq; quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel firmitate quavis alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apoſtolicis in Conventuũ præmiſſorum favorem quomodolibet conceſſis, confirmatis & innovatis.

Quibus omnibus & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hâc vice duntaxat, ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XVI. Decembris MDCCXXVIII. Pontificatus Noſtri Anno quinto.

Pro D. Cardinale Oliverio

Archiepiſcopus Emiſſenus.

Breve formatum in Archivo Provinciæ.

NOTA.

PRO Litterarum harum Apoſtolicarum executione fuit à Rmo P. Generali Commiſſarius Generalis per Patentes ſubſeqnentes deputatus R. P. Salomon Villinganus, Actualis Provinciæ Anterioris Auſtriæ Miniſter Provincialis, qui ea, qua polluit, ſagacitate, opus abſolvit, ſubnexo Inſtrumento:

In Nomine Sanctiſſimæ Trinitatis, Jeſu Chriſti D. N., Deiparæ ſemper Virginis Mariæ, ac Seraphici P. N. Franciſci. Amen.

Poſtquam Sanctiſſimus noſter Benedictus XIII. ad inſtantiam Chriſtianiſſimi Galliarum Regis Ludovici XV. Breve Apoſtolicum edidit de dato Romæ ad S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 16. Decemb. 1728. Pontificatûs ſui Anno V. ad effectum Alſatiam erigendi in Provinciam propriam: & in hunc finem per Eminentiſſimum D. Cardinalem Lercarium Litteris ex Urbe datis ſub 9. Martii 1729. Rmo P. Hartmanno Brixinenſi Ordinis Capucinorum Miniſtro Generali plenam contulit poteſtatem & authoritatem conſtituendi Commiſſarium pro executione hujus negotii: placuit eidem Reverendiſſimo Patri id Nobis ſubſignatis concredere per Litteras Commiſſoriales, ſequentis tenoris:

Reverendo in Chriſto Patri Salomoni Villingano, Fratrum Capucinorum Provinciæ Anterioris Auſtriæ Provinciali Actuali.

Fr. Hartmannus Brixinenſis Ordinis Cap. Miniſter Generalis (l. i.) ſalutem in Domino.

Cum Sanctiſſimus D. N. Benedictus Divina Providentia Papa XIII. ad inſtantiam Chriſtianiſſimi Galliarum Regis Ludovici XV. Ordinis noſtri Conventus cum Hoſpitiis in Alſatiæ Territorio eidem Chriſtianiſſimo Regi ſubjecto conſiſtentes, qui ante Comitia Generalia noſtra Romæ ultimò celebrata tanquam compars Provinciæ Helveticæ, ab ejuſdem Provinciali æquè, ac cæteri in Helvetia poſiti regebantur, *poſtea*

postea verò ad eorundem petitionem in consessu A. R. Definitorii Generalis sub die 25. Junii 1725. ab ejus regimine exempti, & in Custodiam nobis immediatè subjectam separati extiterant, hodiedum in distinctam Provinciam elevare decreverit, prout in Brevi ipsius SSmi Domini 16. Decembris anni proximè elapsi dato (cujus Originale penès R. P. Alsatiæ Custodem manet) nobisque authenticâ transmissâ copiâ uberius continetur: ac dein pro dicto Divisionis negotio pertractando Commissarium denominandi, qui Capitulo post Pascha in Alsatia celebrando cum opportuna facultate intersit, auctoritatem nobis committere sit dignatus, uti patet ex Literis Eminentissimi D. Cardinalis Lercari, cujus transumptum Authenticum manu R. P. Secretarii nostri subscriptum, & Ordinis sigillo munitum adjungimus.

Nos idcirco, qui Apostolicæ Sedis mandatis prompto animo obtemperare, & prædictum Divisionis negotium ad finem ultimatum deducere peroptamus, fiduciamque peculiarem de Reverendæ Paternitatis Vestræ ad id munus habilitate, prudentiâ, & zelo concipimus, præsentium Literarum, & memoratæ Pontificiæ facultatis vigore, cum sanctæ obedientiæ merito Paternitatem Vestram Reverendam in Commissarium eligimus, nominamus, ac deputamus cum plenaria auctoritate in dictam Alsatiæ Provinciam cum Sociis sibi bene visis quamprimum (his receptis) se conferendi, Capitulum congregandi, ejusque actibus Capitularibus, præcedentibus æquè ac subsequentibus, usque ad totale Commissionis præfatæ implementum præsidendi, electos canonicè RR. PP. Provincialem, & Definitores confirmandi, Guardianos, Superiores, seu Officiales ab ipsis eligendos approbandi, aut infirmandi totaliter, & eo modo, ac si nos ipsi præsentes existeremus, servando in omnibus constitutionum nostrarum, consuetamque in nostro Ordine procedendi formam ac tenorem.

Quoniam verò in ejuscemodi Provinciarum Divisionibus quædam inter utramque partem excitari solent difficultates, aut dubia, quæ, si à primordio legitimâ transactione non fuerint decisa, graviora postmodum fiunt, & controversiis fomentum præbent: Nos inter dilectissimos utriusque Provinciæ Patres, & Fratres omnem vel levissimi dissensûs materiam ex nunc totaliter resecare cupientes, Paternitati Vestræ Reverendæ memoratæ commissionis vigore injungimus, quatenus prædicto Capitulo Alsatico plenè peracto, convocatis RR. PP. Provinciali, ac Definitoribus Provinciæ Helveticæ ad certum Conventum vicinum intra Helvetiæ terminos constitutum, ibidemque pariter in unum convenientibus RR. PP. Provinciali, ac Definitoribus Alsatiæ neoelectis, Paternitate Vestrâ Reverendâ, vi præfatæ Commissionis nostræ Præsidente, consessus, seu Congregatio prædictorum RR. Patrum fiat, in qua omnia ex utraque parte emergentia dubia, vel quæ pro tempore oriri posse timeantur, concorditer in Domino, ac Spiritu Unitatis decisa, declarata, ac determinata remaneant, quæ scriptis consignata Paternitati Vestræ Reverendæ auctoritate roborata, & ab utroque RR. Definitorio respectivè subscripta in utriusque Provinciæ Archiviis reponantur, ac in perenne fœderis monumentum perpetuò asserventur. Ad quorum omnium, & singulorum complementum plenariam facultatem tam vi Pontificiæ nobis commissæ, quàm ordinariæ potestatis nostræ, Reverendæ Paternitati Vestræ delegamus, concedimus, & impertimur, præcipientes universis Fratribus nostris, ad quos pertinet, ut eidem in omnibus prædictis annexis vel connexis, incidentibus, vel dependentibus perinde, ac nobismet ipsis obedientiam præstent. Finito demum compositionis negotio ad propriam revertendi Provinciam facultatem pariter, ac Benedictionem Paternam affectuosissimè in Domino elargimur.

Datum & signatum in Conventu nostro Lugdunensi S. P. Francisci 13. Apr. 1729.

Fr. Hartmannus Brixinensis Minister Generalis ind.

Nos igitur tanquam Commissarius Apostolicus literis præmissis, eâ, qua par est, animi submissione ac reverentia susceptis, munus nobis injunctum modo præscripto condebitè executuri, de consensu Illmi D. Marechalli Comitis de Bourg in scriptis præviè obtento, contulimus nos Neo-Brisacum ad Conventum, & Locum Alsatiæ, Regi Christianissimo subjectum, ibique coram R. P. Patritio ex Hegenhaimb, Capucinorum Alsatiæ pro tempore Custode, & quatuor aliis eò expresè convocatis Patribus Guardianis viciniorihus, Colmariâ, Selestadio, Weinbachio, & Obernehemio, factâ legitimatione nostra, de eorumdem consilio Capitulum illicò conscripsimus Argentinam ad diem 17. Jun. anni currentis 1729.

Porro in his Provincialibus Comitiis omnibus & singulis pro exigentia, & necessitate debitè ac legitimè factis, ac dispositis cum neo-electis RR. PP. Provinciale, & Definitoribus profecti sumus ad Conventum Dornacensem, ubi RR. PP. Provincialis, & Definitores Provinciæ Helveticæ præviè desuper informati, jam erant congregati, de quorum omnium consilio atque consensu cum matura deliberatione conclusa, atque statuta sunt sequentia:

I. Ut à Nobis, tanquam Commissario, per circulares ad omnes utriusque Provinciæ Conventus literas exarandas publicetur, cuilibet Religioso liberum esse ad Helveticam, vel Alsaticam transire Provinciam, ita tamen, ut intra spatium unius mensis, videlicet usque ad primam diem Augusti exclusivè quisque sese resolvat, idque binis RR. Patribus Provincialibus decenter notificet, qui hoc non fecerit, præsumetur velle permanere in Provincia, in qua defacto moratur.

II. Hospitium Tabernis Montium deinceps subjectum sit & incorporatum Provinciæ Alsaticæ.

III. Binis Conventibus Provinciæ Helveticæ Bruntruti, & Dornaci maneat districtus per omnia, sicut ante Divisionem, salvis tamen juribus Provinciæ Alsaticæ pro varietate temporis.

IV. Ex Archivo Provinciali Provinciæ Helveticæ fideliter extradantur RR. Patribus Alsatiæ, quæcunque ipsis necessaria, aut utilia esse poterunt.

V. Consuetæ Charitatis exhibitio mutua utrimque continuetur, sicut ante hâc, exclusis tamen Professis ab anno 1730. inclusivè.

Ultimò tandem statutum fuit, ut nobis, tanquam Commissario, ad augmentum obligationis, ac utriusque Provinciæ RR. Patribus Divisionis negotium tractantibus exhibeatur triplex Charitas ab omnibus & singulis Religiosis nostris per Helvetiam, & Alsatiam. Nomina autem RR. Patrum sunt sequentia.

Ex Parte Provinciæ Helveticæ.

A. R. P. Nazarius Rhoetus p. t. Minister Provincialis.
R. P. Martinianus Tugiensis Ex-Provincialis, & Definitor.
R. P. Antonius Maria Lucern. Definitor & Custos.
R. P. Benno Stant. Definitor.
R. P. Mansuetus Friburgens. Definitor.
R. P. Gratianus Arthensis Ex-Definitor & Custos.

Ex Parte Provinciæ Alsaticæ.

A. R. P. Patritius ex Hegenheimb p. t. Minister Provincialis.
R. P. Bonagratia ex Hochstetten Definitor, Custos.
R. P. Fintanus Tambacens. Definitor.
R. P. Edmundus Tannens. Definitor.
R. P. Serenus Cæsarmont. Definitor & Custos.

Nos itaque hoc separationis, & conventionis instrumentum in duplo expeditum, & cuilibet Provinciæ consignatum, auctoritate nobis collatâ, omni meliori modo confirmamus, & corroboramus, sperantes, & in Domino confidentes, quòd, sicuti isti RR. Patres utriusque Provinciæ in summa pace, & optima intelligentia, cum maxima ædificatione nostra per omnia, & in omnibus amicissimè convenerunt, ita jugiter in eodem spiritu unitatis, & perpetuæ charitatis vinculo conjuncti sint permansuri.
Acta, & facta sunt hæc in Conventu Dornacensi Provinciæ Helveticæ die 3. Jul. 1729.

Fr. Salomon Villinganus, Provinciæ Capucin. Anterioris Austriæ Minister Provincialis & Commissarius Generalis Ind.

F. Nazarius Rhætus Provinciæ Capucin. Helvet. Provincialis ind.
F. Martinianus Tugiens. Def. Ex-Prov. Cap. ind.
F. Antonius Maria Lucern. Def. Cap. ind.
F. Benno Stant. Def. Cap. ind.
F. Mansuetus Friburg. Def. Cap. ind.
F. Gratianus Arth. Ex-Def. Cap. ind. Cust.

F. Patritius ex Hegenheimb Provinciæ Capuc. Alsatiæ Provincialis ind.
F. Bonagratia ex Hochstetten Def. Cap. ind.
F. Fintanus Dambacen. Def. Cap. ind.
F. Edmundus Thannen. Def. Cap. ind.
F. Serenus Cæsarmont. Def. Cap. ind.

Facultates Missionariæ, quæ de S. Sedis mandato Provinciæ concedi, & à quocunque Nuntio Apostolico confirmari solent.

Dominicus, Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus Ephesinus, ad Helvetios, Rhœtos, ac Valesianos, eorumque confœderatos & subditos, nec non ad Constantiensem, Basileensem, Sedunensem, Curiensem, & Lausanensem Civitates & Diœceses cum potestate Legati à Latere Nuntius &c.

Cum pro parte & ad instantiam A. R. Patris Provincialis RR. PP. Capucinorum Helveticæ Provinciæ fuerimus instanter rogati, ut aliquas facultates Patribus suæ Provinciæ intra districtum nostræ Nuntiaturæ existentibus, ad tantò ferventius salutem Animarum, dum sic expositi remanent, procurandam, de benignitate Apostolica concedere dignaremur, ejusdem supplicationibus clementissimè annuentes, subsequentes facultates ad totum tempus nostræ Nuntiaturæ duraturas concedimus;

I. Et in primis administrandi omnia Sacramenta, etiam Parochialia, in Diœcesibus, ubi non erunt Episcopi, vel Ordinarii, vel eorum Vicarii, vel in Parochiis, ubi non erunt Parochi, vel, ubi erunt, de eorum licentia.

II. Absolvendi ab hæresi, Apostasia à fide, & à Schismate quoscunque, etiam Ecclesiasticos, tam Sæculares, quàm Regulares, non tamen eos, qui ex locis fuerint, ubi S. Officium exercetur, nisi in locis Missionum, in quibus impunè grassantur hæreses, deliquerint; nec illos, qui judicialiter abjuraverunt, nisi isti nati sint, ubi grassantur hæreses, & post judicialem abjurationem illuc reversi, in hæresin fuerint relapsi, & hoc in foro conscientiæ tantùm.

III. Absolvendi à casibus Sedi Apostolicæ reservatis, etiam in Bulla Cœnæ Domini contentis primò conversos ad Fidem Catholicam tantùm, remissis aliis ad Nuntium Apostolicum.

IV. Absolvendi à censuris inflictis contra injicientes manus violentas in Clericos, vel Presbyteros, dummodo non sit secuta mors, vel

vel mutilatio, vel fractio ossium, in casibus tantùm occultis, secutâ tamen partis satisfactione cum obligatione parendi sententiæ, sive ordinationi Ordinarii loci, ubi patratum fuerit delictum, sub pœna reincidendi in easdem censuras.

V. Celebrandi Missam quocunque loco decenti unâ horâ ante auroram, & aliâ post meridiem, & super Altare portatile in casu necessitatis tantùm, & præsentibus hæreticis, aliisque excommunicatis, si aliter celebrari non possit, & non sit periculum sacrilegii, dummodo inserviens Missæ non sit hæreticus, vel excommunicatus.

VI. Dispensandi & commutandi omnia vota simplicia in alia pia opera, exceptis Votis Castitatis, & Religionis.

VII. Dispensandi in foro conscientiæ super irregularitate non perpetua, & ex delicto tantùm proveniente, & non deducto ad forum contentiosum, non tamen ex homicidio voluntario, aut bigamia, & hæresi.

VIII. Dispensandi in casibus tantùm occultis cum eis, qui jus petendi debitum conjugale amiserunt ob affinitatem supervenientem, cum gravi pœnitentia salutari, remotâ occasione peccandi cum Uxoris, seu Mariti consanguinea, seu consanguineo, dummodo nequeat ob periculum scandalorum scribi & exspectari à S. Nuntiatura dispensatio.

IX. Item dispensandi super impedimento occulto affinitatis ex copula illicita in primo, vel primo & secundo gradu, quando agitur de Matrimonio jam contracto, cum gravi pœnitentia salutari, & remotâ occasione peccandi cum consanguinea, seu consanguineo putatæ seu putati Conjugis, cum qua, seu cum quo ante Matrimonium peccaverat, renovato consensu, ita cautè, ut reæ, seu rei delictum nunquam detegatur, dummodo nequeat ob periculum scandalorum scribi, & exspectari à Sacra Nuntiatura dispensatio.

X. Dispensandi cum Conversis ad fidem in tertio & quarto consanguinitatis, vel affinitatis gradu simplici, & mixto quoad præterita matrimonia, & in prædictis casibus prolem susceptam legitimam declarandi.

XI. Item dispensandi cum iisdem super impedimento criminis, neutro tamen conjugum machinante.

XII. Dispensandi cum iisdem super impedimento publicæ honestatis justitiæ ex Sponsalibus proveniente.

XIII. Item dispensandi cum iisdem in impedimento Cognationis spiritualis, præterquam inter levantem & levatum.

XIV. Hæ verò Matrimoniales dispensationes, videlicet X. XI. XII. & XIII. non conceduntur, nisi de consensu Episcoporum, ubi erunt, & cum clausula, dummodo Mulier rapta non fuerit, vel, si rapta fuerit, in potestate raptoris non existat, & in dispensationibus hujusmodi facultatum tenor inseratur, cum expositione temporis, ad quod fuerunt concessæ. In quorum &c.

Datum Altorffii Uriorum ex Palatio nostræ Residentiæ 29. April. 1730.

D. Passioneus Archiep. Ephesinus.

Joan. Baptista Castoreus Cancel.

Authographum in Archivo Provinciæ.

NOTA.

JAM anno 1608. Provinciæ huic Privilegia Missionum à S. Sede concessa fuisse supra in præmio fuit relatum, iisque unita adhuc Anterioris Austriæ Provinciæ quietè semper usa fuit, præscripto suo tempore renovatis. Contigit autem, quod R. P. Perfectus Constantiensis, qui tempore divisionis Provinciarum, & utriusque Provinciæ Provincialis, & Missionum Præfectus insimul erat, Documentum Apostolicum commissæ Præfecturæ cum Privilegiis secum ad suam Anterioris Austriæ Provinciam, insignes Missiones per Wirtenbergiam, partem Rhætiæ &c. tunc numerantem detulerit, ex quo Provincia Helvetica diutius iis ob omissam illorum renovationem privata extitit. Erroris gnari Superiores efficaciùs, & per libellos supplices, typis vulgatos, Sacræ Congregationi de Propaganda Fide pro nova illorum communicatione institerunt, fuitque negotium seriò & diu in Curia Romana agitatum, ab Episcopis, ad quorum Diœceses Provincia extenditur, arbitrium & votum desuper petitum, ac denique his in diversa sensa abeuntibus, à dicta S. Congregatione resolutum, quod, cum Provincia in medio Acatholicorum sita, speciale, & probatum de Ecclesia haberet meritum, & ex vi suæ originis foret Missionaria, illi quoque ab Apostolicæ Sedis Nuntio, tunc Dominico Passionei, ea Privilegia, quæ huic magis proficua viderentur, concedi deberent, à Successoribus DD. Nuntiis Apostolicis confirmanda: prout jam studiosè practicatur, eâ meliore sorte, quod, dum Sacra Congregatio aliis Provinciis Privilegia sua ad loca Missionum restringit, ab Illust. DD. Nuntiis econtra toti Provinciæ illa concedantur, solo Articulo V. excepto, quem Illmus D. Nuntius Carolus Durinus ad loca Missionum primus limitavit.

DECRETO

S. Congregationis Indulgentiarum.

In Provincia Viam Crucis cum Indulgentiis à Fratribus nostris erigi indulgetur.

In Congregatione habita Feria 6. Die 13. Septembris 1737. in Palatio Apostolico Quirinali, propositum, & rescriptum fuit, quod sequitur.

Pro Provincia Helvetica.

Commendabilis sollicitudo Patrum Capucinorum difficilioribus obeundis Missionibus emicare videtur in Helvetica Provincia, ubi austerioris vitæ exemplo, & Apostolico munere, præsertim in adjuvandis Catholicis, desertam prope Vineam Domini colere satagunt. Inter plurima pietatis, ac Religionis opera, Dominicæ Passionis cultum impensiùs promoventes, Viam Crucis, qua patientis Domini Mysteria faciliùs meditantur, instituere cupiunt; quod quidem opus, ut uberiori fructu coalescat, opportunum, imò necessarium adstruunt à S. Sede Indulgentias eidem pio operi concessas assequi posse. Verùm, cum earum erectio tantummodo ad Fratres sub regimine P. Generalis Observantiæ limitata sit Vigore Brevis SSmi D. N. incipientis: *Exponi &c. sub Datum 16. Januarii* 1731. Quorum in Provincia Helvetica neque Conventus, neque Missionarii degunt, ut testatur etiam P. Vice-Commissarius Generalis Observantiæ; hinc Patres Capucini supplicant pro facultate erigendi Viam Crucis in eadem Provincia cum concessione consueta Indulgentiarum. Remissis itaque à SSmo D. N. huic Sacræ Congregationi precibus, porrectis à P. Generali Capucinorum, instante etiam nomine totius Helvetiæ, ne scilicet tam præclaro spirituali emolumento careant incolæ Fideles, Acatholicique magis, ac magis ædificentur; dignabuntur idcircò EE. VV. respondere.

An Patribus Missionariis Capuccinis degentibus in Helvetica, ubi non adsunt Patres Minores de Observantia, danda sit facultas erigendi Viam Crucis cum Indulgentiis adnexis in casu? &c.

Respondit: *Auditis RR. Patribus Observantiæ, & ad Mentem, quæ in Sacro consensu concors fuit, ut semoto quocunque irreverentiæ periculo, quod in Locis Acatholicorum subesse supponebatur, petita facultas Provinciæ concederetur; in audientia autem Pontificia Sanctissimum inter - et Emin. D. Cardinalem Picum, S. Congregationis Præfectum fuit concordatum, ut à RR. PP. Observantibus, ceu quos Sacra Sedes privilegio Sanctæ Crucis ob onerosam Sacrorum Locorum Jerosolymitanorum Custodiam privativè distinxisset, Apostolicæ Concessionis diploma expediretur, prout & humanissimè fuit expeditum, sub tenore sequente.*

Fr. Joannes Antonius à Sancta Cruce, Ordinis Minorum Regularis Observantiæ S. P. N. Francisci Lector Jubilatus, & in hac Cismontana Familia tam Observantium, quàm Discalceatorum Vice-Commissarius Generalis, & Servus.

Dilecto plurimùm in Christo R. P. Ministro Provinciali, Ordinis Minorum Capucinorum, Provinciæ Helvetiæ, ejusque successoribus salutem.

Cum à Summorum Romanorum Pontificum largitate, & clementia concessa nobis sit, veluti peculiare nostri Ordinis decus, & ornamentum facultas erigendi ubique Terrarum Vias Crucis, quas ajunt, ad illarum similitudinem, quæ in sanctis Palestinæ locis, ac præsertim Hierosolymis sunt, dummodò tamen id fiat per aliquem ex nostris Fratribus, Ministro Generali, totius Ordinis Fratrum Minorum immediatè subjectis, qui ad id priùs necessariam à Superiore Generali obtinuerit facultatem. Cumque aliundè Eminentissimus, ac Reverendissimus DD. S.R.E. Cardinalis Picus nobis perhumaniter significaverit, Catholicos Helvetiæ Populos magnoperè efflagitare, ut detur ipsis tam pium, ac Sanctum exercitium inire, & Indulgentias ei annexas lucrari; & insuper ductus zelo, ac studio Christianæ Pietatis fovendæ, ac propagandæ dignatus sit à SSmo D. N. Clemente XII. feliciter regnante, nobis opportunam impetrare potestatem, quâ in prædictis locis Helvetiorum, in quibus Conventus nostri Ordinis non reperiuntur, neque ea, ob nimiam distantiam, nostri Religiosi adire possunt; ad erectionem Viæ Crucis Patres Minores Capucinos sufficere valeamus, quemadmodum suis literis hesterna die nobis communicavit; quapropter nos vehementissimè cupientes ad majorem Dei Gloriam, & ad memoriam Passionis D. N. Jesu Christi jugiter in Fidelium mentibus augendam Sanctissimum Viæ Crucis exercitium ubique agi, & celebrari, Tibi, Admodum Reverende Pater Minister Provincialis præmemoratæ Provinciæ, ac Successoribus tuis pro tempore existentibus, facultate à SSmo D.N. Papa Clemente XII. nobis benignè concessa, per has nostras litteras copiam facimus, quatenus per vos ipsos, aut per alios Religiosos Viros,

vestræ

vestræ curæ immediatè subjectos, à Vobis ad hunc effectum specialiter deligendos, in recensitis tantùm Helvetiorum Regionibus, in quibus aliquot incliti, ac piissimi Ordinis Vestri Conventus extant, Vias Crucis erigere possitis, ad hoc, ut Christifideles Indulgentias omnes à Summis Pontificibus concessas operam dantibus Viæ Crucis devoto exercitio, lucrari, & consequi possint, & valeant, servatis in omnibus summorum Pontificum Constitutionibus, & Decretis hac de re editis. Et Deus pacis sit cum omnibus Vobis. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas dedimus, & majori Sigillo Officii nostri muniri jussimus.

Datum Romæ ex Aracœli, Die 17. *Januarî Anni* 1738.

Fr. Joannes Antonius à S. Cruce, Vice-Commissarius Generalis.

Loco ✠ Sigilli.

De mandato Paternitatis Suæ Rmæ Fr. Æmilius de Luca, Secret. Gener.

NOTA.

GAudet & Provincia aliis Privilegiis, quæ, ne in forulis Archivi delitescant, & econtra Fratrum usui pro quocunque casu obvia sint, hìc annecti consultum ductum est. Et quidem primò gaudet facultate benedicendi, ac distribuendi cum Indulgentiis Coronas Domini, vulgò Camaldulenses nuncupatas, & instituendi Confraternitates de Passione Domini Nostri Jesu Christi, concessâ, ut sequitur:

Don Zenobius Valmori de Florentia, Abbas Generalis totius Ordinis Camaldulensis A. RR. PP. Provinciali, ac Definitoribus Actualibus, & Habitualibus Provinciæ Helveticæ Capucinorum salutem in Domino.

Unigenitus Dei Filius assumptâ in Immaculatæ Virginis Utero humanæ Carnis substantiâ, ita Redemptionis nostræ opus salutiferâ morte suâ consummavit, ut ejus Sanctissima Vitæ, ac Passionis Mysteria nobis exempla forent, quatenus tutissimum ad Cœlum iter, & pararetur, & monstraretur. Ideò Divinitùs factum est, ut B. Michael Camaldulens. Eremita Coronam Domini ad ipsius Christi Jesu Vitam, Passionem, Mortemque recolendam, repetitâ per tres Decades, ac ter quoque insuper Dominicâ Oratione, necnon quinquies, initio scilicet, post quamlibet Decadem, & tandem in fine, distributâ Salutatione Angelicâ, institueret. Quod saluberrimum orandi genus, vel cùm primum institutum est, Sanctæ Apostolicæ Sedis approbatione, ac uberi Indulgentiarum dono, atque piorum frequenti recitatione statim confirmari cæpit, ac propagari, idque in dies inter Fideles jugiter ampliatur, solidaturque. Nos itaque considerantes muneris nostri partes esse, Sanctissimæ hujus Coronæ cultum, quantùm in nobis est, augere, ac etiam, ubi Ordo Noster neque Monasteria, neque Eremos habet, extendere, idcirco in totâ Provinciâ Helvetiæ in id nostros veluti Coadjutores ex Venerab. Ordine vestro Paternitates Vestras admodum RR. Provincialatûs, ac Definitoratûs respectivè officio durante, vestrosque, dum tamen prædictis actu muneribus fungentur, successores assumimus, quibus vigore Apostolici Indulti Nobis per Litteras in formâ Brevis à SS. DD. N. PP. Benedicto XIII. concessi, eadem communicatur facultas, quâ Eremitæ, ac Monachi nostri tantùm per S. Sedis prædictæ concessionem potiuntur, tradendi, ac benedicendi Domini Coronas, ad hoc, ut recitantes, seu deferentes ipsas, Indulgentias lucrentur, prout ad Majorem Dei gloriam, & Animarum salutem communicamus, ac impertimur. Et insuper auctoritatem erigendi præfatæ Coronæ Domini societates, seu Confraternitates in eâdem Provinciâ, quoties expedire acciderit, concedimus. Quâ communicatione, & concessione Vos, & unusquisque vestrûm uti sic poteritis, quousque duntaxat Ordo Camaldulensium in vestris Regionibus Monasteria, Eremos, & loca quælibet fixa non constituerit, & ita concedimus, indulgemus, ac declaramus ad preces R. P. P. Michaelis Helveti, dicti Capucinorum Ordinis, & moderni Germaniæ Secretarii Generalis. In quorum fidem &c. Datum Faventiæ ex Monasterio nostro SS. Hippolyti, & Laurentii Die 21. *April.* 1735.

D. Zenobius Abbas Generalis supradictus.

Loco ✝ Sigilli.

D. Aurelius Stecchi Abbas Cancel. Camald.

Recipit, & Fideles ad Confraternitatem B. V. Mariæ de Monte Carmelo, vigore facultatis subnexæ:

Fr.

Fr. Isidorus à Cruce, Vicarius Generalis Carmelitarum Discalceatorum, Congregationis S. Eliæ Ordinis B.V.M. de Monte Carmelo, Reverendo Admodum P. Ant. Mariæ Lucernensi, actuali Provinciæ Helveticæ Ministro Provinciali, Ord. Capucinorum, necnon in officio Provincialatûs ejusdem Provinciæ Successoribus, Salutem in Domino sempiternam.

Attentis enixis precibus tuis Nobis porrectis, quibus annuere libenti animo volentes, ut magis augeatur Mariana Devotio, Tibi, necnon Successoribus tuis in eodem Officio Provincialatûs, de quorum probitate, ac prudentiâ multùm in Domino confidimus, benignam facultatem, ad beneplacitum nostrum, Successorumque nostrorum duraturam, tenore præsentium impertimur, posse Christi Fideles admittere ad Confraternitatem Beatissimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo, sicuti Scapularia parva à Confratribus, & Consororibus ejusdem Confraternitatis gestari solita, benedicere, Ipsisque imponere, cum Benedictione, & ceremoniis consuetis, itemque Benedictionem, ac plenariam Indulgentiam in Articulo Mortis impendere: dummodo tamen id fiat in locis, ubi Conventus nostri Ordinis non reperiuntur. Insuper Tibi, & Successoribus tuis pro tempore, licentiam subdelegandi unum Religiosum in quocunque Conventu tuæ Provinciæ, qui potestatem habeat Scapularia parva benedicendi, & imponendi Fidelibus, Benedictionem, ac plenariam Indulgentiam in Articulo Mortis impendendi, necnon admittendi ad eandem Confraternitatem, itâ tamen, ut nomina conscripta transmittantur ad viciniorem Confraternitatem, ut in libro notentur ejusdem Confraternitatis. Datum Romæ in Conventu nostro SS. Theresiæ, & Joan. à Cruce, die 15. Jun. 1736.

Fr. Isidorus à Cruce Vic. Generalis, qui supra.

Locus † Sigilli.

Fr. Pompejus à S. Bernardino, Secret.

Et impertitur Absolutionem generalem, & Indulgentiam Plenariam in Articulo mortis Fratribus, & Sororibus Confraternitatis Sanctissimi Rosarii.

Nos Fr. Thomas Ripoll, S. Theologiæ Professor, ac totius Ordinis Prædicatorum humilis Magister Generalis, & Servus, Omnibus præsentes inspecturis salutem in Domino sempiternam.

Exponi Nobis fecit A. R. P. Provincialis Provinciæ Helveticæ, Ordinis Fratrum Capucinorum, quod pluribus in Ecclesiis per præfatam Provinciam à Nobis, ac à Prædecessoribus nostris, Auctoritate Apostolicâ canonicè erectæ existant Confraternitates SS. Rosarii, & ejusdem Fratres, ac Sorores adeo numero excreverint, ut ob distantiam locorum, & loca alpestria Ordinarii Directores, & Capellani dictarum Confraternitatum per se ipsos nequeant sufficere ad impertiendam Fratribus, & Sororibus ex hâc vitâ decedentibus Absolutionem Generalem: ne autem hujusmodi Sodales hoc spirituali gratiarum thesauro priventur; Nobis supplicavit, ut quibusdam Sacerdotibus sui Ordinis facultatem concederemus impertiendi dictam Absolutionem Generalem. Nos piæ ejusdem petitioni benignè annuentes, harum serie, & Auctoritate Apostolica Nobis concessa damus licentiam, & facultatem illis Sacerdotibus, & Confessariis dicti Ordinis, & Provinciæ, quos A. R. P. Provincialis pro tempore ad id munus designaverit, ut in absentiâ Sacerdotis Ordinis Prædicatorum, aut Ordinariorum Directorum, seu Cappellanorum dictarum Confraternitatum, quorum jus, & facultatem salvam volumus, Fratribus, & Sororibus dictæ Confraternitatis in Articulo Mortis Indulgentiam Plenariam à Summis Pontificibus concessam, mediâ consuetâ formâ Absolutionis Generalis applicare valeant. In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Quibuscunque in contrarium non obstantibus. Gratis ubique, & semper. In quorum fidem his propriâ manu subscriptis Sigillum officii nostri apponi jussimus. Datum Romæ in Conventu nostro S. Mariæ super Minervam, Die 10. Octobris 1739. Anno Assumptionis nostræ decimoquinto.

Fr. Thomas Ripoll, Magister Ordinis.

Registr. pag. 7.

Locus † Sigilli.

Fr. Emericus Langenwalter Magister, & Socius.

Benedictionem cum Indulgentia Plenaria pariter largiuntur Fratres hujus Provinciæ in Articulo Mortis omnibus Christifidelibus indistinctè, facultate Apostolicâ petitâ & obtentâ, ut sequitur.

BEATISSIME PATER.

Fr. Benno Stantiensis, Capucinus, Provinciæ Helvetiæ Minister Provincialis, Sanctitati Vestræ humillimè supplicat pro facultate; ut tam ipse, quàm omnes alii Religiosi sui subditi Christifidelibus, quibus in mor-

mortis articulo assistent, Indulgentiam Plenariam impertiri valeant, præsertim cum in dicta Provincia non existant Patres Ministri Infirmorum. Quam gratiam &c.

Ex audientia Sanctissimi die 4. *Mensis Septembris* 1740.

Sanctissimus benignè annuendo pro gratia concessit Oratori, aliisque Religiosis suis subditis facultatem impertiendi Benedictionem cum Indulgentia plenaria Christifidelibus, quibus in Articulo Mortis assistent, in introenuntiata Provincia tantùm, ac in absentia Episcoporum respectivè locorum, & Patrum Ministrantium Infirmis.

Joseph Livizanus Secret.

Autog. harum facultatum in Archivo Provinciæ.

Decreta Senatûs Uraniensis de administratione Cappellaniæ Curatæ in Realp Fratribus nostris ab Episcopo commissa reprobat, & ut hæc revocet, Paternâ in Rempublicam charitate hortatur.

A tergo: *Dilectis Filiis Landamano, & Consilio Pagi Uraniensis.*

CLEMENS PAPA XII.

Dilecti Filii salutem, & Apostolicam Benedictionem.

QUò magis de vestro erga Nos, atque Apostolicam Sedem obsequio, dignaque Religiosissimis Filiis observantia certum atque exploratum Nobis est, eò dolentiùs percipimus, Vos omnibus vestræ Ditionis gravibus sub pœnis mandâsse, ne se dispositioni factæ ab Ordinario Curiensi quoad administrationem Cappellaniæ Curatæ in Realp audeant opponere; vi cujus eadem Fratribus Capucinis fuerat commissa, quamvis legitimâ, diuque meditatâ sententiâ à Venerabili Fratre Archiepiscopo Edessæ, Nostro, & Apostolicæ Sedis apud Helvetios Nuntio pronuntiatum aliter fuerit, post accersitum triplici citatione, ac plures hebdomadas exspectatum ipsum Commune, siquid haberet, quod Uraniensi Clero, suum jus postulanti, contradiceret. Hanc enim verò Ecclesiasticæ jurisdictioni, nostroque Administro inflictam Decreto vestro injuriam, nec ferri à Nobis posse, & nimis à vestra, Maiorumque vestrorum Religione alienam, Vos tandem reputaturos non dubitamus; utque ad eam promptè benevolentissimèque removendam, eo ipso Decreto abolito, inducatis animum, Vos pro commisso Nobis Apostolicæ servitutis munere, eximiaque in vestram Rempublicam paterna charitate nostra summopere incendimus, atque adhortamur, vehementer soliciti de sempiterna salute vestra, quæ quidem ex hujusmodi Sacrarum Legum neglectu magnum discrimen adiret. Istud autem, ut monitis nostris, & vestræ æquitati obtemperantes, magnanimo studio alacriùs caveatis, Vobis, Dilecti Filii, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, Die III. Decembris MDCCXXXVIII. Pontificatûs nostri Anno Nono.

Jo: Vincentius Lucchesinius Secret.

Autog. in Secret. Brev. ad Principes *reg. mens. & anni præd. fol.* 294.

Controversiam de Sacellano Curato in dicto Loco Realp constituẽdo agitatam ad se avocat, & in talem, Sacerdotem Sæcularem, vel Regularem, præsertim Fratres Nostros deinceps eligi posse declarat, à Parocho Ursariæ unicè confirmandum.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

GRavissima omnium Ecclesiarum sollicitudo à Pastorum Principe Jesu Christo, cujus supremas vices, planè immerentes, gerimus, imbecillitati nostræ injuncta exposcit, ut ad æternam Animarum salutem, suaviter fortiterque procurandam, ita Apostolicæ providentiæ, Auctoritatisque partes collocare studeamus, ut curam Ovium Nobis divinitùs commissam iis Ductoribus in partem concredamus, quos verbo, & exemplo ad salutaria pascua præeuntes, illæ non fugiant, sed eorumdem vocem audientes sequantur.

Quoniam autem, sicut Nobis nuper exponi

ni fecerunt dilecti Filii, Universitas, & Homines Loci Realp, Vallis Urseræ de Andermatt Curien. Diœc. ipsi quoad Spiritualia Parochiali Ecclesiæ ejusdem Urseræ, quæ ab Anno DCXII. per dilectos Filios Monachos Ordinis S. Benedicti, Monasterii Dissertinensis in Rhætia administrata, post Annum MCCCLXVI. Parochos etiam Presbyteros ex Clero Sæculari habuit, subjecti, Anno MDXVIII. operâ cl. mem. Matthæi S. R.E. Cardinalis Schiner obtinuerunt, ut ab eadem Parochiali Ecclesia Urseræ separarentur, & Ecclesiam, vulgò Capellaniam curatam, Filialem tamen ipsius Parochialis Ecclesiæ Urseræ propriis sumptibus fundandam erigerent, construerentque, prout erexerunt, construxeruntque. Præter cætera autem in hujus separationis, & erectionis Cappelluniæ Instrumento contenta, illud quoque concessum fuit, ut Capellanus ab Hominibus Realpensibus electus, à Parocho ejusdem Parochialis Ecclesiæ Urseræ primùm confirmari, deinde ab Episcopo, pro tempore existente, Curiensi, Loci Ordinario approbari deberet, prout in prælaudato Instrumento, cujus tenorem præsentibus pro expresso haberi volumus, uberiùs asseritur contineri.

Primus itaque, quem hujus novæ Cappellaniæ Cappellanum instituerunt, fuit quidam Sacerdos Monachus Ordinis, & Monasterii præfatorum; post hunc Presbyteri quoque Sæculares fuerunt, qui propter reddituum, emolumentorumque tenuitatem, loci asperitatem, ac nivium pericula post paucos annos curam hujusmodi relinquebant, adeo, ut ab Anno MDCCX. ad Annum MDCCXXXV. undecim consequenter Cappellani numerentur, qui Cappellaniæ munus, vix aditum dimiserunt.

Quamobrem ad pro tempore existentem Episcopum Curien. habito recursu, ut ministerium Cappellaniæ prædictæ à dilectis pariter Filiis Fratribus Ordinis Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupatorum exerceretur, ab eodem Episcopo Curien. votorum suorum compotes facti, obtinuerunt insuper patentes Litteras, Die VII. Maii MDCCXXXV. expeditas, adjectâ tamen conditione, ut collaudatio etiam Sæcularis Potestatis Uraniæ accederet, prout factum fuit.

Interea dum suscepto cum magno Animarum solatio, ac fructu, Cura hujusmodi ab iisdem Fratribus Capucinis administraretur, quatuor, aut quinque Capellani in Ospital, dicti *Clero Uraniense*, ut, inde Fratribus Capucinis antedictis expulsis, unus ipsorum subrogaretur, apud eumdem Episcopum Curiensem institerunt, ac insimul, ut Universitati, & Hominibus Realp prædicta commendarentur, petierunt, ob incapacitatem verò ab ipso Episcopo Curiensi rejecti, Apostolicum tunc temporis nostrum apud Helvetios Nuntium adierunt, qui Nuntius juxta exposita ab iisdem Capellanis sententiam tulit, cujus causâ nonnullis subortis dissidiis, non solùm Universitas, & Homines Villæ Realp præfatæ, sed etiam Pagi Altorffi Magistratu, revocato quodam in contrarium sententiæ prædictæ edito Decreto, Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut ad eadem dissidia præcidenda, & imposterum procul avertenda, tranquillitatemque, quâ sub regimine Fratrum Capucinorum hujusmodi fruebantur, conservandam, atque Divinum Cultum adaugendum in præmissis providere, &, ut infra, de Benignitate Apostolica indulgere dignaremur.

Nos igitur, præviâ avocatione ad Nos causæ hujusmodi, & revocatione sententiæ cujuscunque desuper editæ, Exponentes prædictos specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ut de cætero quemcunque Sæcularem, sive in subsidium Sacerdotem cujusvis Ordinis, ac præsertim dicti Ordinis S. Francisci Capucinorum Regularem, de suorum Superiorum licentia à pro tempore existente Rectore, seu Parocho Ecclesiæ Parrochialis Vallis Urseræ prædictæ unicè confirmandum, & à pro tempore pariter existente Episcopo Curiensi ad Sacramentorum administrationem pro idoneitate, & capacitate approbandum Universitati, & hominibus prædictis eligendi, & nominandi facultatem, Auctoritate Apostolica, tenore præsentium concedimus, & impertimur.

Decernentes easdem præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, plenissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari; Sicque & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Sedis Apostolicæ Nuntios, aliosque quoslibet, quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublatâ eis, & eorum cuilibet quâvis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, si secus super his, à quoquam, qua vis auctoritate scienter,

ter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon cujuſvis Ordinis, etiam juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hâc vice duntaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, atque derogatum eſſe volumus, & etiam ex eo, quod non fuerint vocati, quicunque in præmiſſis intereſſe fortaſſe haberent, cœteriſque contrariis quibuſcunque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, Die XI. Decembris MDCCXXXIX. Pontificatûs noſtri Anno decimo.

D. Card. Paſſioneus.

Breve formatum in Archivo Provinciæ.

NOTA.

INſtrumentum in Litteris Pontificiis memoratum, ſub ſequenti tenore erat expeditum.

In Nomine Domini Amen.

Nos Matthæus, Divina Miſeratione, tituli S. Pudentianæ, Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyter Cardinalis Sedunenſis, & Felix Frey, Artium Magiſter, Præpoſitus Eccleſiæ SS. Martyrum Felicis & Regulæ Præpoſituræ Tigurinæ, Conſtantien. Diœceſis, Provinciæ Moguntinæ, arbitri, arbitratores, ſeu amicabiles Compoſitores ad cauſam & cauſas, ac à Partibus infraſcriptis concorditer electi, notum facimus univerſis, & ſingulis præſentium Inſpectoribus, & quos præſens tangit negotium, ſeu quomodolibet tangere poterit in futurum, harum ſerie litterarum, quod hodie die videlicet datarum præſentium Tiguri in Curia Præpoſitali noſtri prælibati Præpoſiti corom Nobis Matthæo Cardinali, ac Felice Præpoſito, in Notarii publici, ac teſtium fide dignorum ſubſcriptorum, ad hoc vocatorum præſentia perſonaliter comparuerunt providus Vir Nicolaus Molitor, Incola loci de Realp, Parochiæ Urſeren. Curienſis Diœceſis, Procurator, & eo nomine univerſorum Habitatorum, & Incolarum dicti loci de Realp, & ab eiſdem ad infraſcripta ſolùm, & in ſolidum generaliter, & ſpecialiter conſtitutus, prout de ſuæ Conſtitutionis mandato per certas litteras Conſtitutorias, induſtriâ honorabilis Domini Thomæ Trutman, Curati de Aragno, Sedunen. Diœceſis, conceptas, & ſubſcriptas, ac ſignato providi Viri, Joannis Chriſten, dicti loci Amani ſubſignatas legitimè edocuit unà cum provido Viro Geringo Renner, Procuratore Fabricæ Cappellæ S. Crucis, ſitæ in dicto loco de Realp ex unâ. & Venerabilis Vir Dominus Philippus Faner, Rector Parochialis Eccleſiæ S. Columbani de Chilih ſeu Urſeria Principalis principaliter pro ſeipſo, unà cum provido Viro Caſparo, dicto Bartholome Advocato, ſeu Procuratore præfatæ Eccleſiæ Parochialis in Urſeria, & Potente, ut aſſeruit, reliquorum Parochianorum Eccleſiæ ejuſdem Partibus ex altera. Præfatus itaque Nicolaus Molitor Procurator univerſorum Habitatorum, & Incolarum dicti loci de Realp litteras commiſſionis Reverendi Patris, & Domini D. Antonii Puccii Subdecani Eccleſiæ Florentinenſis, tunc SS. D. N. Papæ, & Apoſtolicæ Sedis ad Helvetios cum poteſtate Legati de latere Nuntii, ejus verò ſigillo rotundo de cera rubea in capſula ſigillatas, ſanas alioquin, integras & illæſas, ac omni prorſus vitio ac ſuſpicione carentes, uti in ejus prima facie apparuit, unà cum litteris quibuſdam citatoriis Patentibus in forma ſolita & conſueta, dictarum Litterarum Nuntii Apoſtolici vigore, per Venerabilem, & egregium quondam Virum Dominum Joannem Mants, utriuſque juris Doctorem, & præfatæ Eccleſiæ Turicenſis, dum viveret, Præpoſitum, & præſentis cauſæ Judicem, & Commiſſarium contra & adverſus dictum Dominum Faner, Rectorem Eccleſiæ in Urſeria, ejuſque, & ſingulos alios ſuum communiter, vel diviſim intereſſe putantes, ad inſtantiam dictorum Habitatorum, & Incolarum loci de Realp datis, ejuſdemque Domini Judicis, & Commiſſarii ſigillo effectualiter appenſo emanatis, ac præfato Domino Philippo Rectori in partibus legitimè inſinuatis, & executis coram Nobis Matthæo Cardinale, & Felice Præpoſito arbitris, arbitratoribus, ſeu amicabilibus Compoſitoribus reproduxit, quarum quidem litterarum Domini Nuntii Apoſtolici ſupradicti tenor ſequitur, & eſt talis:

Antonius Puccius Subdecanus Eccleſiæ Florentinenſis, Cameræ Apoſtolicæ Clericus, ad Dominos Helvetios magnæ Ligæ veteris Superioris Alemanniæ cum poteſtate Legati de latere Nuntius, Dilecto Nobis in Chriſto Præpoſito Eccleſiæ SS. Martyrum Felicis, & Regulæ, Oppidi Turicenſis, Conſtantien. Diœc. Provinciæ Moguntinæ ſalutem in Domino ſempiternam.

Humilibus ſupplicum votis libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte Dilectorum Nobis in Chriſto Hominum, Habitatorum, & Incolarum Villæ Realp Curien. Diœceſis petitio continebat, quod, cum ipſa Villa Realp inter aſperrimos montes ſita exiſtat, & ab Eccleſia Matrice per unum magnum milliare Alemannicum diſtet, Homineſque & Habitatores, ac Incolæ præfati, præſertim tempore hyemali, dum nives & pluviæ inundant, dictam Eccleſiam Matricem ſine maximis difficultate & periculo pro Sacramentis Eccleſiaſticis recipiendis, & Infantibus baptizandis, ac divinis audiendis adire non poſſint, ſæpeque numero evenerit, quod infantes ſine Baptiſmo, & infirmi ſine Eccleſiaſticorum Sacramentorum proviſione ab hoc ſæculo migrârint. Et, ſicut eadem petitio ſubjungebat, ſi Hominibus habitatoribus, & incolis præfatis Sacerdotem idoneum ſuis expenſis ſuſtentandum, quouſque eidem Cappellæ cenſus, redditus & proventus annuos applicent, & eandem ſufficienter dotent, qui ut Cappellanus apud præfatam Capellam reſideret, eiſque Habitatoribus & incolis præfatis Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtra-

straret, per Rectorem Ecclesiæ Matricis pro tempore existentem confirmandum, præsentare, ac nominare, & in dicta Cappella Ecclesiastica Sacramenta Eucharistiæ scilicet, ac olei Sacri cum honore, & reverentia debitis, & congruis retinere, concederetur, profectò divinus cultus ibidem augeretur, & periculis obviaretur, ac Animarum Saluti hominum prædictorum non parum consuleretur. Quare Homines Habitatores, & Incolæ Villæ præfatæ Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut eis super præmissis de opportuno remedio providere, de Benignitate Apostolica, cujus Legationis officio fungimur, dignaremur.

Nos igitur, qui Divinum Cultum nostris potissimum temporibus augeri, sinceris optamus affectibus, ac periculis obviare, & Animarum saluti paternè consulere volentes, præfatosque Homines habitatores, & Incolas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Discretioni Tuæ, Auctoritate Apostolica, Nobis per Sanctissimum in Christo Patrem, ac Dominum nostrum D. Leonem, Divina Providentia Decimum concessa, & quâ fungimuur, committimus, & maudamus, quatenus Te de præmissis diligenter informes, & si per informationem eandem præmissa, veritate fulciri inveneris, Hominibus habitatoribus, & Incolis prædictis, quod unum Sacerdotem idoneum, qui apud Cappellam prædictam continuò resideat, & ejusdem Sacramenta Ecclesiastica (præterquam in Die Paschatis.) administret, ita, quod dictam Ecclesiam Matricem in Die Resurrectionis D. N. Jesu Christi, & Ascensionis ejusdem, Pentecostes, Corporis Christi, Assumptionis B. V. Mariæ, ac Dedicationis Ecclesiæ Matricis prœfatæ Festivitatibus adire teneantur, Rectori ipsius Ecclesiæ Matricis confirmandum nominare, & præsentare, ac etiam in eadem Cappella Ecclesiastica Sacramenta prædicta cum reverentia, & honore congruis, & debitis, ut præfertur, sine tamen Rectoris ipsius Ecclesiasticæ Matricis pro tempore existentis præjudicio, perpetuò, libere, ac licitè retinere, & habere possint, & valeant, quibusvis Apostolicis, ac in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, cæterisque contrariis nequaquam obstantibus, Auctoritate Apostolica præfata de specialis dono gratiæ indulgeas, pariterque concedas. In quorum fidem has præsentes fieri, nostrique Sigilli jussimus & fecimus appensione communiri. Datum Turregi Constantien. Diœces. Anno Incarnationis Dominicæ millesimo, quingentesimo decimo octavo Kalend. Octobris, Pontificatûs præfati D. N. Papæ Anno sexto.

Quibus quidem Litteris Domini Nuntii Apostolici præinsertis, sic Nobis, ut præmittitur, præsentatis, atque per dictum Nicolaum Molitorem Procuratorem Habitatorum, & Incolarum loci de Realp agentem in præsentia præfatorum, Dñi videlicet Philippi Faner, Rectoris Ecclesiæ in Ursaria, ac Casparis cognomento Bartholome, Advocati seu Procuratoris dictæ Ecclesiæ, ac reliquorum Parochianorum ejusdem Ecclesiæ, ut ajebat, Potentis, unacum Litteris Citatoriis, & earumdem executione à tergo dictarum Litterarum Citatorialium descripta, & attestata reproductis, subsequenter Partes præfatæ hinc inde tam Nicolaus Molitor, & Geringus Renner nomine universorum habitatorum, & Incolarum loci de Realp, principalium Agentium, quàm D. Pilippus Faner, Rector Ecclesiæ in Ursaria ex adverso Principalis per se, ac Caspar Bartholome Advocatus, seu Procurator ejusdem Ecclesiæ, & ut ajebat, Potens reliquorum Parochianorum præfatæ Ecclesiæ, etiam ex adverso Principalium, & præsentis causæ reorum, cupientes, ut asserebant, litium anfractus evitare, ac illis, quas præter litem ipsam subituri erant, parcere expensis & laboribus, in Nos Matthæum Cardinalem, & Felicem Præpositum supradictos, tanquam arbitros, arbitratores, & amicabiles Compositores, ac amicos communes super omnibus litibus, quæstionibus, controversiis, causa, & causis de- & super impetrato Indulto Apostolico supra inserto, & illius occasione coram præfato quondam D. Joanne Mants, tunc Præposito, Judice & Commissario Auctoritate Apostolica Partibus deputato, moti, intentati, & pendentes, voluntariè & ex certa scientia, non per errorem, aut aliam sinistram machinationem seducti, sed sponte & liberè pro se, ac Partibus suis supranominatis, eorumdemque successoribus universis concorditer compromiserunt, & consenserunt, Nosque in præsentia subscriptorum Notarii & Testium elegerunt, constituerunt, assumpserunt, & ordinaverunt communiter, & concorditer in arbitros, Compromissarios, arbitratores, seu amicabiles Compositores, & amicos communes, dantes & concedentes nobis plenam & liberam potestatem, posse in præmissis omnibus & singulis de plano, sine strepitu, & figura judicii examinare, cognoscere, arbitrari, æstimare, terminare, pronuntiare, sententiare, deffinire, componere, præcipere, & statuere, ratione, æquitate, amore, vel arbitrio, altè vel bassè, ordine juris servato, vel non servato, omni die, hora, & loco, & aliàs qualitercunque, quantum, & prout Nobis videbitur meliùs expedire, renuntiantes in his omnibus actitatis in causa prælibata, ac omnibus ex eis subsecutis, & jure quolibet ex ipsis quolibet quæsito.

Et insuper Nos Matthæum Cardinalem, & Felicem Præpositum supradictos, quatenus hujusmodi arbitrium ad ipsorum rogatum in Nos benignè susciperemus, humili cum instantia rogaverunt, & petiverunt; promittentes denique in manibus dicti Notarii publici, stipulantes & recipientes vice omnium & singulorum quorum interest, intererit, aut interesse poterit, fide datâ pro se, dictisque Partibus suis, & Successoribus eorundem universis, quod dando arbitrio, sententiæ, & præceptis nostris stare, & obtemperare, & in nullo contrafacere - vel venire velint quovis quæsito ingenio, & colore.

Nos igitur Matthæus Cardinalis, & Felix Præpositus, arbitri, arbitratores, & amicabiles Compositores ad causam & causas prædictas, ac ipsis à Partibus, ut præfertur, concorditer electi, hujusmodi de Nobis factæ electioni benignè consentientes, volentesque, quantùm cum Deo possumus, litium prædictarum anfractus amputare, quæstiones sedare, controversiis & dissensionibus obviare, causamque & causas prædictas debito fine terminare, visis prius, & auditis, ac intellectis utriusque Partis juribus, & rationibus, pleniùsque discussis omnibus & singulis, quæ Partes ipsæ hinc inde dicere, & proponere voluerunt, deque veritate narratorum in præinsertis litteris Domini Nuntii Apostolici diligenti facta Inquisitione pleniùs informati, & super his omnibus deliberatione maturâ præhabitâ, pro bono pacis & concordiæ, & ex vigore compromissionis prædictæ, de utriusque partis voluntate, beneplacito, & consensu arbitrando dicimus, deffinimus, & pronuntiamus in hunc, qui sequitur, modum:

Imprimis itaque decernimus, quod Litteræ D. Nuntii Apostolici per illos de Realp impetratæ in suo robore persistere debeant, & ita Homines, Habitatores & Incolæ loci, concessorum in præinsertis litteris

per

per Dominum Nuntium Apostolicum, uti, frui, potiri, & gaudere liberè & licitè possint & valeant, juxta tenorem litterarum concessionis & indulti hujusmodi, hoc tantùm addito, quod Curatus Matricis Ecclesiæ supradictæ tam in decimis, quàm oblationibus, præcipuè quatuor solemnium Festivitatum, Nativitatis videlicet, ac Resurrectionis D. N. Jesu Christi, necnon Pentecostes, & Assumptionis B. V. Mariæ diebus, fieri solitis, ac aliis proventibus, juribus, redditibus, fructibus & obventionibus universis nullum penitus patiatur detrimentum, sed quod Homines Incolæ, & Habitatores loci de Realp de his integrè ipsi, ut prius, respondeant absque ulla contradictione, sintque adstricti ea die solemni, qua ad Ecclesiam Matricem accedere impediuntur, oblationes hujusmodi colligere, & ipsi Curato absque ulla diminutione, ut moris est, consignare. Item tempore Paschatis, cum ad Eucharistiæ Sacramentum canonicâ sanctione omnis Christianus accedere, & illud reverenter de sui proprii Sacerdotis consilio suscipere teneatur, debent & tenentur huic Sacræ Constitutioni ipsi Habitatores, & Incolæ loci Realp in dicta sua Ecclesia Parochiali in Ursaria eo tempore satisfacere, nec debet eos Sacerdos Capellæ, qui apud eos residet, dicto Paschatis tempore in præfata eorum Cappella, nisi de licentia veri eorum Curati, communicare. Pro pueris quoque baptizandis debent & tenentur dicti Incolæ & habitatores loci de Realp ad dictam eorum Ecclesiam Matricem habere recursum, nec eos alibi, quàm in dicta Ecclesia facere baptizari. Item in festo omnium Sanctorum, & commemoratione Animarum omnium Fidelium Defunctornm, nisi temporis inclementiâ, aut alio legitimo impedimeuto retrahantur, seu retardentur, debent dicti Incolæ & habitatores Villæ Realp præfatam eorum Ecclesiam Parochialem more solito visitare. In die verò S. Columbani, dictæ Parochialis Ecclesiæ Patroni debent, & tenentur præfati subditi de Realp secundùm solitum morem ipsam Ecclesiam Parochialem processionaliter accedere, & inibi divina audire officia, ac se præscriptis temporibus ipsius Ecclesiæ Parochianos specialiter & humiliter recognoscere.

Præterea, quia congruit, ut Matrix Ecclesia in debita conservetur structura, paramentisque, & aliis cultui divino inibi necessariis decenter fulciatur, ne prætextu, & nomine hujus plantationis, Ecclesia ipsa Parochialis jus sibi debitum amittat, ac ex eo quomodolibet detrimentum patiatur, volumus, & decernimus, dictos Incolas, & habitatores loci de Realp ad ipsius Matricis Ecclesiæ reparationem, conservationem & manutentionem, necnon ornamentum, & decorem instar aliorum Parochianorum in omnibus, & per omnia contribuere debere, & ad conferendum seu contribuendum adstrictos esse absque ulla retractione, seu retardatione, dolo & fraude in his omnibus semotis.

Et per hanc nostram pronuntiationem, Definitionem & Decretum volumus & ordinamus dictas lites, quæstiones, & controversias esse sopitas & extinctas penitus, & omnino: & sic arbitrando mandamus, deffinimus, decernimus, & inviolabiliter fieri & observari præcipimus, atque jubemus. Latum autem fuit prædictum arbitrium per Nos Matthæum Cardinalem Sedunensem, & Felicem Præpositum Turicensem arbitros, arbitratores, seu amicabiles Compositores prædictos, & præsentibus Partibus antedictis, organo Notarii publici subscripti lectum, & publicatum, & ab ipsis Partibus, seu Procuratoribus, seu Potente prædicto mox & incontinenti expresè emologatum, ratificatum, confirmatum & approbatum. In quorum omnium & singulorum fidem, & testimonium præmissorum Nos Matthæus Cardinalis, & Felix Præpositus, arbitri, arbitratores, & amicabiles Compositores antedicti præsentes Litteras, sive præsens publicum Instrumentum, hujusmodi arbitrium nostrum continentes sive continens, ad requisitionem & instantiam dictarum Partium fieri, & per Notarium infrascriptum subscribi, publicarique mandamus. Nos Matthæus Cardinalis proprio nostro, quo utimur, Nos verò Felix Præpositus, quia ad præsens proprium non habemus, Capituli nostri Sigillo fecimus communiri. Datum & actum Turegi sub Anno Domini millesimo quingentesimo decimo octavo Indictione Sexta, Die verò Lunæ decima quinta mensis Novembris, Pontificatûs SSmi in Christo Patris, & D. N. D. Leonis Divina Miseratione Papæ Decimi Anno sexto, præsentibus ibidem egregiis, ac venerabilibus & circumspectis Viris Dñis Michaele Sandri, Jurium Doctore, Decano Ecclesiæ Wratislaviensis, & Remberto de Kersenbrogk, Clerico Osnabruggen. Diœc. Familiaribus Matthæi prælibati Cardinalis Sedunensis testibus ad præmissa vocatis, atque rogatis. Et ego Sifridus LuterWyn de Brisaco Presbyter Constant. Diœc. Publicus Apostolica, & Imperiali Auctoritatibus Notarius, Venerabiliumque, & circumspectorum Dominorum Præpositi antedicti, & Capituli Turicensis Secretarius, ac Scriba juratus &c. &c.

Exemplar in Archivo Residentiæ, seu Hospitii Ursariensis.

Altare Majus Ecclesiarum 16. Monasteriorum, Monialium Tertiariarum, Capucinarū nuncupat. Lucernæ, Uraniæ, Stantii, Tugii, Friburgi Nuithonum, Solodori, Appenzellæ, Badæ, S. Mariæ Angelorum in Toggio, Neckersegg, Roschachii, Grimenstein, Wunenstein, Altstetten, Ensishemii, & Seckingæ, qualibet feria secunda &c. pro Animabus defunctarum Monialium, earum Consanguineorum, Affinium primi, & secundi gradûs, & Benefactorum privilegiat, & privilegium ad diem obitûs &c. tertiam, septimam, & trigesimam obitûs Monialium extendit.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Omnium saluti paternâ charitate intenti, sacra interdum Loca spiritualibus Indulgentiarum muneribus decoramus, ut inde Fidelium Defunctorum Animæ D. N. Jesu Christi, ejusdemque Sanctorum suffragia meritorum consequi, & illis adjutæ ex Purgatorii pœnis ad æternam salutem per Dei misericordiam perduci valeant. Volentes igitur omnes & singulas Ecclesias Monasteriorum Monialium Tertii Ordinis S. Francisci, Capucinarum nuncupatarum, Lucernæ, Uraniæ, Stantii, Tugii, Friburgi Nuith. Solodori, Appenzellæ, Badæ, S. Mariæ Angelorum in Toggio, Neckersegg, Roschachii, Grimenstein Wunenstein, Altstetten, Ensishemii, Seckingæ Oppidorum Constantien., Lausanen. & Basileens. respectivè Diœcesûm in Helvetia, & extra existentium, in quibus aliud Altare privilegiatum non reperitur concessum, & in qualibet earum situm Altare majus hoc speciali dono illustrare, auctoritate Nobis à Domino tradita, deque Omnipotentis Dei misericordia, ac BB. Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, ut, quandocunque Sacerdos aliquis sæcularis, vel cujusvis Ordinis Regularis Missam Defunctorum in die Commemorationis Defunctorum, & singulis diebus intra illius octavam, ac feriâ secundâ cujuslibet hebdomadæ, pro Anima cujuscunque Monialis, earumque Consanguineorum, & Affinium primi, & secundi gradûs, necnon dictorum Monasteriorum Benefactorum, quæ Deo in Charitate conjuncta ab hac luce migraverit, ad prædictum Altare celebrabit, anima ipsa de thesauro Ecclesiæ per modum suffragii Indulgentiam consequatur, ita, ut ejusdem D. N. Jesu Christi, ac Beatissimæ Virginis Mariæ, Sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus à Purgatorii pœnis liberetur, concedimus, & indulgemus, ipsumque Privilegium ad idem Altare majus, & reliqua earumdem Ecclesiarum Altaria die, quâ aliquam ex Monialibus Monasteriorum prædictorum ab humanis decedere contigerit duntaxat, seu tempore, quo ejus cadaver in qualibet ex dictis Ecclesiis expositum erit, ac tertiâ, septimâ, & trigesimâ post obitum diebus auctoritate & tenore præsentium extendimus, & ampliamus.

In contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque. Præsentibus ad septennium tantùm valituris. Volumus autem, ut præsentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & Sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, Die 1. April. MDCCXLV. Pontificatûs nostri Anno quinto.

D. Card. Passioneus.

N O T A.

Septennalem Brevis hujus renovationem Ven. Monasterium Monialium ad S. Annam Lucernæ procurare hucusque consuevit, & perget, tum, quod ad hunc finem inter omnia Monasteria magis opportunum existat, tum, quod originale Brevis conservet; de hoc autem renovato, exemplar authenticum cuilibet Monasteriorum in Brevi expressorum attentè semper transmittet. Privilegium autem ad Altaria duntaxat majora restrictum esse, sepositâ omni aliâ quæstione, advertatur.

Præter Indulgentias generaliter Ordini concessas, Ecclesiis Monasteriorum earumdem Monialium Indulgentiam plenariam pro die Festo Titulari Ecclesiarum impertitur.

BENEDICTUS PAPA XIV.


Universis Christifidelibus præsentes Litteras inspecturis salutem & Apostolicam Benedictionem.

AD augendam Fidelium Religionem, & Animarum salutem cælestibus Ecclesiæ thesauris piâ charitate intenti, omnibus utriusque sexûs Christifidelibus verè pœnitentibus & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis Monasteriorum Monialium Tertii Ordinis Sancti Francisci Reformatarum, Capucinarum nuncupatarum, videlicet Lucernæ, Uraniæ, Stantii, Tugii, Friburgi, Solodori, Appencellæ, Badæ, Pfannereck, Neckeregg, Tugii, Roschachii, Grimenstein, Wunenstein, Altstetten, Ensishemii, Seckingæ Oppidorum, seu Locorum, Constantien., Lausanen., & Basileensis respectivè Diœcesûm, dummodo præter Indulgentias, Ordini dictorum Monasteriorum generaliter concessas, nullæ illi Ecclesiæ specialiter concesse reperiantur; die festo Titulari cujuslibet præfatarum Ecclesiarum respectivè à primis Vesperis, usque ad occasum Solis Festi ejusmodi, etiam respectivè singulis annis devotè visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus, præsentibus ad septennium valituris. Volumus autem, ut, si pro impetratione, præsentatione, admissione, seu publicatione præsentium aliquid vel minimum detur, aut sponte oblatum recipiatur, præsentes nullæ sint.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, Die XII. Octobris MDCCXLV. Pontificatûs nostri Anno sexto.

D. Card. Passioneus.

Breve formatum in Archivo Lucernæ.



PROVINCIA
ANTERIORIS AUSTRIÆ.

Ipsa etiam Concordia ea, quæ strictiore inter se fœdere ligavit, & in compagem uniit, aliquando solvit, & nimio numero aucta, pro opportuniore rerum ductu, in partes separat. Coaluerant in Provinciam unam Helvetica, & Anterioris Austriæ, dum hæc Priori, Provinciæ titulo jam insignitæ, suos Sveviæ, Brisgoviæ &c. junxit Conventus, & mutuo consensu gubernium pro ratione meritorum inter se diutius diviserant. Ipse autem concors illarum spiritus, virtutis exemplis, quæ per Fratres spargebant, junctus, dum Conventus ita multiplicavit, ut solitæ Provincialis visitationis beneficio potiri haud valerent, eas Anno millesimo sexcentesimo sexagesimo octavo secuit in partes, ita tamen, ut in divisis Provinciis indivisus vigeat amicus usus, & memoria unitatis venerando reciprocæ harmoniæ sacramento constanter confoveatur.

Retinente suum primævum nomen Helveticâ, hæc illud Anterioris Austriæ tandem selegit, tum, quod potiores illius Ædes in ditione Austriæ Anterioris sitæ forent, tum, quod talem nominet Diploma Augustissimi Imperatoris Leopoldi, quo Provinciæ novellæ specialem Austriacæ Domûs protectionem pollicetur, & quod tenoris est sequentis:

Nos Leopoldus, Divinâ Gratiâ electus Romanorum Imperator semper Augustus, Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ & Sclavoniæ Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Wüthembergiæ, Comes Habspurgi, Tyrolis, Goritiæ &c.

Notum sit omnibus, quibus nosse fuerit opportunum. Venerabilis Religiosus, ac devotus P. Angelicus Wolffacensis, Vicarius Generalis, humillimè Nobis exposuit, & instantissimè supplicavit, quatenus Nos, tanquam Imperator Roma-

manorum &c. necnon Princeps & Dominus Anterioris Auſtriæ Ditionum, ipſum, & omnia ſibi ſubjecta Monaſteria Provinciæ Anterioris Auſtriæ in Cæſaream, & Archiducalem protectionem recipere clementiſſimè dignaremur. Votis igitur dicti P. Angelici Wolffacen. inclinati, & Sacro ejuſdem Ordini aliàs jam bene affecti, animo deliberato, maturo conſilio, & ex certa ſcientia eundem P. Angelicum Wolffacenſem, Vicarium Generalem Capucinorum unà cum commiſſa ſibi Provincia Anterioris Auſtriæ in Archiducalem protectionem, & tutelam noſtram clementiſſimè recipimus, itaquidem, ut pluries nominata PP. Capucinorum Anterioris Auſtriæ Provincia, in quantùm ea ſe extendit, hâc protectione, & præſidio noſtro perpetuò gaudere, ab omnibus fideliter & imperturbatè permittatur.

Mandamus proinde omnibus noſtris, quà Eccleſiaſticis, quà Civilibus Judicibus, & Officialibus, Urbibus, Oppidis, Pagis, Civitatibus, & Civibus, ut ſæpe nominatum P. Angelicum Wolffacenſem, Vicarium Generalem Capucinorum, cum Provincia ſua Anterioris Auſtriæ ſecundùm dicta in hac protectione noſtra manutenere, & in hac tutela noſtra conſervare ſatagant. Nec ipſi unquam gratiæ huic noſtræ contraire præſumant, nec permittant, ut à quoquam temerario auſu contra eandem quidquam attentetur, niſi gravem indignationem noſtram incurrere deliberatè velint: hæc enim eſt mens & voluntas noſtra ſeria. In quorum omnium fidem has noſtras ſigillo Cæſareo munitas dedimus Laxenburgi IV. Maii MDCCI. &c.

Provincia hæc inter varias perſecutiones, & concatenatas quaſi temporum calamitates ad florem, quo impræſentiarùm clareſcit, excrevit, magna ex parte Acatholicis permixta indefeſſo ſemper labore uberes in Vinea Domini collegit, & adhuc colligit, Fidei & virtutis fructus. Inde eam tum Sacra Sedes ſolitis Miſſionariorum Privilegiis, tum Celſiſſimi, ac Reverendiſſimi Epiſcopi, Auguſtanus videlicet, Baſileenſis, Conſtantienſis, Curienſis &c. facultate Fideles pœnitentes à caſibus ſibi aliàs reſervatis abſolvendi communire ſolent, prout autographa Documenta in Archivo Provinciæ reconſervata probant. Eſtque fœcunda Filiorum illuſtrium Mater: Teſtis in Cœlo Fidelis, *ex Sigmaringa, hujus Provinciæ, & Hochenzolleriani Principatûs Oppido, Miſſionarius Apoſtolicus, S. Congregationis de propaganda Fide dictæ Protomartyr, qui nuperâ ſuâ Apotheoſi non ſolùm gloriam hujus Provinciæ, ſed etiam totius adauxit Religionis. Semen Sanguinis glorioſi ſterile in Provincia non manſit, ſed, ubi Martyres non genuit, plures beatæ Confeſſionis titulo inſignes produxit. Jam in ortu unitæ Provinciæ hâc claruit Fr. Joannes Baptiſta Polonus, Magni olim Poloniæ Cancellarii Filius, ac jam in adoleſcentia Regni Senator, cujus venerabilia exta, noſtra Conſtantię Eccleſia, diutinâ jam devotione diſcernit, illuc de veteris Domûs Eccleſiâ ſub ſparſi ſuaviſſimi odoris prodigio translata. Hic, dum cum Principe Regis Poloniæ Filio exteras luſtravit Regiones, felici ſorte Mediolani ad Palatium S. Caroli Borromęi divertit, ibique Sanctitatem Archi Pręſulis non tantùm miratus, ſed & illius vi ad propoſitum mutandę vitę allectus, regiam ſocietatem dimiſit, inter Capucinos Habitu pœnitentiæ vanitatem mundi deflere cœpit, & in ſemita virtutis tam felici aſcenſu adolevit, ut ſanctus Antiſtes eum in opus novæ tunc Helveticæ Coloniæ ſecerneret. Inter Apoſtolicos labores virtutem ita poliit, ut ad Definitoratûs munus fuerit evectus. Habuit cum S. Fidele peculiarem ſocietatem, dum fuit illius & Guardianus, & Confeſſarius, ac tandem in proceſſu Apotheoſeos teſtis. Potens opere & ſermone tantò familiarior entheâ converſatione & pietate cœlo videbatur, quantò exoſior orco, cujus tentatio ad mortem uſque producta dum reddidit virtutem Joannis Baptiſtæ celebriorem, prædictio futurorum, donum curationum, & ſanctitatis opinio commendant eam memoriâ poſterorum digniſſimam.*

Quâ non minus dignus eſt Fr. Mathias Augienſis, ex equeſtri Herbſteniorum gene-

genere natus. Sexies cecidit ſuper eum ſors Provincialatûs, in cujus exercitio ſumma Ei cura fuit, ut primævum Ordinis rigorem, in ſimplicitatis & paupertatis cultu cuſtodiret, forma gregis factus ex animo, venerabili canitie, facie anachoreticâ, morum gravitate, & zelo Apoſtolico perfectam ejus virtutem pandente.

Fr. Perfectus Conſtantienſis, pariter & quater Provincialis, nomen, quod geſſit, opere expreſſit, Dei, ac Deiparæ mirus cultor. In converſatione dum agni ſimilitudinem præſeferebat, leonem ſe præbuit, ubi muneris ratio id exegit. Tempore tribulationis adjuvit oratione ſua plurimos, & aliis futura, ſibique mortem prædixit, quam ſorte vitæ perfectæ conſentanea oppetiit.

Virtutis exemplis jungo Viros officiis Ordinis conſpicuos. Claret in Religionis faſtis Fr. Angelici Wolffacenſis ſupra memorati nomen, quod & ipſa laus ejus eſt, cum ad rationem ejus, vitam inſtituere ſemper ſtuduerit, hinc non ſolùm ad Definitoris, Commiſſarii, & Vicarii Generalis officia aſſumptus, ſed etiam ab Auguſtiſſimo Imperatore Leopoldo præſenti Principum coronæ, ceu veræ virtutis exemplar monſtratus eſt verbis: Ecce verus Iſraelita, in quo dolus non eſt.

Habet in præſentia in Definitoratûs, & Commiſſariatûs Generalis munere Sectatorem Fr. Maximilianum à Wanghena, cujus meritum (præter ea, quæ laudabiliter, & fortiter, vel in favorem Ordinis, vel Provinciarum, præſertim Germanicarum, ab eo acta nominatim & ſparſim memorat præſens Bullarii opus) aptè compendiat ſola reflexio, quod ingenti ſuâ induſtriâ cauſam S. Martyris Fidelis ad Beatificationis, & Canonizationis terminum ſolus produxerit, ita quidem, ut forſan eo non laborante, Religio Filium ſuum ſupra ſanctitatis candelabrum poſitum non conſpiceret.

Profuit hæc Provincia, & aliis Ordinis Provinciis, dum hæ ab illa Commiſſarios habuêre Generales. Exercuit hoc munus Fr. Mathias Augienſis prædictus bina vice in Provincia Rhenano-Colonienſi,

Fr. Sigiſmundus Rottenburgenſis, Provincialis, in Rhenana.

Fr. Lucianus Montifontanus, Provincialis, in Provincia Walloniæ.

Fr. Angelicus Wolffacenſis enuntiatus in eadem, & poſtmodum, ceu Definitor Generalis, in Flandro-Belgica.

Fr. Theodoſius ex Bürs, Provincialis, in Bavarica.

Fr. Marcus Jacobus Bibracenſis, Provincialis, in eadem.

Fr. Udalricus Montifontanus, Definitor, in Cuſtodia Poloniæ.

Fr. Salomon Villinganus, Provincialis, in Provincia Helvetiæ, Alſatiam ab hac ſeparans.

Fr. Maximilianus à Wanghena prælibatus, illud quidem in Regno Neapolitano incepit, complere tamen in utriuſque Siciliæ Regnis juxta Generale Diploma ob fata temporum nequivit.

Conſtat univerſim Provincia

Conventibus XXXI.

Reſidentiis IV.

Monaſteriis Monialium Capucinarum, quarum curam, & viſitationem delegatam habet IV.

Pic-

Pietatem Jacobi Fuggeri, Ecclesiæ Cathedralis Constantiensis Præpositi, sumptibus suis novam Fratrum Domum ibi construentis commendat.

A tergo: *Dilecto Filio, Jacobo Fuggero, Præposito Ecclesiæ Constantien.*

CLEMENS PAPA VIII.

Dilecte Fili salutem & Apostolicam Benedictionem.

JAmpridem nota est Nobis virtus tua, & zelus Catholicæ Religionis, & studium ardens ad omnia pietatis opera pro tuis viribus promovenda, quibus & Dei cultus augetur, Christifidelium devotio incenditur, & denique multarum Animarum saluti optimè consulitur. Quare non cum mediocri voluptate accepimus, Te, quod complures jam annos procurare non destitisti, nimirum, ut Servi Dei, Fratres Minores Ordinis S. Francisci, Capucini nuncupati, ab ista insigni Civitate Constantiæ reciperentur, jam tandem Dei benignitate esse consecutum, & ex publico Senatûs istius consensu, ac Decreto Tibi concessum esse, ut tuis sumptibus Domum, & Conventum extruas, Ecclesiam ædifices, Sacram suppellectilem appares, & denique Religiosos illos introducas, qui Deo Altissimo divinis officiis celebrandis, & omnibus eorum Regularibus Institutis piè obeundis assiduè serviant. Illudque in primis Nobis jucundum fuit jam ante non multos dies, ut audivimus, salutiferæ Crucis vexillum à Ven. Fratre nostro Episcopo ejusdem Civitatis benedictum, ac Clero, Senatu, & Populo comitantibus, ritu solemni, fixum, atque erectum esse in eo loco, ubi Ecclesia, & Domus Capucinorum est ædificanda. Laudamus, Fili, pietatem tuam, & Civitati isti gratulamur, quod fideles illos Vineæ Dei Omnipotentis Operarios sit brevi habitura, qui ubique bonus Christi odor sunt: sed, quia opera Dei diligenti sedulitate sunt urgenda, propterea in Domino hortamur, ut, quod piè inchoâsti, quamprimùm, Deo cooperante, perficias, neque ullis difficultatibus deterrearis, aut retarderis, si quas forsitan Sathanas, malorum omnium Architectus obiiciat, aut ii moliantur, qui errorum tenebris miserè obcæcati opera lucis libenter impediunt. Tibi quidem, ut confidimus, idem Episcopus pro suo divini honoris zelo, bonique omnes adjumento erunt, & Deus ipse, cujus gloriam quæris, Tecum erit. Tu ergo esto forti animo, & pro tuo loco, & officio perge causam Dei adjuvare, ut Tibi Dominicæ suæ gratiæ abundantiam in via, & præmia in patria sempiterna largiatur.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, Die xv. Martii MDCIII. Pontificatus nostri Anno duodecimo.

M. Vestrius Barbianus.

Ex Boverio Tomo secundo fol. 975.

NOTA.

EOusque furor hæreseos, quæ sæculum decimum quintum & sextum dirius vexavit, Constantiæ progressus est, ut Episcopus cum pio Clero Uberlingæ exul, Sanctorum delubra sacrilego ausu fœdata amarè, & diutius deflere cogeretur. Fuit autem hujus Civitatis felicitas, quod Imperiali anathemati subjecta, victrice Imperatoris Caroli V. Marte subacta, hujus jura revereri debuerit: ex eo enim Arca Fidei ad suam sedem rediit, & Ministerium Altaris liberiore exercitio refloruit. Ut delitescentes inter domesticos parietes sectarum Reliquiæ sensim & penitus comprimerentur, Jacobus Fuggerus ex Baronibos, nunc Comitibus de Kirchberg, Weissenhorn &c. tunc Ecclesiæ Cathedralis Præpositus & postmodum Episcopus in consummationem operis Fratres nostros vocavit, iisque habito, quorum intererat, assensu Domum sumptibus suis construxit, pietatem ejus summo Pontifice per præpositas litteras commendante. Ad fabricam selecta est in suburbio area, seu ille ipse locus, in quo olim flamma pertinacem Joannis Huss perfidiam castigavit, ut, ubi antesignanum crimen periit, pietas resurgeret, & locus scelesto cinere contaminatus, erecto Seraphicæ Crucis trophæo purgaretur.

Opportunius autem ut nostri Operarii Apostolicæ prædicationis Ministerio fungerentur, triplex illis Cathedra, videlicet illa in Ecclesia Collegiata ad S. Stephanum, alia in Ecclesia, pariter Collegiata, ad S. Joannem, & tertia in Ecclesia S. Pauli, fuit assignata, in quibus usque ad hodiernum diem Verbum Dei uberc fructu disseminare pergunt.

Non quievit autem Jacobi pietas in munere Domûs ædificatæ, sed novo semper incremento eam probavit verè singularem: nec duntaxat Myrâ Constantiensi decoratus, uni ex Fratribus conscientiæ suæ arcana confidit, Ecclesiam pretiosa suppellectile, & maximi pretii calice ornavit, sed etiam, quos amavit tenerè in vita, in morte quoque unus ex iis fieri voluit, in Habitu, & in Ecclesia nostra sepultus, apposito ad tumbam, de veteri Ecclesia ad novam translatam, sequenti Epitaphio:

Jacobus Episcopus Constantiensis
Dominus Majoris Augiæ & Ohningæ
Hæc requies mea: hîc habitabo, quoniam elegi eam.
Hîc Deo, & Patribus Capucinis condidi habitaculum
Mihi tumulum.
Illatus sum in Sepulchrum Patrum meorum;
Nemo invideat Requiem inter Electos:
Elegi ipse abjectus esse in hac Domo Domini.

Abbatissæ, & Monialibus Monasterii S. P. Francisci Loci Seflingæ ex annuis, & superfluis earum redditibus, ac aliorum eleemosynis Fratribus novam Domum prope Civitatem Ulmæ construendi facultatem largitur, &, ut horum unus pro Confessario, & alius pro Concionatore dictis Monialibus inserviat, concedit.

PAULUS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

PRo Fidelium quorumlibet, præsertim piis vitæ, Divinique Numinis obsequiis vacantium statu salubriter dirigendo, considerationis extendentes intuitum, ad ea, per quæ eorum Domorum Regularium propagationi, eorumque Religionis incremento providetur, vigilantiæ Nostræ partes propensiùs impartimur, prout in Domino conspicimus salubriter expedire. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilectæ in Christo Filiæ Abbatissa, & Moniales Monasterii Monialium Ordinis Sancti Francisci, Terræ Seflingæ, prope Oppidum Civitatem nuncupatum, Ulmæ, Constantien. Diœces. Provinciæ Moguntin, quod pro Divini cultûs, & Fidei Catholicæ augmento, hæresumque extirpatione, ac pro earum, & publico servitio in dicto Oppido Seflingæ, ac loco decenti & honesto, unam Domum Ordinis Fratrum Capucinorum tam suis introitibus annuis, qui eis supersunt, quàm eleemosynis, & subventionibus, quæ à multis Catholicis in dicto Oppido Ulmæ commorantibus offeruntur, construi facere cupiunt: Quare Nobis humiliter supplicari fecerunt Abbatissa & Moniales prædictæ, ut super præmissis opportunè providere, de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur eas in suo laudabili proposito confovere, ac specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis &c. censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum & Regularium præpositorum consilio, eisdem Abbatissæ, & Monialibus, ut in dicto Oppido Seflingæ, ac loco decenti & honesto unam Domum dicti Ordinis Fratrum Capucinorum, in qua duodecim ad minus Fratres sint, cum Ecclesia, Sacristia, Dormitorio, Hortis, Hortalitiis, & Officinis necessariis & opportunis, & aliis ad dictorum Fratrum habitationem requisitis construendi & ædificandi, ac construi & ædificari faciendi, servata tamen forma literarum fel. rec. Clementis Papæ VIII. Prædecessoris Nostri desuper editarum, Apostolica Auctoritate, tenore præsentium, licentiam & facultatem concedimus & impertimur, eisque pariter indulgemus, dictamque Domum ex tunc, prout, postquam constructa fuerit, in Domum Regularem Ordinis FF. Capucinorum pro duodecim ad minus Fratrum dicti Ordinis, qui inibi sub Regularis disciplinæ observantia juxta ejusdem Ordinis Fratrum Capucinorum regularia instituta vivere, Divinisque Officiis in ipsa Ecclesia insistere, & unus ex eis pro Confessario, alius verò pro Prædicatore eisdem Abbatissæ & Monialibus inservire teneantur, auctoritate & tenore præmissis perpetuò erigimus & instituimus: necnon Guardiano, aliisque Fratribus, & personis quibuscumq; in dicta Domo pro tempore degentibus, quod omnibus & singulis privilegiis, facultatibus, immunitatibus, exemptionibus, prærogativis, antelationibus, favoribus & gratiis tam spiritualibus, quàm temporalibus, quibus aliæ ejusdem Ordinis Domus, illarumque Guardiani & Fratres de jure, usu, consuetudine, aut aliàs quomodolibet utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum, pari modo uti, potiri, & gaudere, necnon quæcumque Capitula, Ordinationes, Constitutiones, & Statuta, felix regimen, & administrationem dictæ Domûs Regularis, illiusque Fratrum pro tempore existentium concernentia, licita tamen & honesta, ac dicti Ordinis Fratrum Capucinorum Regularibus Institutis, sacrisque Canonibus, & Constitutionibus Apostolicis, necnon Concilii Tridentini

Decre-

Decretis minimè contraria ab Ordinario Loci examinanda & approbanda condere, illaque, prout expediens videbitur, mutare, corrigere, reformare & alterare, seu alia de novo, etiam à dicto Ordinario examinanda, & approbanda facere liberè & licitè valeant, eisdem auctoritate, & tenore concedimus, & indulgemus. Non obstantibus præmissis, ac fel. rec. Bonifacii PP. VIII. etiam Prædecessoris Nostri, qua cavetur, quod Mendicantes nova loca minimè recipiant, absque Sedis Apostolicæ licentia, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non dicti Ordinis Fratrum Capucinorum, etiam juramento &c. roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Tusculi sub Annulo Piscatoris die XII. Octobris MDCX. anno Pontificatus Nostri sexto.

Scipio Cobellutius.

Autographum in Archivo Secretariæ Brev. Apostolicorum Regesto mensis & anni prædictorum fol. 203.

A Fr. Columbano à Rottenburgo, nomine Joannis Henrici, Episcopi Basileensis, Sacra Apostolorum limina invisente, calamitates Dioeceseos à se amplè auditas esse rescribit, & Episcopum de Pastorali vigilantia commendat.

A tergo: *Venerabili Fratri, Joanni Henrico, Episcopo Basileensi.*

URBANUS PAPA VIII.

Venerabilis Frater salutem & Apostolicam Benedictionem.

HAud ægrè Paternæ charitati Nostræ suaserunt enixæ Fraternitatis Tuæ preces, tum etiam præsentis temporis difficultates, atque istius Ecclesiæ incommoda, ut dilectum Filium, Columbanum Rottenburgensem, Provinciæ Helveticæ Capucinum, ad sacra Principis Apostolorum limina Tuo Nomine invisenda admitteremus. Sanè, cum non sine ingenti animi ægritudine, quænam Basileensis Episcopatus detrimenta perpessus fuerit, ex eodem Religioso cognoverimus, non parvam etiam percepimus consolationis materiam, quod Te Pastorali vigilantia ac zelo mirificè insignitum nihil præterire audivimus, quod ad Animarum profectum, ad Religionis præsidium, ad Ecclesiasticorum jurium tutelam conferre queat. Perge, Venerabilis Frater, operam, quam Altissimo devovisti, sedulò impendere, ac pro certo habeas, nullum à Nobis officium prætermissum iri, quo plane perspectum sit, omnes istius Episcopatûs rationes ad Pontificiam solicitudinem pertinere. Apostolicam Benedictionem Fraternitati Tuæ amanter impertimur, cujus piis conatibus ab æterno Pastore præsidium, & felicitatem precamur.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die VI. Junii MDCXXXXIII. Pontificatûs Nostri Anno XX.

Julius Rospigliosius Secretarius.

Autographum in Secret. Brevium ad Principes *Regesto mensis prædicti fol.* 237.

N O T A.

SPreto nuptiali thalamo, lachrymisque Parentum neglectis, Fr. Columbanus à Rottenburgo, ex prænobili Prechtiorum Stirpe Habitum D. Francisci assumpsit, & juventutis florem varia virtute ornavit. Stimulum carnis, qui eum acriùs colaphizavit, dum nec oratione, nec jejunio, nec flagro compescere potuit, ferro brachii venam scidit, & sanguine molestas flammas extinxit. Diutius naturæ defectus, tersioris eloquii impediit libertatem, reddiditque linguam ejus tremulam; invocato S. Cordulæ Virginis patrocinio vinculum ità fuit solutum, ut in Cathedra velut alter Chrysostomus haberetur; rigidus suimetipsius censor, affabilem in Provinciæ gubernio sese omnibus exhibuit Ministrum. Per terras hæreticas gradiens à petulante bubulconum manipulo post sarcasmos & opprobria perticis, & oblongis ferulis circa pedes ad sanguinem usque cœsus, tristantem desuper Socium animavit cum verbis, *Patientia ex vepribus decerpit rosas*. Energumenum signo Crucis à maligno hospite liberavit, & dum Coquum ex eo, quod, quid pro prandio pararet, non haberet, conquerentem, verbis *Deus providebit* solatus, contra omnem spem ex Lacu Acroniano piscis prehensus est, Fratribus opiparam mensam præbens. Sæpius Fratres in locis longinquis moribundi, blandè, apertâ Cellæ portâ ad mortem ejus Benedictionem petière, dicentes: *Benedicite Reverende Pater*, quos, licèt ille non videret, cum tamen eorum nosceret vocem, illorum mortem liberè vulgavit. Non solùm in atriis Domûs Domini Columbanus sicut Cedrus Libani floruit, sed & in aulis, Principes virtute ædificavit, & horum amorem captivavit: teneriùs illum Celsissimus Princeps & Episcopus Basileensis Joannes Henricus dilexit, eumque, ut suo nomine limina Apostolorum invisat, selegit. Annis & meritis plenus 6. Octobris 1643. mortali vitæ finem dedit, & immortalis, ut piè credimus, initium cœpit.

MEDIATO PONTIFICIO MANDATO

Novum Monasterium cum Ecclesia, à Magno Priore Alemaniæ, Fr. Joanne Friderico Hundt in Heittersheimb constructum, à Fratribus nostris acceptari injungitur.

Beatissime Pater.

MAgnus Prior Alemaniæ, Fr. Joan. Fridericus Hundt, humillimus & devotissimus Sanctitatis Vestræ Servus exponit, qualiter ante 4. annos ex devotione, qua erga Seraphicum S. Franciscum fertur, Cœnobium cum Ecclesia à fundamentis in Heittersheimb construxit, & ex zelo augendæ Fidei Catholicæ illud RR. PP. Capucinis donare statuit, persuasus, quod exemplari illorum vita multi ex circumvicinis Acatholicis ad veram fidem forent convertendi. Eapropter glor. mem. Paulo Papæ V. Orator supplicavit, quatenus dictis Patribus illud acceptare injungeret. Fuit quidem gratia obtenta, & iis nomine Oratoris præsentata, sub allegato tamen Religiosorum defectu sese excusârunt, & parati ad obediendum inducias petiverunt. Has cum Orator suis subditis in devotione conservandis nocivas cognosceret, Ecclesiam Divinis Officiis privatam manere noluit, & ideo cum PP. Minoribus Conventualibus desuper contraxit, credendo, quod, quæ polliciti erant, observarent, & cultum divinum majore Populi fructu exercerent. Cum autem, uti prædictum est, Acatholici cum eorum terris memoratum Monasterium circumdent, eximium Animarum lucrum PP. Capucini ibi colligere possent, cum in majore, quàm alii Religiosi, æstimatione habeantur, & exemplo devotionis, & sanctæ eorum vitæ multi commoti in dies convertantur. Hinc Orator ad Sanctitatis Vestræ pedes recurrit, in visceribus Christi rogans, quatenus enuntiatam, & à Paulo PP. V. concessam gratiam innovare, confirmare, & Patribus Capucinis acceptationem prædicti Monasterii præcipere dignetur. Ultra quod hoc ad majus Dei obsequium, & Fidei Catholicæ exaltationem tendat, id quoque pro gratia recipietur &c.

Ad quem Libellum, Summi Pontificis mentem expressit Epistola subjuncta, R. P. Provinciali ita inscripta.

Reverende Pater.

Redditur mihi præsens Libellus supplex, qui, uti ex tenore liquet, Sanctitati Suæ primò fuit porrectus, mihique intenti executio committitur. Ad memoriam hîc revocandum est, quod tempore Pauli PP. V. sanct. mem. de acceptatione hujusmodi Monasterii jam fuit tractatum, & facultas desuper R. P. Provinciali illius temporis transmissa. Jam verò, cum ad effectum eundem licentia denuo petatur, ego remisso ad me â Sanctitate Sua dicto libello, licentiam jam aliàs datam ex Pontificio jussu, omni meliore modo, in omnibus, & per omnia confirmo. Quapropter se iis, quæ dicta licentia continet, conformabit, meque de his receptis, & earum executione certiorem reddet &c.

Romæ 7. Febr. 1623.

R. P. V.

Fr. Hieronymus à Castro Ferettorum
Procurator Generalis.

Autographum in Archivo Ordinis Armario Provinciæ Anterioris Austriæ.

NOTA.

AD executionem deducta non est Pontificia facultas.

DECRETO

S. Congregationis de Propaganda Fide.

Die 8. Augusti 1667. habita

Domum Wilerstadii Fratribus ad formam Hospitii restitui jubetur.

AD relationem Eminentissimi D. Cardinalis Pallottæ, S. Congregatio attentis narratis in supplici libello, ac visis testimoniis D. Episcopi Spirensis, Oratorum instantiis benignè annuens, licentiam eisdem concessit restituendi supradictam Domum ad formam Hospitii, quibuscunque contrariis non obstantibus.

Datum Romæ *ut supra.*

A. Cardinalis Barberinus.

Exempl. Authent. in Archivo Provinciæ.

NO-

NOTA.

Willerstadium, quod & alii Wilam vocant, est Civitas Imperialis in sinu Wirtenbergiæ sita, & ideo in periculo defectionis à Fide ob vicinam, & id quasi undique cingentem hæresin posita. Fuit periculum hoc ante aliquot annos patulum, quod ut Episcopus, & Principes nonnulli averterent, Capucinos in subsidium, instanter cum Incolis expetivêre. Accinxêre se hi Apostolico operi gaudentes, & Domunculam à Magistratu assignatam incoluêre. Interim dum illi excurrentes æquè in Parochias, ac ipsos Oppidi Incolas instruentes, donum Fidei conservant, & plurima conversione id augent, Ædes prædicta ruinam seu casum minitabatur, ita, ut Fratres ad meliorem formam eam redigere concluserint. Ex quo RR. Augustiniani, qui amplum ibi Monasterium habent, sub timore vel prætextu formalis Monasterii à Nostratibus construendi, pro fabricæ inhibitione institerunt, libello supplici Sacræ Congregationi sub sequenti tenore porrecto:

Eminentissimi, ac Reverendissimi Domini.

Prior, & Conventus Ordinis Eremitarum S. Augustini, Provinciæ Rheni, & Sveviæ, Diœcesis Spirensis, Civitatis Wilæ, reverenter exponit Em. Vestris, qualiter Patres Capucini in dicta Civitate Wilana ante annos circiter viginti aut triginta recepti, inhabitârint tantùm Domum quandam vicinam, imò contiguam eorum Conventui; hanc modò erigere nituntur in Monasterium, in præjudicium notabile Conventûs Augustiniani, & contra Bullas Bonifacii PP. VIII., & aliorum Summorum Pontificum, probibentes Mendicantibus erectionem novorum Monasteriorum intra spatium 140. cannarum. Proinde cum Bullæ illæ hucusque fuerint in illis partibus usu receptæ, supplicat dictus Prior & Conventus, ut per Ordinarium Episcopum Spirensem Emin. Patres provideant, aut, ut Domum hucusque inhabitatam, ut ante inhabitent, aut Monasterium juxta Bullas & absque præjudicio antiquiorum ædificent &c.

Sacra Congregatio in negotio justè pro more actura, de illius statu abs Celsissimo Episcopo Spirensi informari petiit, per litteras sequentes.

Perillustris, ac Reverendissime Domine uti Frater.

Supplicem libellum præsentibus adjunctum, Sacræ huic Congregationi Episc., & Regul. negotiis præpositæ pro parte Fratrum Conventûs Ordinis S. Augustini, loci Wilensis, istius Diœcesis, nuper exhibitum, Emi Domini ad Amplitudinem Tuam transmitti mandaverunt, ut desuper ei libeat eandem S. Congregationem certiorem reddere, ita pro injuncto sibi munere exequatur, libellum ipsum unà cum suis remittendo. Et ipse ei diuturnam incolumitatem ex animo precor. Romæ 20. Septemb. 1663.

Partes suas attentè explevit Altefatus Episcopus, ablegato ad Sacram Congregationem subnexo testimonio:

Nos Lotharius Fridericus, Dei gratiâ Episcopus Spirensis, Præpositus Weissenburgensis, & Odenheimensis, S. R. I. Princeps &c. &c.

Notum facimus per præsentes, quod pro parte PP. Capucinorum in Civitate Wilana, Diœcesis nostræ Spirensis, Nobis humiliter fuerit expositum, quatenus præfati Patres, uti Missionarii S. Sedis Romanæ de propaganda Fide, in prædicta Civitate Wilana, Domunculam beneficio Consulum ibidem concessam, & satis ruinosam inhabitent, eamque verò ulterius sine præsenti vitæ periculo, ob ejus minantem ruinam incolere securè & tutò non possint, nisi pernecessaria reparatione eidem occurratur. Quoniam verò hinc ex parte PP. Augustinianorum ibidem contra illos exceptum, quasi habitatio ejusmodi in præjudicium illorum vergere videatur, Nos visis & examinatis omnibus, factâque per Nostros sufficiente relatione, attestamur per præsentes, quod Domuncula ista, quam prædicti Patres inhabitant, pro commoda inhabitatione videatur perquam necessariò resarcienda, & reædificanda, neque aliquid de erigendo Monasterio, juxta P. Superioris PP. Capucinorum supranominatorum Provinciæ Helveticæ exhibitam Nobis supplicam humilem constet. In cujus rei fidem hasce sigillo nostro munitas dedimus Spiræ in Palatio nostro, ipsâ Principum Apostolorum Petri & Pauli die, Anno millesimo sexcentesimo, sexagesimo quinto.

Attestatum hoc ex ipsa testantis Personæ auctoritate validissimum, firmius adhuc reddidit testimonium Magistratûs Wilani, eidem S. Congregationi transmissum, ut sequitur:

Notum, ac manifestum facimus infrascripti, qualiter jamdudum cum intrinseco cordis dolore Nobis innotuerit, PP. Capucinos Civitatis nostræ Wilanæ, Diœc. Spirensis, Romæ traductos esse per libellum supplicem PP. Augustinianorum, habitantium in dicta Civitate nostra, quod vicinam Domum, imò contiguam Conventui PP. Augustinianorum in formale Monasterium erigere prætendant: unde S. Congregatio negotiis Episc. & Regular. præposita mandavit per scriptum aliquod Româ 20. Septemb. 1663. Ordinario Spirensi, quatenus præfatam S. Congregationem hac de re certiorem reddere velit, & supervenit Româ Monitorium inhibitionis, â Prothonotario Apostolico, Domino Paulutio Albertonis sub dato 8. Julii 1665.

Hinc infrascripti, Dei, pacis, salutis Animarum, & veritatis amore ducti, tenore præsentium attestamur, PP. Capucinos Wilanos hucusque non cogitasse Domunculam nostram ipsis ad usum concessam, ruinosam

ſam, cum hortulo ipſis à Prætore p. m. Defuncto Civitatis noſtræ donato, formalem in Conventum vel Monaſterium ædificare; nec eſſe dictam Domunculam cum modico horto contiguam Monaſterio PP. Auguſtinianorum, ſed publicam intermediam Civitatis noſtræ plateam: nos quoque murum hortuli, fortaſſis ad 5. vel 6. pedes, erigi permiſiſſe pro tollendo proſpectu non neceſſario proper foramen muri Conventûs PP. Auguſtinianorum, quod è regione caſu ex ruina camini antiqui apertum extat.

Occaſione hujus atteſtationis deponimus etiam, quod Patres Capucini, veluti Miſſionarii, per Apoſtolicas Conſtitutiones ad noſtram Civitatem ante triginta circiter annos, tunc hæreſeos labe totaliter infectam locati fuerint, Ordinario conſentiente, deque mandato Superiorum Ordinis ſui tres plerumque, vel quatuor Concionatores interea temporis uſque modò fideliter in Vinea Domini (deficientibus Parochis, & Religioſis aliis, qui quidquam bonis exemplis, & Evangelica doctrina preſtârent) laboraverint in Civitate noſtra, lociſque confinibus hæreſi undique circumdatis, & hoc cum periculo vitæ, paupertate ſumma, calore, frigore, multiſque calamitatibus perpeſſis, ſic quod Civitas noſtra per ſtrenuos eorum labores ab hæreſeos erroribus jam ſit fermè totaliter purgata, confiniaque loca hæreticis commixta (quæ per 6. vel 7. milliaria commigrârunt) concionibus eorum, vitâ, doctrinaque, in fide verè Catholica conſervata. In cujus robur, & fidem nos ſubſcripſimus propter Amorem Dei, & Animarum ſalutem, has inſpecturos rogantes, quatenus frivolis querelis, & litibus inutilibus (non ſine ſcandalo puſilli gregis Catholici, necnon Acatholicorum, qui id notarunt.) per PP: Auguſtinianos contextis finem imponere velint. Quos Deus O. M. conſervare velit. Actum Wilæ in Imperiali Civitate noſtra Anno MDCLXV.

Andreas Eblin Conſul.
Michaël Grein Conſul.
Weitpertus Meiſter à Secretis.

Epiſcopali, & Magiſtrali teſtimoniis præpoſitis robur ultimum addidit epiſtola, qua Auguſtiſſimus Imperator Leopoldus, Civitatis, & Fratrum cauſam, patrocinio Emin. Cardinalis Haſſiæ, Germanicæ Nationis apud S. Sedem Protectoris ſuffulciri juſſit epiſtolâ, quæ ſequitur:

Reverendiſſimo in Chriſto Patri, & Illuſtriſsimo Domino Friderico, S. R. Eccleſiæ tit. S. Nicolai in Carcere Tulliano Cardinali, Landgravio Haſsiæ, noſtro in Curia Romana Oratori, Magiſtro Ordinis S. Joannis in Alemannia, Nationis Germanicæ Protectori, dilecto Nobis amico, Cognato, & Principi amicitiam & omne bonum &c.

Qualia obſtacula, PP. Auguſtiniani in noſtra, & S. Imperii Urbe Wilana PP. Capucinis, inibi conceſſam ab ipſa Urbe fabricam conſtruentibus, Romæ apud S. Congregationem de propaganda Fide obtruſerint; uti nec minus, quantùm eadem Civitas allaboret, quò dictos Capucinos (qui non ſolùm graviſſimis belli temporibus, ſed & inde huc uſque zeloſè atque conſtanter, ſacram ibidem, & in vicinia Catholicam Religionem cultivârunt, & etiamnum cultivant.) ultra, & præſertim mediante fabricâ nuncupatâ penes ſe conſervare queat, eumque in finem, quatenus Nos hoc in caſu per Charitatem veſtram, tanquam Germanicæ Nationis Protectorem, interponere noſtram auctoritatem dignaremur, obſequentiſſimè ſupplicet, id omne Charitas veſtra ex adjectis copiis à dicta Civitate die 12. Septemb. nuperrimè datarum ad Nos litterarum percipere poterit. Cum ergo hanc ſupplicantium intentionem & inſtantiam in ſeipſa non injuſtam videamus, eoſque ideo clementiſſimè ſatisfactos eſſe cupiamus; nec etiam ambigamus, Charitatem veſtram ſeipsâ juxta notiſſimum in conſervanda, & propaganda Catholica Religione, & laudatiſſimum zelum officio ſuo non defore, præſertim verò ſæpedictorum ſupplicantium debitis inſtantiis eſſe delaturam, Charitatem veſtram unà clementiſſimè requirentes in noſtrum favorem dictos ſupplicantes bene commendatos habere, remque ſua ex parte dirigere velit, quatenus iiſdem rebus ſic conſtitutis, deſiderio ſuo ſe potitos eſſe præſentiant, & hiſce noſtris clementiſſimè impertitis promotorialibus perfrui queant. Id quidem juxta beneplacitum Divinæ Voluntatis, & intentionis erit, Noſque Charitati veſtræ noſtram amicitiam, & Cæſareum favorem, omneque bonum confirmamus. Datum Viennæ, Die 1. Octob. 1668.

Operari amplius non poterat Cæſarea Epiſtola, utpote re jam confectâ, antequam Emin. D. Cardinalis eam recepiſſet: causâ enim à S. Congregatione Epiſc. & Regul. ad S. Congregationem de propaganda Fide, ex eo, quod locum Miſſionis concerneret, translatâ, viſiſque Ordinarii conſenſu, & Civitatis inſtantiis, hæc edidit in noſtrum favorem decretum, huic Notæ antepoſitum.

Innovati ſunt litis motus Anno 1701. dum Fratres Eccleſiam ad octo duntaxat paſſus ampliare parabant: quod ut RR. PP. Auguſtiniani impedirent, Romanæ Curiæ implorarunt remedia, & econtra ut Fratres id perficerent, Ordinarius loci, & Archiepiſcopus Elector Trevirenſis, litteris curavit, S. Congregationis de propaganda Fide Cardinali Præfecto inſcriptis, ſub hoc tenore:

Eme, ac Rme Domine Obſervandiſsime.

Eminentiæ Veſtræ pro conſpicuo, quo præfulget in S. Congregatione de propaganda Fide præſidio, decenter hiſce referendum duxi, qualiter ad inſtantias Incolarum Civitatis Wilanæ, Diœceſis meæ Spirenſis, & exhibita ab eiſdem fide dignorum teſtimonia conſenſum ordinarium de amplianda ſolummodò PP. Capucinorum ibidem Capella ad octo circiter paſſus ſine cujuſcunque præjudicio tantò libentius conceſſerim, quod

ejusmodi postulata ad divini cultûs augmentum, ac spiritualem Animarum fructum in administrandis commodiùs Sacramentis, & Divinis Officiis unicè collimarent. Cum verò PP. Augustiniani ibidem oppositiones formare pergant ex erroneo supposito, à dictis PP. Capucinis, formalis & integri Conventûs constructionem prætendi, proinde Emin. Vestram debitè requiro, ut opus illud adeo pium auctoritate sua eò promovere dignetur, ut præfatis PP. Capucinis in Vinea Domini vicinos inter hæreticos pro sublevamine piorum fidelium indefessè laborantibus, desiderata facultas indulgeatur, dictam Cappellam suam Wilanam ad octo circiter passus ampliandi. Hanc gratiam religiosus ille Ordo non minus continuis Sacrificiis, quàm ego quavis opportunitate erga Eminentiam Vestram demereri conabor, qui observantia jugi permaneo

Eminentiæ Vestræ

Ehrenbreithstein 16. *Octobris* 1701.

Addictissimus Servus

Joannes Hugo, Archiepiscopus Treviren. Elector. &c.

Cumque & ipsi Patres nostri jam prius contra hypothesin formalis Cœnobii construendi, à PP. Augustianis formatam, & totius motûs originem, publicè fuerint protestati: *pro moderno Religionis statu nunquam eorum mentem fuisse, nec modò esse, nec futuram, formale Monasterium ædificandi*, facta est medio amicabilis compositionis quies, usque ad annum 1712. continuata, & ex eo turbata, quod, mutato Religionis statu, & Fratrum numerum augeri, & Altari in Cappella præexistenti, duo alia ad latus adiungi, Serenissimo Principe Alexandro ad Fidem Catholicam converso, & regnantis Ducis Wirtenbergiæ Filio connitente peteretur. Displicuit RR. PP. Augustinianis intentum opus, & Romæ contra nostrates Monitorium à Nicolao Spinola, Thebarum Archiepiscopo, ac Cameræ Apostolicæ Auditore Generali relaxari curârunt, quo expressum fuerat, ut memorati *Patres Capucini inter tres sextidui terminos se resolverent sub pœna mille Ducatorum, & Excommunicationis Altaria collateralia deponere, & unum de suis sex Patribus amovere, vel sua gravamina intra mensis spatium Romam submittere deberent.* Debito quidem respectu fuit acceptatum à Fratribus nostris Monitorium, cum autem non tam Serenissimi Ducis Wittenbergiæ, Acatholici, animum hujusmodi vexæ usque ad offensam irritarent, quàm ex penuria Operariorum res Catholica apertè pateretur, & primarii Ducis Ministri, aliæque primæ Nobilitatis Personæ contra scaedalum publico testimonio clamarent, fuit causa in S. Congregatione de Propaganda Fide 15. Maii 1715. discussa, & in ea lecta replica, qua PP. Augustiniani utrique controverso prius puncto amicè annuebant, & à se extra Sac. Congregationis Tribunal nihil movendum esse spondebant, quod R.P. Procurator Generalis &c. R. P. Custodi Constantiensi, sequenti significavit Epistolâ:

A tergo: *Reverendo in Christo Patri Observandissimo, Fr. Fideli Constantiensi Ex-Provinciali ac Custodi Capucin. Constantiæ.*

Reverende in Christo Pater.

Epistolis per Reverendam Paternitatem Vestram usque modo ad me datis responsum dedi, iterumque humanissimæ suæ ultimò acceptæ respondere non detrecto, significans Reverendæ Paternitati Vestræ, Patres Augustinianos huic Sac. Congregationi de Propaganda Fide paratos se præbuisse nullum impedimentum afferendi nostris Wilerstadiensibus Missionariis pro postulata Altarium erectione, nec non pro multiplicandis Religiosis, & de his pariter certiorasse Patres nostros Wilerstadienses. Sacra igitur Congregatio, laudando hanc religiosam conventionem & assensum, nullum super hoc interponere Decretum censuit, cum Partes inter se tam amicabiliter, & laudabiliter convenerint, & hæc sicuti majore approbatione non indigent, ita R. P. Ministri Provincialis munus erit quamprimùm Missionibus providere de Operariis juxta Locorum exigentiam, simulque manum adhibere in erigendis Altaribus pro Wilerstadiensi Ecclesia. Quod si fortè imposterum aliquid impedimenti Patribus nostris afferatur, tunc ad Sacram Congregationem iterum, atque iterum recurram, pariterque non prætermittam Sacro Tribunali desiderium nostrorum Missionariorum patefacere pro obtinenda super præmissis declaratione, quæ si impetrari poterit, eam ad manus Reverendæ Paternitatis Vestræ remittam. Attamen impræsentiarùm non erit ullo modo retardanda talis Missionariorum expeditio, necnon Altarium erectio. Et hæc sunt, quæ mihi pro responso significanda occurrunt Reverendæ Paternitati Vestræ, cujus orationum opem implorans, sum ex corde

P. V. R.

Romæ 25. *Maii* 1715.

Addictissimus in Christo Servus

Fr. Joan. Antonius Proc. & Commiss. Generalis Capuc.

Exemplaria autogr. hujus Causæ tum in Arch. Gen. Ordinis, tum in illo Provinciæ.

Con-

Conventus Sveviæ, Brisgoviæ &c. à Provincia Helvetica separati, in Provinciam eriguntur.

A tergo: *Dilecto Filio, Ministro Generali Ordinis FF. Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupatorum.*

CLEMENS PAPA IX.

Dilecte Fili salutem & Apostolicam Benedictionem.

EXponi Nobis nuper fecerunt &c. *Residuum vide supra fol.* 40. 41. *& seq.*

In Dynastia Mahlberg ad instantias Episcopi Argentinensis, & Marchionis Badensis, S. Rom. Imp. Principum, novam Fratrum Domum construi concedit.

A tergo: *Dilecto Filio, Ministro Generali Ordinis FF. Minorum S. Francisci Capucinorum.*

CLEMENS PAPA X.

Dilecte Fili salutem & Apostolicam Benedictionem.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti Filii Fratres Provinciæ anterioris Austriæ, Ordinis Minorum, S. Francisci Capucinorum nuncupatorum, quòd, cum tam dilectus Filius, Nobilis Vir, Marchio Badensis, Sacri Romani Imperii Princeps, qui Dynastiam, *Mahlberg* nuncupatam, intra limites dictæ Provinciæ in Diœcesi Argentinensi sitam, à Lutherano Marchione recuperavit, suæque Ditioni adjecit, quàm Venerabilis Frater Episcopus Argentinensis ipsos Exponentes sollicitè requisiverint, ut in eadem Dynastia, quæ magna ex parte adhuc hæretica, ad Fidem tamen Catholicam recipiendam utcunque disposita existit, Conventum Fratrum dicti Ordinis erigerent, qui tam pro Catholicis in fide confirmandis, quàm pro hæreticorum ad ejusdem Fidei Catholicæ veritatem conversionem juxta laudabile eorum institutum omni studio, industria, & charitate laborare deberent, ac ad eum finem etiam memorati Principis natus jam defunctus, præter aream, ad Conventum hujusmodi construendum aliquot millia florenorum in suo ultimo testamento reliquerit; & Christifideles in illis Partibus degentes, ad sustentandos ejusmodi pios Operarios in Vinea Domini laborantes, optimè sint propensi; ipsi Exponentes novum in dicta Dynastia Conventum Provinciæ, & Ordinis præfatorum erigi, & instrui plurimùm desiderant; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportunè providere, &, ut infra, indulgere, de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur ad ea, per quæ oves à Caulis Domini seductæ, atque aberrantes ad illius ovile, ipso adjuvante, reduci valeant, ex commissi Nobis divinitùs Pastoralis Officii debito propensis studiis intendentes, dictosque Exponentes specialis favore gratiæ prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Tibi novum Fratrum Provinciæ, & Ordinis præfatorum Conventum in supradicta Dynastia de Mahlberg, de consensu tamen memorati Episcopi Argentinensis, ac concurrentibus cæteris ad, vel juxta Constitutiones Apostolicas requisitis, auctoritate nostrâ Apostolica, perpetuò, sine cujusquam præjudicio erigendi, & instituendi, quamcunque necessariam, & opportunam facultatem, & licentiam, eadem auctoritate, tenore præsentium tribuimus, & impertimur. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac, quatenus opus sit, Ordinis, & Provinciæ hujusmodi, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice duntaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die xx. Julii MDCLXXI. Pontificatus Nostri Anno tertio.

I. G. Slusius.

Autogr. in Secret. Brevium Apost. Regesto mens. & anni præd. fol. 17.

NO-

NOTA.

DUm in præposito Brevi Fratres nostros ad Domicilium in Mahlberg figendum ab Episcopo Argentoratensi requisitos esse legis, hoc Litteris ad Definitorium Generale datis, & sequentibus factum fuisse scito.

Nos Franciscus Egon, Dei gratia Episcopus Argentoratensis, S. R. Imperii Princeps &c.

Cum nihil Nobis magi cordi sit, quàm Orthodoxæ & Apostolicæ Fidei, ac Religionis incrementum, Nobisque notorium existat, quod Vos in eandem cum Nobis sortem vocati sitis, eapropter hisce Vos requisitos volumus, quatenus in hac Congregatione generali decernatis, ut præcedente Sedis Apostolicæ assensu in Dynastia Mahlberg sub ordinaria & Episcopali jurisdictione nostra constituta, Patres Missionarii constituantur, qui tantò majorem in tali Missione messem sunt collecturi, quantò plures Operarii ibi desiderantur, dictaque Dynastia pluribus prô Dolor! hæreticis abundet. Illa ratione Fidem Catholicam & Romanam propagabitis, singularique obsequio Nos Ordini vestro devincietis, qui sumus vobis inclinati. Bonnæ &c.

Consensus Pontificius ne tardaretur, eum Serenissimus Marchio Badensis Wilhelmus, Emin. Cardinalis Hassiæ officiis commendavit, litteris subnexis.

Minimè Charitati vestræ ignotum esse volumus, qualiter Serenissimus Princeps Leopoldus, Marchio Badensis, & Hochbergii &c. piæ record. dilectissimus Filius noster, in ultimo suæ voluntatis testamento disposuerit, ut pro construenda Patrum Capucinorum Missione quædam pecuniaria summa impenderetur, & dicta Missio fundaretur in illo loco, qui relictæ Viduæ, aut Hæredibus magis opportunus videretur. Dominam igitur Viduam & Nos quod attinet, benignè annuere & concedere non gravamur, ut præfata Missio in nostra Dynastia Mahlberg constituatur, prout â Reverendiss. Domino Ordinario & Episcopo Argentoratensi benignissimè jamjam datus est consensus, quo & Nos, tanquam Dominum Territorialem, suam trahit in sequelam, animumque addit, incepto totius Religionis Orthodoxæ incremento maximè proficuo operi nostrum conferendi auxilium. Charitatem ergo Vestram amicissimâ familiaritate requirere voluimus, ut, cum res adhuc unicè in consensu S. Sedis Apostolicæ hæreat, pro ea, qua pollet, auctoritate, efficiat, quatenus in Romana Curia consensus Sanctissimi Patris obtineatur. Quem favorem reciproca & obsequiosissima promptitudine (utut jam aliàs Eidem, tanquam nostro Cognato, obstrictissimi) promereri satagemus &c. Badenæ 29. April. 1671.

Wilhelmus, Dei gratia Marchio in Baaden & Hochberg &c.

Utriusque Documenti Exemplar Auth. in Archivo Provinciæ.

Provinciæ ad Capitulum Generale duos Custodes cum P. Ministro Provinciæ ablegandi, novasque Domos sine S. Sedis licentia &c. construendi facultatem largitur.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

AD Pastorale fastigium, meritis licèt imparibus, Divinâ dispositione evecti. *Residuum vide fol. 20.*

DECRETO

S. Congreg. Episc. & Regul.

Reformatio Monialium, Tertii Ordinis Sancti P. Francisci, Loci Marchdorffii, Apostolico ad Helvetos Nuntio committitur.

SUpplicantibus Monialibus Tertii Ordinis S. Francisci Loci Marchdorffii pro transitu ad strictiorem Reformationem:

Sacra Congregatio Eminentissimorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis & con-

consultationibus Episcoporum & Regularium præposita, audita relatione Vicarii Generalis Constantiensis, censuit committendum, prout præsentis Decreti vigore, benignè committit Nuntio Apostolico apud Helvetos, ut veris existentibus narratis, & auditis priùs interesse habentibus, Oratricum precibus, juxta dispositionem SS. Canonum & Concilii Tridentini, ac Ordinis prædicti, servatis tamen servandis pro suo arbitrio, ac conscientia indulgeat.

Romæ 10. *Januarii* 1687.

C. Card. Carpineus.

Autogr. in Secret. S. Congreg. Reg. mens. & anni prædicti.

N O T A.

IN loco, Berckhaimb vocitato, & nonnisi duabus horis à Marispurgo, ubi Celsissimus, & Reverendissimus Princeps, & Episcopus Constantiensis residere solet, supra enuntiatarum Monialium Partenone prima sua fundamenta, & domicilium fixit, juri RR. PP. Conventualium parens; tempore autem, quo Sveci Germaniæ gloriam confuso armorum strepitu conturbârunt, & igne ferroque Sacra æquè, ac prophana sub scelesti facinoris ruina miscuerunt, abiit & dictum Monasterium in cineres, ita, ut Religiosæ Sorores longiore tempore vacillantem Vitæ suæ disciplinam sub ruderibus deflere cogerentur. Quapropter æquè de scrupulo conscientiæ anxiæ, ac de Spiritûs profectu sollicitæ, aliam opportuniorem stationem quæsiverunt, eamque in Oppido Marchdorffii, à Celsissimo ac Reverendissimo D. Episcopo Constantiensi, ac Domino Territoriali datam acceperunt.

Personante postmodum famâ de Reformatione Monialium ad S. Annam Brigantii & Lucernæ, Tertii Ordinis regulam sub Habitu & analogica Capucinorum vita profitentium, supplicârunt & illæ S. Congregationi Episc. & Regul. pro ejusdem reformationis amplexu, & inductione, quæ etiam, receptâ à Reverendissimo D. Vicario Generali Constantiensi informatione, Illustriss. Domino Nuntio Apostolico, tunc Jacobo Cantelmo, Archiepiscopo Cæsareæ &c. per antepositum Decretum pro executione fuit commissa.

Cum nimiam tandem à loco S. Nuntiaturæ, cujus jurisdictioni suberat, distantiam, spirituali Monialium solatio haud parum præjudicare comperiretur, iis, quod sequitur, à Sacra Sede fuit indultum.

Moniales easdem à jurisdictione Nuntii Apostolici eximit, easque illi Principis & Episcopi Constantiensis, sub spirituali Fratrum nostrorum directione subjicit.

A tergo: *Venerabili Fratri, Julio, Archiepiscopo Rhodien., Nostro & Sedis Apostolicæ in Dominio Helvetiorum & Rhætorum Nuntio.*

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ven. Frater salutem & Apostolicam Benedictionem.

EXponi Nobis nuper fecerunt Dilectæ in Christo Filiæ, Moniales Monasterii Oppidi seu Loci de Marchdorff, Tertii Ordinis S. Francisci, Constantiensis Dioecesis, Provinciæ Moguntinæ, quod ipsæ Institutum Dilectorum Filiorum Fratrum Minorum Ordinis ejusdem S. Francisci, Capucinorum nuncupatorum de Sedis Apostolicæ licentia amplexæ sunt, directioni verò, & visitationi Fraternitatis Tuæ, & pro tempore existentis Nostri, & dictæ Sedis in Dominio Helvetiorum, & Rhætorum Nuntii subditæ reperiuntur.

Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dictum earum Monasterium ab Oppido Lucernæ, ubi dictus Nuntius residere consuevit, & Fraternitas Tua de præsenti residet, longè distet, adeoque dictæ Exponentes ad Te, & dictum Nuntium, cum id spirituales ipsarum, aliæve prædicti Monasterii necessitates exposcunt, occasione & tempore opportunis ad illas nuntiandas, & exponendas deficientibus, recursum, ad hoc, ut illis provideatur, absque dispendio habere non possint; à Civitate verò Constantiensi nonnisi paucis milliaribus idem Monasterium dissitum sit, ac proinde ipsæ Exponentes se jurisdictioni, directioni, & visitationi Venerabilis Fratris moderni, & pro tempore pariter existentis Episcopi Constantiensis, auctoritate Nostra subjici, prædictosque Fratres Capucinos, quorum Institutum, sicut præmittitur, profitentur, quosque proinde ad spiritualem earum directionem, ad quam, prout etiam ad ipsarum, dictique Monasterii visitationem Tu eos jam, ut ipsæ asserunt, admisisti, quibuscumque aliis Religiosis, aut Presbyteris sæcularibus aptiores esse existimant, in spirituales earum Directores eadem auctoritate deputari summopere desiderent, ac ad id memorati moderni Episcopi Constantiensis, qui, ut eædem Exponentes desiderii sui hujusmodi compotes faciliùs reddantur, aliud Monasterium Monialium eorumdem Ordinis, Instituti, & Dioecesis, in confiniis dicti Oppidi Lucernæ positum, ac suæ jurisdictioni subjectum, Tuæ & pro

pro tempore exiſtentis Nuntii prædicti viſitationi, & directioni ſupponere paratum ſe exhibet, accedat aſſenſus: Nobis propterea dictæ Exponentes humiliter ſupplicari fecerunt, ut ſibi in præmiſſis opportunè providere, &, ut infra, indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur ipſas Exponentes ſpecialibus favoribus proſequi volentes, & earum ſingulares perſonas à quibuſvis &c. cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitorum, qui relationes Tuas ſuper præmiſſis ad ſe tranſmiſſas audiverunt, conſilio, & attento conſenſu dicti Epiſcopi Conſtantienſis, Fraternitati Tuæ per præſentes committimus, & mandamus, ut, veris exiſtentibus narratis, &, quatenus expedire cenſueris, earumdem Exponentium precibus hac in re, auctoritate noſtra prædicta, pro tuo arbitrio & conſcientia indulgeas, ſalvâ tamen ſemper in præmiſſis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon, quatenus opus ſit, Monaſterii & Ordinis prædictorum, etiam &c. ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis &c. innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, illorum tenores &c. derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXVI. Septembris MDCXCIX. Pontificatus Noſtri Anno nono.

J. Franc. Card. Albanus.

Autograph. in Arch. Secret. Brev. Apoſt. Reg. menſis & anni prædictorum fol. 15.

Fr. Maximilianum à Wanghena, ad Provinciam regredientem, in officio Poſtulatoris Cauſæ Canonizationis Beati Fidelis à Sigmaringa, Protomartyris &c. confirmat, cum conditione, ut exigente dictæ cauſæ utilitate ad Almam Urbem redire teneatur.

A tergo: *Dilecto Filio, Maximiliano à Wanghena, Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum Profeſſori.*

CLEMENS PAPA XII.

Dilecte Fili ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

Religionis zelus, vitæ ac morum honeſtas, aliaque laudabilia probitatis & virtutum merita, ſuper quibus apud Nos fide digno commendaris teſtimonio, Nos inducunt, ut Tibi reddamur ad gratiam liberales. Cum itaque, ſicut Nobis nuper exponi feciſti, Dilectus Filius Bonaventura à Ferraria, Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum Miniſter Generalis, ac Sac. Palatii Apoſtolici Prædicator, Te, qui (ut accepimus) Provinciæ anterioris Auſtriæ ejuſdem Ordinis Frater expreſsè profeſſus, Cuſtos, & ex-Miniſter Provincialis exiſtis, nec non noviſſimè Commiſſarii, ac Viſitatoris Generalis Provinciarum utriuſque Siciliæ dicti Ordinis munus laudabiliter obiviſti, in officio Poſtulatoris Cauſæ Canonizationis B. Fidelis à Sigmaringa, ipſius Ordinis Alumni, in Romana Curia, quo ritè, ac ex Superiorum tuorum animi ſententia hactenus functus fuiſti, confirmaverit, cum omnibus, & ſingulis prærogativis, juribus, & facultatibus neceſſariis & opportunis, Tibique inſuper ad tuam Provinciam præfatam eundi licentiam impertitus fuerit, ita tamen, ut, ubi Cauſæ Canonizationis hujuſmodi neceſſitas, vel utilitas exegerit, ad almam Urbem reverti tenearis, & aliàs, prout in binis prædicti Bonaventuræ, Miniſtri Generalis, patentibus literis deſuper expeditis, quarum tenores præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſis haberi volumus, uberiùs continetur. Nos firmiori præmiſſorum ſubſiſtentiæ proſpicere, Teque præfatorum meritorum intuitu ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes,

& à quibusvis excommunicationis &c. absolutum fore censentes, supplicationibus tuo nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, confirmationem in officio Postulatoris Causæ Canonizationis hujusmodi, ac licentiam eundi ad Provinciam tuam Tibi à memorato Bonaventura Ministro Generali, sicut præmittitur, concessas, expeditasque desuper binas illius patentes literas præfatas, auctoritate Apostolica, tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes & singulos juris & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Decernentes ipsas præsentes literas firmas, validas, & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, Tibique in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, & ab eis, ad quos spectat, exactè observari debere, ac irritum & inane, si secus super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, & Provinciæ hujusmodi, aliisque quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores pro plenè & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice duntaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris Die VI. Octobris MDCCXXXIV. Pontificatûs Nostri Anno Quinto.

Pro D. Card. Oliverio

P. L. Jacquet.

Autograph. in Arch. Secret. Brev. Apost. Reg. mensis & anni præd. fol. 4.

Mariæ Augustæ, Principissæ Wirtembergiæ Viduæ, de propensa erga Eam Pontificia voluntate diutius cum eodem Fr. Maximiliano à Wanghena se locutum, ab hoc Pontificium donum illius Filiis transmissum iri, ac Friderico Tertiogenito Canonicatum Salisburgensem singulari attentione collatum fuisse significat.

A tergo: *Dilectæ in Christo Filiæ, Nobili Mulieri, Mariæ Augustæ, Principissæ Wirtenbergiæ, Viduæ.*

CLEMENS PAPA XII.

Dilecta in Christo Filia, Nobilis Mulier, salutem & Apostolicam Benedictionem.

QUàm gratum Nobis, quantæque lætitiæ fuerit, è Nobilitatis Tuæ officiosissimis litteris intellexisse, omni Te studio sanctissimæ colendæ nostræ Religioni dare operam diligenter, atque eximiâ solertiâ imbuendam curare Catholicis institutis eximiam tuam Sobolem, ut à vera Parentum fide non aberret, satis profectò nec assequi verbis, nec dare Tibi in conspectum possumus. Conjicies tamen, si ad Paternam Charitatem quâ Vos in Christo complectimur, advertas animum, unde tanta Nobis de vestra sempiterna felicitate solicitudo emergit, anxiosq; reddit, ut Vobis tutum ad ipsam muniamus iter. Laudavimus igitur ingenti plausu diligentiam Tuam, quâ Te in avita Religione quotidie magis confirmas, eamque cum pietate conjunctam instillari studes tenellis Filiis, quorum non sine singulari gaudio accepimus literas, testes futuræ in ea retinenda constantiæ suæ, observandæque præcipuâ veneratione Apostolicæ Sedis: simul autem precati sumus Deum Optimum Maximum, ut nunquam non iis propitius adsit, & magnum conferat rerum quoque humanarum præmium. De hac nostra assidua obsecratione ac benevolentissima erga Nobilitatem Tuam, illustresque Liberos voluntate diutius loquuti sumus cum Dilecto Filio, Maximiliano, Religiosæ Capucinorum Familiæ Alumno, qui Nobis vestras literas reddidit, Eumque jussimus Te Pontificiæ benignitatis certiorem reddere, & munusculum inclitis Natis Tuis Nostro nomine transmittere, pignus Paterni amoris, quo sanè eisdem favemus.

Cùm verò ille pridem Nobis renuntiâsset, Te vehementer percupere, ac Nos summis precibus obtestari, ut Principem Federicum, tertiogenitum Tuum, aliquo insigni Germaniæ

niæ Canonicatu donaremus, vixdum unus Salisburgenſis vacavit, Ei ſtatim aſſignavimus: donum profectò, ejus præſertim ætati, non vulgare, quodque idcirco Tibi luculentiùs propenſiſſimi animi erga Vos noſtri dare documentum poſſit, ac palam oſtendere, magno Nobis in pretio eſſe caſtam Religionem, quâ Deum, conſtantiſſimum obſequium, quo Nos, Romanamque Sedem venerabundi proſequimini, cujuſque merito Apoſtolicam Benedictionem Tibi, Dilecta in Chriſto Filia, Nobilis Mulier, inclitæque Tuæ Soboli peramanter impertimur.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 11. Januar. MDCCXL. Pontificatus Noſtri anno decimo.

Jo: Vincentius Lucchefinius.

Ex Arch. Secret. Brev. ad Principes *Reg. menſ. & anni præd. fol.* 637.

A dicto Fr. Maximiliano, litteras à ſe gaudenter receptas, conſtantemque erga S. Religionem animum in iis viſum eſſe, Carolo Eugenio, Wirtenbergiæ Principi reſcribit.

A tergo: *Dilecto Filio, Nobili Viro, Carolo Eugenio, Wirtembergiæ Principi.*

CLEMENS PAPA XII.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

REddidit Nobis à Nobilitate tua literas, omni refertas humanitatis, venerationis, officiique ſignificatione, dilectus Filius Maximilianus, ê Religioſa Capucinorum Familia, quæ quidem literæ Nos mirificè exhilarârunt: præſeferunt enim, quo conſtantiſſimo ſis animo erga Sanctiſſimam noſtram Religionem, & quibus ad eam ritè colendam egregiis moribus inſtituaris. Quapropter ſingulari, ac verè paterno amore amplexi Te ſumus, optimæ Genitricis induſtria, ac ſedulitate à teneris annis incipientem virtutis iter, ac populis imperio tuo ſubjectis certam ſpem afferentem, bene ſibi fore ex hac tua inſigni pietatis indole, quam Catholica veritate, ac legibus imbutam, uberrimis eos locupletaturam felicitatis fructibus, nemo ſane dubitare poteſt. Imple igitur, Dilecte Fili, Nobilis Vir, factam de Te exſpectationem, & in propoſito, quod pro ſempiterna ſalute feliciter tenes, Orthodoxæ ſectandæ Religionis, obſervandæque debito cultu ſupremæ Sedis perſeverans, cumulare quotidie magis contende ſuſceptum à Nobis uſque adhuc inſigne de Te gaudium, quam in ſpem, Apoſtolicam Benedictionem ex intimo paterni cordis ardore Tibi peramanter impertimur.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, Die 11. Jan. MDCCXL. &c.

Jo: Vincentius Lucheſinius Secret.

Autog. in Secret. Brev. ad Princ. *reg. menſ. & anni præd. fol.* 637.

Fr. Hermenegildum à Briſaco, electum à Sereniſſimo Wirtenbergiæ Duce itinerationis comitem, Habitu Clericali Sæculari incedere poſſe, eidem Duci, Emin. D. Cardinalis Pontifici à Secretis ſignificat.

SERENISSIME DUX.

QUod ê perículoſa variolarum infirmitate Deus Opt. Max. Celſitudinem tuam ſalvam, ac ſoſpitem evaſiſſe dedit, ſummopere lætor, & gratias ſupremi Numinis benignitati quàm maximas habeo, atque ago; cujus ſingularem pro ſalutis tuæ conſervatione providentiam, ſi in tanto periculo perſpectam habuiſti, optimè intelligis, omnes illius fructus ad ipſius Dei gloriam, & cultum, ad omnium virtutum proſecutionem &c. eſſe referendas. Hoc ut commodiſſimè aſſequi poſſis, cum Celſitudo Tua à me petierit, ut pro R. P. Hermenegildo Capucino, totius educationis tuæ Directore, impetrarem à Sanctiſſimo Domino Noſtro licentiam incedendi habitu Clericali Sæculari, quò faciliùs aſſiduum ſe Tibi Comitem præbere poſſet, honeſtiſſimum hoc Celſitudinis Tuæ deſiderium Sanctitati Suæ expoſui, atque benignum ab eo aſſenſum obtinui. Quod ut eidem P. Hermenegildo, & Pontificio, & meo nomine, notum facias, Te rogo, minimè dubitans, quin is eam ſemper in veſtitu modeſtiam ſervet, quæ Eccleſiaſticum Virum, atque illius potiſſimùm Profeſſionis hominem maximè decet.

Ac ſi quæ ſunt alia, quæ à me tuâ causâ agi, vel apud Summum Pontificem curari velis, Te oro, ut ea mihi vel per literas mandes, vel per R. P. Maximilianum, quem ſemper libentiſſimè excipiam, neque enim committam, ut Celſitudini Tuæ ulla in re, opera, ſtudio, officiosè deſim: tuas enim præclaras virtutes, ſummopere diligo, quas & olim cre-

crescentes admiratus sum, nunc apud Sanctissimum Dominum Nostrum sæpe commemorare non prætermisi: Cujus proinde paternum amorem erga Celsitudinem Tuam, totamque Serenissimam Domum, qualibet occasione oblata, experimento cognosces. Vale, Serenissime Dux, ac Religioni & virtuti toto pectore incumbens me amare perge.
Romæ 19. Novemb. 1741.

Celsitudinis Tuæ.

Addictissimus Servus
Card. Valenti.

Exemp. Auth. in Arch. Generali Ord. Armario, Provincia Anterioris Austriæ.

Concessionem Capellæ B.V. Mariæ Lauretanæ extra Oppidum Stüehlingen à Josepho, Principe de Furstenberg, Landgravio &c. ad formam Custodiæ, à Fratribus acceptatæ, Episcopalemque desuper consensum confirmat, ac Capellam dictam, Regularem esse declarat.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus Filius Maximilianus à Wanghena, Definitor Generalis Ordinis Minorum Sancti Francisci Capucinorum nuncupatorum, quod, cum ipse, dum Ministri Provincialis Provinciæ Austriæ anterioris munere fungebatur, ad uberius promovendam animarum salutem præviis approbationibus, & licentiis tum Venerabilis Fratris Bonaventuræ à Ferraria, Archiepiscopi Ferrarien. tunc temporis Ordinis hujusmodi Ministri Generalis, tum bo. mem. Joannis Francisci, Episcopi Constantiensis, tum dilecti Filii, Nobilis Viri, Iosephi Principis de Fürstenberg Landgravii in Stüehlingen novam Coloniam, seu Hospitium prope Capellam B. Mariæ Virginis Lauretanæ extra Oppidum Stüehlingen nuncupat. Constantien. Dioecesis erexisset, eandemque Capellam dictus Episcopus Constantiensis Fratribus Ordinis prædicti assignaverit, ac Ecclesiam Regularem declaraverit, ipseq; Maximilianus dictam Capellam propter vasa argentea, & aliam sacram supellectilem, paupertati Ordinis prædicti non conformem, ad solam custodiam acceptaverit, quemadmodum constat ex consensu memorati Episcopi Constantien. tenoris, qui sequitur; videlicet = Ioannes Franciscus, Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Constantiensis, & Augustanus, S. R. I. Princeps, Dominus Augiæ Majoris, & Oeningæ &c. universis, & singulis harum seriem lecturis, vel legi audituris gratiam nostram, & salutem in Domino. Inter cunctas Pastoralis nostri incumbentis officii curas illa certe maxima est, ut ea, quæ ad majorem Dei gloriam proximique spirituale bonum redundant, benignè foveamus, &, ut desideratum finem eò felicius assequantur, consensûs nostri Ordinarii adjiciamus auctoritatem. Cum itaque Nobis pro parte Religiosorum Nobis in Christo dilectorum PP. Ordinis S. Francisci, Provinciæ Anterioris Austriæ, Capucinorum, humillimè fuerit expositum, qualiter pro uberiori Animarum salute, ac divino cultu singulariter promovendo extra Oppidum Stüehlinganum prope Cappellam B. M. Virginis Lauretanæ, quam ex nunc Regularem esse volumus, novam Coloniam, sive Hospitium erigere intendant, obtento ad id Serenissimæ Domûs Principum de Fürstenberg, seu Dominorum in Stüehlingen Territorialium assensu, Nobis originaliter exhibito, nostrum quoque, tanquam Ordinarii dicti loci Stüehlingen efflagitantes consensum, ad executionem hujus operis de jure omnino necessarium; Idcirco Nos, cum petitionem hanc æquitati conformem, ac bono publico, quàm maximè utilem, atque salutiferam fore judicemus, & ad emanatam citationem edictalem se nemo opposuerit, tali petitioni favorabiliter in Domino annuentes, ut Colonia per dictos PP. Capucinos loco præmisso erigi possit, ac valeat, nostrum per præsentes impertimur consensum, Decano Capituli committentes, ac mandantes, ut nostro nomine, & auctoritate præmemoratos PP. Capucinos in novam Coloniam, sive Hospitium introducat, atque immittat, prædicto huic operi, ad Dei gloriam, Cœlitumque honorem, ac Animarum salutem unicè tendenti felix facturus auspicium. Concedimus insuper præmemoratis PP. Capucinis licentiam conservandi SSmum cum SSmo Oleo pro sua tantùm, & Peregrinorum devotione, absque minimo tamen Ecclesiæ Parochialis præjudicio, in quorum omnium indubitatam fidem has litteras à Vicario nostro in spiritualibus Generali subscribi, & Sigillo nostro Pontificali communiri jussimus. Datum Constantiæ Anno Domini MDCCXXXVI. Augusti Indict. XV. Loco ✠ Sigilli. = Franciscus Joannes-Anton. Episcopus Uthin. Suffragan. & Vic. Generalis. = Quoniam autem dictus Maximilianus, nomine etiam memorati Josephi Principis, ut institutum Ordinis hujusmodi perpetuò salvum, & illibatum remaneat, & ex legiti-

gitimè peractis nullæ tractu temporis odioſæ differentiæ exoriantur, præmiſſa, quò firmiùs ſubſiſtant, ac ſerventur exactiùs, Apoſtolicæ confirmationis noſtræ patrocinio communiri ſummopere deſiderat, Nos ipſum Maximilianum ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium tantùm conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humillimè porrectis inclinati, præinſertam ejuſdem Joannis Franciſci, Epiſcopi Conſtantienſis licentiam, ſeu conſenſum Fratribus Ordinis hujuſmodi conceſſum erigendi novam Coloniam, ſeu Hoſpitium prope Eccleſiam, ſeu Capellam prædictam Beatæ Mariæ Virginis Lauretanæ, cum omnibus, & ſingulis in ea contentis, & inde ſecutis, Auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, omneſque & ſingulos juris & facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus & ſanamus, eiſdem Fratribus ejuſdem Ordinis, ut ipſi eandem Cappellam, ac ſuppellectilem Sacram, aliaque omnia, in ea exiſtentia non niſi ad formam meræ cuſtodiæ adminiſtrare poſſint, & valeant, debeantque, dicta auctoritate concedimus, & indulgemus, illamque, tanquam Eccleſiam Regularem habendam eſſe declaramus. Decernentes eaſdem præſentes litteras firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac Fratribus Ordinis prædicti pleniſſimè ſuffragari, ſicque in præmiſſis per quoſcunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon dicti Ordinis, & juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die xv. Martii MDCCXLI. Pontificatus noſtri Anno primo.

Pro D. Card. Paſſioneo

Cajetanus Amatus.

Breve formatum in Archivo Provinciæ.

N O T A.

PRæter facultatem Celſiſſimi ac Reverendiſſimi Principis & Epiſcopi Conſtantienſis Apoſtolico Brevi inſertam, Sereniſſima Furſtenbergica Domus ſuum conſenſum expreſſit ſubnexis duobus Documentis.

Nos Frobenius Ferdinandus, Dei gratia S. R. I. Princeps de Fürſtenberg, Landgravius Baari, & Stüehlingæ, Comes in Heiligenberg, Wertenberg, Baro in Gundelſingen, Dominus in Hauſſen, Vallis Rinzinganæ, Môskirchii, Weiſſenſteigæ, Wildenſteinii, Trochtelſingæ, Fungenavii, & Weithræ &c. aurei velleris Eques, Sacræ Cæſareæ, & Reg. Cathol. Majeſtatis actualis Conſiliarius Intimus &c.

Poſtquam Ad. RR. PP. Capucini laudabilis Provinciæ ante-Auſtriacæ æquè, ac etiam totus Venerabilis Clerus in Landgraviatu Stüehlingenſi exiſtens, Domini Cognati noſtri actualis Cæſarei Conſiliarii intimi, & Principalis Commiſſarii ad Comitia Ratisbonenſia, Principis Joſephi de Fürſtenberg-Stuehlingen Charitati ſingularia emolumenta Spiritualia ex hoſpitio quodam PP. Capucinorum in ejuſdem Charitatis Landgraviatu, & Urbe Stüehlingen exſtruendo enaſcitura expoſuiſſent, ac pro eo inſtantiſſimè ſupplicâſſent, altefata etiam Charitas in ejuſmodi Capucinorum Hoſpitii erectionem ipſamet inclinet, â Nobis autem noſtrum ceu Agnati conſenſum, pro parte Principalis Furſtenberg-Moskirchenſis lineæ noſtræ ad hæc requiſiviſſet, & Nos huic pio, utili ac ſalutari altefatæ Charitatis ſuæ, Ejuſque ſubditorum propoſito, quo Eidem cœleſtis benedictionis abundantia proventura eſt, libenter omne, quantùm in Nobis eſt, momentum afferre deſideremus, ideo pro parte memoratæ noſtræ Principalis Fürſtenbergicæ Domûs, & Maſculorum deſcendentium noſtrorum in hujuſmodi Hoſpitii erectionem Stüehlingæ, virtute præſentium omnem conſenſum noſtrum impertiri, ac ſupra altefatæ Domini Cognati noſtri Charitati ſuæ, hujuſce Deo placituri operis promotionem, omni meliore modo recommendare volumus. In quorum robur has propria manu ſubſcripſimus, & Principali Sigillo noſtro firmavimus Möſkirchii, die 23. Martii 1737.

Frobenius Ferdinandus, Princeps de Fürſtenberg &c.

Nos

Nos Principales Fürstenberg-Stüeblingenses ad regimen clementissimè constituti Cancellarius, intimi, Aulici & Regiminis Consiliarii, notum, fidemque hisce facimus, quâ ratione à Serenissimo, ac Clementissimo Domino nostro Rescriptum sub Data Lauthemii, die 6. Augusti, præter alia, hujus quoque contextûs Nobis directum sit = Quod, cum PP. Capucini à Rmo Ordinariatu gratiosissimum, Hospitium Stüeblingæ erigendi consensum obtinuerint, altissimè fata Serenitas Sua non solùm in propositam à PP. Capucinis possessionis prehensionem ob allegatas magni momenti causales accelerandam condescendat, sed etiam liberam Domini Sacellani Brunneri, hactenus ea Cappellania fruentis, resignationem clementissimè ratihabeat, ulteriori annexo, quod idem Serenissimus præfato D. Sacellano ad dies vitæ congruo in Arce Stüeblingana frui gratiosissimè permittat, econtra illa lignorum quantitas, quæ ipsi in partem Salarii præberi solebat, usui PP. Capucinorum, & 2. Patrum ab initio illuc locandorum proveniat. Ut igitur PP. Capucini super hoc in locis, ubi &c. se legitimare queant, eisdem hoc præsens attestatum extruditum, & appresso majori Princip. Regiminis Sigillo roboratum fuit Donefchingæ die 19. Aug. 1737.

Ex Archivo Provinciæ.

Monialibus, aliisque in Monasterio Loci Brigantii commorantibus, per novem dies, Festum Nativitatis D.N.J. Christi immediatè præcedentes, peculiaris devotionis opera peragentibus, varias Indulgentias impertitur.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad futuram rei memoriam.

CUM, sicut accepimus, in Ecclesia Monasterii Monialium Tertii Ordinis Sancti Francisci Reformatarum, Oppidi Brigantii, Dioec. Constantien. Provinciæ Moguntinæ, per novem continuos dies, immediatè antecedentes Festum Nativitatis D. N. Jesu Christi multa christianæ pietatis opera ad Capellam, seu Altare, seu Oratorium intra claustra dicti Monasterii ipsæ exercere consueverunt, seu intendunt, Nos ad augendam earumdem Monialium devotionem paternâ charitate intenti, omnibus & singulis Monialibus, ac aliis in dicto Monasterio degentibus, verè poenitentibus & confessis, ac Sacrâ Communione refectis, quæ in primo & ultimo prædictorum novem dierum singulis annis dictam Capellam devotè visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam & remissionem misericorditer in Domino concedimus, in reliquis ex prædictis novem diebus eis, & Monialibus, aliisque prædictis, ut supra, visitantibus, & ibidem orantibus septem annos, & totidem quadragenas de injunctis iis, seu aliter quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxamus, præsentibus ad septennium tantùm valituris. Volumus autem, ut, si pro impetratione &c. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die XXVI. Augusti MDCCXL. Pontificatûs nostri Anno primo.

D. Card. Passioneus.

Breve formatum in Archivo Monasterii supradicti.

N O T A.

MOnasterium prædictum, ex nomine S. Annæ notum, & tam exactâ vitæ Monasticæ observantiâ; quàm perfectâ clausurâ admodum celebre, à Triumviris Fratribus Germanis, Caspаro, Magno, & Thoma Schmid de Wellenstein, prope Brigantium in loco, *Ried* nuncupato, anno post Virgineum partum millesimo sexcentesimo quarto conditum, à suis incunabulis sub Visitatione & Spirituali directione RR. PP. Conventualium, usque ad annum millesimum sexcentesimum undecimum constitit, quo abs Illustrissimo Domino Ladislao, Apostolico apud Helvetos Nuntio, Episcopi Constantiensis juri commissum est. Hic vicinis Augiæ majoris Brigantinæ, vulgò *Mererau*, Abbatibus, Ordinis S. Benedicti illius curam ab eo tempore usque in hodiernum diem delegare consuevit, quorum indefesso zelo, socioque Fratrum nostrorum Brigantii commorantium studio regularis disciplinæ florem prosequitur. Post absolutam parvæ habitationis & Ecclesiæ fabricam prima Professa, & Antistes (quam Matrem vocant) extitit Venerabilis Soror Ursula Schmid de Wellenstein, ipsius Con-Fundatoris Thomæ, & Mariæ Magdalenæ Miltoblerin Filia, quæ inter complures variantis fortunæ casus gubernium ab anno 1606. usque ad annum 1629. magnâ virtute tenuit, primaque fuit, quæ cum Sorore Anastasia Signerin, ex Parthenone in Wunenstein huc vocatâ, reformationem induxit, factâque dicto anno 1629. officii renuntiatione, beatæ mortis studio se totam dicavit, quam & anno 1642. pridie Kal. Decemb. in odore suavitatis subiit.

PRO-

PROVINCIA

FLANDRO=BELGICA.

Sat non erat immortalis gloriæ Heroj & Principi, Alexandro Farneſio, Parmæ & Placentiæ Duci &c. diſcolas Flandriæ Ditiones juri Philippi II. Hiſpaniarum Regis, Cognati ſui per cumulatas victorias ſubegiſſe; ſat non erat ſubactas à fœdo hæreſeos jugo purgâſſe, & libertati Filiorum Dei reſtituiſſe. Voluit & inſuper, ut, qui introductus eſſet avitus Catholicæ Fidei decor, vigili Operariorum labore cum incremento ſolidaretur. Eapropter anno milleſimo quingenteſimo octuageſimo quinto Fratres noſtros Pariſiis aſcivit, eoſque Antuerpiæ firmari, à S. Sede popoſcit. Annuit hæc Principis voto, & Deus Fratrum zelo benedixit in virtute, ita ut iis ſucceſſivè variæ ſint oblatæ ædes, & edicto, quo Carolus V. ſub decem Marcarum auri pœna fundationes novorum Monaſteriorum inhibuit, derogari, ac Fratribus libera Cœnobia conſtruendi facultas concedi debuerit, prout & hæc conceſſa eſt ſequenti Regis Catholici diplomate.

Philippus, Dei gratiâ Rex Caſtellæ &c. Univerſis has literas lecturis ſalutem.

Nobis Fratres Minores S. Franciſci, Capucini nuncupati, exponi fecerunt, quòd bon. mem. Dux Parmæ & Placentiæ, Nepos noſter, & tempore ſui obitûs Eques noſtri Ordinis, Velleris aurei, necnon Gubernator & Capitaneus Generalis Ditionum Belgicarum, bonâ adductus devotione, eos in dictas haſce Ditiones advocaverit, & loca etiam eis aſſignaverit pro extruendis Monaſteriis; jam ſicut numero & multitudine plurimùm creverunt, ita percupiunt magis, magiſque verbo, & exemplo animabus proficere, bonumque ipſum commune Belgii ſpiritualiter promovere ad Dei gloriam: quod & reipſa futurum ſperant, dummodo velimus conſentire, ratam quoque habere erectionem Monaſteriorum, quæ ipſi hactenus in hiſce noſtris Ditionibus excitârunt, idque non obſtante edicto perpetuo, quod fecit glorioſæ memoriæ Carolus V. Imperator, noſter Pater & Dominus, Anno 1553. die decima Octobris, prohibens ſub pœna decem marcarum auri, ne impoſterum ullæ ædificentur, fundentur, & dotentur Eccle-

siæ, Cappellæ, Collegia, Capitula, vel Monasteria. Humiliter ergo à dictis Religiosis rogati, ut dignemur illis concedere patentes Literas rei propositæ convenientes: Notum facimus, quòd ob hæc, quæ dicta sunt, præsertim verò ob magnum incrementum, quod illi bene vivendo, ac piè religioseque conversando, afferunt Dei servitio, ac bono publico, & ob alias causas ad id nos moventes, annuimus favorabiliter eorum supplicationi, & ex certa scientia, plenitudine potestatis, & gratia speciali approbamus, & per præsentes Literas ratam habemus erectionem Monasteriorum, quæ à Fratribus Capucinis hactenus sunt excitata in hisce nostris Belgicis Ditionibus, atque etiam ampliori utentes favore concedimus, ut iidem possint nunc, & deinceps erigere, & fundare alia Monasteria, in aliis quibuslibet Civitatibus, Urbibus, & Locis dictarum nostrarum Ditionum, ubi desiderati erunt, vel invitati, & ob id absolvimus omnes Ministros nostros, Officiales, & Judices, quicunque & cujuscunque conditionis fuerint, à vinculo juramenti, & alia quavis obligatione, quam contraxisse possunt, ad observandam illam superiùs memoratam, & in contrarium disponentem legem Suæ Imperialis Majestatis; eosque à pœnis omnibus, & mulctis ibi appositis, tam pro tempore præterito, quàm pro futuro eximimus. Quocirca mandamus Nobis Dilectis, & fidelibus omnibus Præsidentibus, Cancellariis, & Consiliariis nostris in Geldria, Flandria, Artesia, Luxemburgo, Namurco &c. & aliis omnibus Judicibus, Officialibus & Subditis nostris, ut permittant, & patiantur dictos Fratres Capucinos, eorumque Successores uti, frui, & potiri plenè, pacificè, & in perpetuum hac nostra præsente approbatione, & concessione in hisce nostris Belgicis Ditionibus, nullamque illis hac in re faciant, vel fieri patiantur molestiam, vel impedimentum nunc, vel imposterum: quoniam hæc est nostra voluntas. In horum omnium testimonium jussimus præsentibus Literis affigi nostrum Sigillum. Datum in nostra Urbe Bruxella, die 29. Julii Anno 1595.

Regio hoc favore aucta Provincia, & paucorum annorum intervallo ab Atrebato Leodium usque extenta, trium aliarum Provinciarum Matrem triplicatâ scissione se conspexit. Facta fuit prima anno millesimo sexcentesimo decimo sexto, quo in Flandro-Belgicam, & in Gallo- vel Wallo- Belgicam, quarum prima Flandrico, & alia Gallico idiomate utebatur, fuit divisa, prout infra inter hujus ultimæ Provinciæ Documenta videre erit. Exivit posthæc currente anno millesimo sexcentesimo septuagesimo primò Custodia, & postmodum Provincia Insulensis, & partitionem anno millesimo septingentesimo quarto complevit Provincia Leodiensis.

Ab ortu suo Flandro-Belgica zelum pro Domo Dei, & animarum salute assumptum nunquam interrupit, & dum in primariis Flandriæ & Brabantiæ Cathedris, quæ ad præsens usque tempus retinet, Verbum Dei disseminavit cum fructu, per Missionarios ad Acatholicum Belgium ablegatos confregit hæresin in potentia. Apostolicus hic fructus, vitæ Evangelicæ junctus, fuit felix semen gloriæ, qua sibi populi animos reddidit devotos, & ad vitæ suæ sequelam etiam eos, quibus fortuna Natalis obsequiosa mundani fastûs commercia adpromisit, feliciter traxit.

Primos horum dignè pono duos Fratres secundùm carnem Germanos, Natione Scotos, nomine Archangelos, quorum miram vitam varius vulgavit typus, & qui cum Matre in Ecclesia nostra Conventûs Gandensis ultimam tubam exspectant sub Sepulchro, cui hoc adjunctum est Epitaphios.

Domi-

D. O. M.
Domina Margaritha de Gordon
Filia Marchionis Huntlai,
Cujus Regiam Nobilitatem
Mariæ, Jacobi V. Scotorum Regis Filiæ
Post-Reginæ, & Martyris
Tutela illustravit,
Comitis Forbesii infelix Conjux,
Thori ac Principatûs ob pietatem exul,
At felix Filiorum duorum Mater,
Quos in numerum Capucinorum
Seraphicus Pater adoptavit,
Perpetuis hujus vitæ miseriis liberata
Kalend. Januarii MDCVI.
Quam in anima æternam felicitatem
Cœlo læta obtinuit,
Eandem in corpore cum duobus Archangelis
Uno XXI. Martii MDXCII.
Altero II. Augusti MDCVI. defunctis
Hîc secura exspectat.

Presso ab Archangelis spiritûs vestigio alacri gressu institerunt

Fr. Onesimus Bruxellensis, celebris in historia Marchionis de Lede Frater germanus, qui grassante anno 1633. Trajecti ad Mosam lue epidemicâ Martyr amoris occubuit.

Fr. Hyppolitus Bruxellensis, ex illustri familia de Merode, & Baronibus de Pallant, insignis Verbi Dei præco.

Fr. Didacus Brugensis, ex prosapia Comitum de Maldeg, & Familiæ primogenitus, qui defunctâ Conjuge, & relictâ prole masculinâ Habitum paupertatis induit, & sui consilii habuit sequacem (præter duos Fratres Germanos, Fr. Angelinum, & Fr. Archangelum) Fr. Basilianum Brugensem, sibi sanguine junctum.

Fr. Eugenius Gandensis, ex Baronibus de Triest, Frater Uterinus Antonii, Episcopi Gandensis, ob collata Ecclesiæ dona æternaturâ memoriâ dignissimi.

Fr. Basilianus Gandensis, ex præclarissima Prosapia de Seclyn, exemplaris vitæ Religiosus.

Fr. Alexander Gandensis, ex prænobili, & antiqua Familia Dominorum de Borluut, Vir Dilectus Deo & Hominibus.

Fr. Carolus Bruxellensis, cum suo Fratre Germano Desiderato, ex genere Ducum Crojaci, Arschoti, & Arembergii, de quo infra fusior redibit memoria.

Inter hos dum alii varia & prima Provinciæ munia, disciplinâ morum & Sapientiæ laudabili gessêre, Fr. Carolus prælibatus binâ vice suo assessu, Forum Definitorii Generalis decoravit.

Habuitque in hoc munere antecessorem, Fr. Cyprianum Crousers Antuerpiensem,

Virum ſcientia Dei & pietate preſtantem, per tractum Rheni Commiſſarium Generalem, & Lectionum Parẹneticarum in Regulam Seraphicam Auctorem.

Uſque ad Sanctuarium & Hierarchiam Eccleſię pertigère, & in ea epiſcopatum accepère (pręter Fr. Carolum, ex Stemmate Principum de Hornes, quem & Leodienſes ſuum volunt) Fr. Angelus Bruxellenſis, ex Comitibus d'ognyes & d'Etrees, quem primus Bullarii tomus fol. 143. Epiſcopum Ruremundenſem memorat. Et Fr. Carolus d'Eſpinoſa, ex Comitibus de Riboncourt, Epiſcopus Antuerpię, qui ſicut in vita ſibi profundâ humilitate viluit, ita & poſt mortem ſub tali latere voluit, prout patet tum ex teſtamento, propria manu conſcripto, quo ſine externo apparatu (campanę ſonu excepto) ſepeliri diſpoſuit, tum ex epitaphio, lapidi ſepulchrali in Cœmeterio &c. ad pedes Imaginis Salvatoris à Cruce pendentis ita inſcripto.

Fr. Carolus d'Eſpinoſa,
Ex Ordine Capucinorum, Epiſcopus Tricalenſis
Suffraganeus Eminentiſſimi Cardinalis de Alſacia
Archiepiſcopi Mechlinienſis,
Demum Epiſcopus Antuerpienſis
Hîc jaceo
Ultimam judicii diem expectans.
Sors mea, quæ te latet, Lector.
Mihi modò nota eſt
Aut benigniſſimum Redemptorem
Aut æquiſſimum Judicem experior.
Hîc ſta
Et enixo meo voto annue,
Tu hunc, & illum ex nunc
In æternum lauda.
Idem enim Deus eſt, Sanctus & juſtus
In omnibus operibus ſuis
Ora pro me, ut æterna
R. J. P.

Celebrioris vitæ Fratres (præter memoratos duos Archangelos Scotos) & Ordinis & Provinciæ annales referunt non paucos, quibus tres, quorum famâ ætas noſtra ornata eſt, duntaxat ædjungo. Fratrem videlicet Norbertum Furnenſem, qui in diebus vitæ ſuæ, ut Sol proceſſit in virtute, & in cujus obitu viſus globus igneus cœlum rectà conſcendens, & ſole clarior, Eum in hemiſpherio divinæ viſionis, ceu ſolem micare indicavit.

Cucurrit in odorem unguentorum divinę gratiæ Fr. Elzearius Geldrienſis, & ſicut illibatæ vitę ſpecimina ſemper dederat, ita poſt octo vel novem mortis horas ê ſiniſtris naribus rubra, & paulatim in formam pulcherrimę Roſę, cum foliis coagulata materia, & ê naribus dextris alia fragi immaturi & albicantis materia pullulavit. Stupuit prodigium hoc, Medici examine & cenſurâ probatum, anno 1733. innumerus populus, cujus devotionem, ne in tumultum degeneret, armatus miles cohibere debuit.

Simi-

Similem confluxum nobile Barbantię Emporium, & suorum Principum Sedes, Civitas Bruxellensis, conspexit, dum anno 1735. *Fr. Fidelis Alostanus expositus jacuit in sandapila, & varias dispensavit gratias, suis precibus à Deo obtentas: meliorem sibi collatam esse nobilis testata est Matrona, dum Virum ex apoplexia & nervorum stupore molestum, facto F. Fideli voto, reperit patientiæ exemplum. Docta hæc & plurium Scriptorum fœcunda Provincia.*

Numerat Fratrum Conventus XXII.
Missionem in Statibus Hollandicis I.
Monasteria Monialium Capucinarum, Congregationis Audomarensis VII.

Fratres ex Gallia venientes, Antuerpiæ firmandos esse, Serenissimo Parmę &c. Duci, Alexandro instanti respondet.

A tergo: *Dilecto Filio, Nobili Viro, Alexandro, Parmæ & Placentiæ Principi.*

SIXTUS PAPA V.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, salutem & Apostolicam Benedictionem.

Accepimus, & legimus litteras à Vestra Celsitudine sub 17. mensis proximè præteriti datas, quibus Nobis significat, se summopere desiderare, ut quatuor ii Capucini, qui nuper Parisiis Antuerpiam venerant, ibidem permanere possint ob fructum, quem jam fecerunt, & quem faciendum esse ab iis ad salutem Animarum illius populi, ex bono eorum exemplo sperare oportet. Quocirca impensè laudamus zelum Vestræ Celsitudinis, quæ æquè suâ industriâ, ac pietate, necnon armis & bellica fortitudine nititur populum illum reducere ad verum Dei nostri cultum. Cum autem Cardinalis Tit. S. Severinæ, Ordinis Capucinorum Protector sit, expedire judicavimus, ut cum ipso hoc negotium tractaretur; qui proindè litteris ad memoratos Religiosos scriptis, iis facultatem impertitur, domicilium Antuerpiæ figendi, quò successivè & alii destinabuntur. Quo pacto & facto tam Celsitudinis Vestræ desiderio, quàm istius Populi consolationi erit satisfactum: cui Benedictionem nostram impartimur. Datum Romæ, die VIII. April. MDLXXXV.

Ex Annal. Boverii. tom. 2. *fol.* 186.

Fratres Antuerpiæ, & in Belgio, Pontificio Mandato, à Cardinale Julio Antonio Sanctorio, Ordinis Protectore manere, & exinde absque speciali licentia non discedere jubentur.

Julius Antonius Sanctorius, Dei gratia S. R. E. Cardinalis Presbyter, tit. S. Bartholomæi, nuncupatus de S. Severina, Protector, Corrector, & Gubernator Congregationis Fratrum Capucinorum Auctoritate Apostolica deputatus, RR. PP. Fr. Felici Pedonensi, Fr. Antonio Gandensi, Fr. Joanni Landensi & eorum sociis, ejusdem Congregationis nis Capucinorum Religiosis, salutem in Domino sempiternam.

Ex litteris Serenissimi Principis Parmensis, & ex iis, quas tu, Fr. Felix, scripsisti ad R. Patrem Provincialem Parisiensem, ab ipso postea Nobis transmissis, maximo nostro gaudio, & cum debita Domino Deo gratiarum actione intelleximus, Vos Parisiis concessisse Antuerpiam, Belgii Urbem, atque illic plurimum spiritualem fructum vestra exemplari vita, conversatione, bonisque operationibus fecisse. Itaque, ut magis, magisque in servitio Dei valeatis, ad Divinæ Majestatis gloriam, animarumque salutem, bonos facere progressus, Vobis per præsentes litteras, in virtute sanctæ Obedientiæ, nostraque auctoritate, item expresso Suæ Sanctitatis mandato, mandamus, ordinamus, atque committimus, ut permaneatis in ea, quam dixi, Urbe Antuerpia, locisque vicinis, diligenter, sedulò, & cum calido zelo perseverantes in dicto servitio, ac bonis operibus ad utilitatem Animarum susceptis, simulque studeatis omnimodam satisfactionem, ac consolationem dare, tum Serenissimo Domino Principi, tum omnibus Catholicis, Vos gerentes, uti consuevistis, in Regulari Observantia, ac disciplina; & in primis piâ, religiosâque prudentiâ amoventes omnem scan-

dali

dali occaſionem, quod Hæretici (quamvis indebitè) accipere poſſent ex Vobis. Præterea, ne ex dicta Urbe, locisque vicinis recedatis abſque noſtra ſpeciali, vel Capituli Generalis futuri ordinatione. In horum autem fidem juſſimus fieri has litteras, manûſque noſtræ ſubſcriptione, & Sigilli noſtri ordinarii impreſſione muniri.

Datum Romæ, die 8. Aprilis 1586.

Julius Antonius, Card. S. Severinæ, Protector.

Ex eodem Boverii tomo fol. 187.

A Fratribus oblatam à Magiſtratu Antuerpienſi Domum acceptari, Cardinalis Montaltus litteris ad Fr. Felicem Pedonenſem datis monet.

Reverende Pater.

MIhi Magiſtratus Urbis Antuerpienſis longiſſimâ epiſtolâ perſcripſit, quantum gaudium ex eo acceperit, quod decretum ſit, Te, tuoſque ſocios in dicta Urbe habitaturos eſſe: ſiquidem à Vobis maxima ad omnes conſolatio ſpiritualis derivare ſolet. Veruntamen, ut idem Magiſtratus ſcribit, parùm juvaret me impetraſſe, ut iſthic permaneatis; niſi etiam acciperetis locum, quem vobis ipſe Magiſtratus, & quidam alii pii, & chriſtiana charitate moti homines adſcribere & erigere deſiderant; ad hoc, ut majori commoditate Regulam veſtram ſervare, exercitiaque veſtra ſpiritualia præſtare, atque per ea, non modò ipſi Urbi, ſed etiam vicinis proficere, & prodeſſe valeatis. Deinde mihi ſignificatum fuit, iſtam loci oblati acceptionem expedire ſummopere ſervitio divino, & augmento veſtræ Sanctæ Religionis, bonoque Animarum. Quod cum ita ſe habere intellexerim, ego, ut ipſi Magiſtratui, Populoque Antuerpienſi rem gratam faciam, non poſſum committere, quin vos exhorter, & quàm maximo affectu, ut dictum locum quamprimùm acceptetis, atque ad illius erectionem pro veſtro uſu eleemoſynas, & ſubſidia particularium perſonarum, quæ pium, ſanctumque iſtud opus promovere cupiuut, admittatis. Hoc autem ſi præſtiteritis, non modò ſolatium magnum dabitis iis omnibus, qui veſtram cohabitationem tanto ardore deſiderii peroptant, verùm & mihi rem gratiſſimam & ſummè ſatisfactoriam facietis. Quod certè (ita mihi perſuadeo) maximè placebit veſtro P. Generali, & aliis Superioribus. Itaque cum confidentia, quam ex vobis concipio, reſcribam Magiſtratui, ut manum operi admoveat, & Te, tuoſque ſatisfacturos noſtro deſiderio, acceptaturoſque locum oblatum, & ibi firmam Sedem fixuros, quemadmodum ipſe Magiſtratus percupit. Ego exſpecto reſponſum ad omnes hujus epiſtolæ articulos, precorque, ut mei memineritis in veſtrarum ſanctarum Orationum effuſionibus. Atque ſic Dominus noſter Vos bene ſervet, ac proſperet. Ex Caſtris noſtris die 21. Jul. 1586.

Ex dicto tomo fol. 188.

Emptionem Domûs, â Monialibus S. Andreæ, Tertii Ordinis S. P. Franciſci, in Civitate Trajecti, Apoſtolica confirmatione munit.

A tergo: *Venerabili Fratri, Epiſcopo Leodien.*

PAULUS PAPA V.

Venerabilis Frater ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti Filii Guardianus & Fratres Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, Oppidi Trajectenſis, Leodien. Diœceſis, quod ipſi alias jam à ſeptennio, vel circiter pro eorum neceſſario uſu & ejuſdem Domûs ampliatione à dilectis in Chriſto Filiabus Abbatiſſa, ſeu Superioriſſa & Monialibus Monaſterii S. Andreæ, Tertii Ordinis S. Franciſci, ejuſdem Oppidi, quemdam hortum dictæ eorum Domui adjacentem, & ad prædictum Monaſterium legitimè ſpectantem pretio mille florenorum monetæ illarum partium emerunt, prout in publicis deſuper confectis ſcripturis pleniùs dicitur contineri.

Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, Guardianus & Fratres prædicti emptionem hujuſmodi pro illius validitate, & ſubſiſtentia, Apoſtolicæ confirmationis patrocinio communiri plurimùm deſiderent, Nobis propterea humiliter ſupplicari fecerunt, ut ſibi in præmiſſis opportunè providere de Benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur eoſdem Guardianum, & Fratres ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis &c. cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati Tuæ per præſentes committimus, & mandamus, quatenus præviâ Abbatiſſæ, ſeu Prioriſſæ & Monialium prædictarum à quibuſvis

vis

vis Ecclesiasticis sententiis, censuris & poenis per eas præmissorum occasione quomodolibet incursis absolutione, emptionem prædictam, Auctoritate Nostra approbes, & confirmes, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicias, ac omnes & singulos tam juris, quàm facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, suppleas. Non obstan. fel. rec. Pauli II., & aliorum Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum de rebus Ecclesiæ non alienandis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Domûs, ac Monasterii, & Ordinis prædictorum, etiam &c. statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romæ apud S.Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die IX. Augusti MDCXVIII. Pontificatûs nostri Anno quarto decimo.

S. Card. S. Susannæ.

Autog. in Arch. Secret. Brev. Apost. Reg. mens. & anni præd. fol. 240.

In Provincia nova Monasteria, non obstantibus Constitutionibus Clementis VIII., aliorumque Summorum Pontificum recipi, & construi indulget.

PAULUS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

AD uberes, & suaves fructus, quos dilecti Filii, Fratres Ordinis Minorum S. Francisci, Capucini nuncupati, in Ecclesia militanti, cujus Regimini Divinâ disponente clementiâ præsidemus, in dies afferunt, mentis nostræ aciem convertentes, ac uberiores ex ipso Ordine fructus in dies proventuros esse sperantes, ad ea meritò libenter intendimus, quæ ipsorum Fratrum Capucinorum augmento conducere possunt, quæ verò illis in hoc impedimentum aliquod afferre dignoscuntur, de medio tollere procuramus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Idcirco supplicationibus pro parte dilecti Filii, Procuratoris Generalis dicti Ordinis Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum, S.R.E. Cardinalium, negotiis Regularium præpositorum consilio, ejusdem Ordinis Fratrum Minorum Capucinorum Superioribus, ut in Belgicis Provinciis, Flandria videlicet, & Wallonia, nova Monasteria, seu Domos, servatâ tamen formâ in iis recipiendis Sacrorum Canonum, & Concilii Tridentini, recipere liberè, & licitè valeant, Apostolica Auctoritate, tenore præsentium, licentiam, & facultatem concedimus, & impartimur. Nou obstantibus fel. record. Clementis PP. VIII. Prædecessoris nostri, quæ incipit: Quoniam ad instituta &c. sub Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris, die XXIII. Julii MDCIII. Pontificatûs sui Anno duodecimo, & aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon prædicti, & cujusvis alterius Ordinis, etiam juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis, quibusvis aliis Ordinibus, ac eorum Superioribus, & personis, sub quibuscunque verborum formis, & tenoribus in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, eorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, hac vice dumtaxat, specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, & manu alicujus Notarii publici subscriptis, & Sigillo alicujus Personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die XIV. Septembris MDCXVIII. Pontificatûs nostri Anno decimo quarto.

S. Card. S. Susannæ.

Autographum in Archivo Secretariæ Brevium Apostolicorum Regesto mensis, & anni prædictorum fol. 408.

Decretum S. Congregationis Cardinalium, Concilii Tridentini Interpretum, de obedientia & cautione, ab Episcopis in collatione SS. Ordinum prætensa, non præstanda confirmat.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

NOmine dilecti Filii, Ministri Provincialis Provinciæ Flandriæ, Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupatorum Nobis nuper expositum fuit, quod aliàs à Ven. Fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus, S. Concilii Tridentini Interpretibus, ema-

emanavit Decretum, tenoris subsequentis, videlicet: Illmi, & Rmi Domini. Provincialis Capucinorum, Provinciæ Flandriæ, refert aliquos Episcopos prætendere, ut in literis, quibus ipse suos Fratres ordinandos transmittit, exhibeat reverentiam, & obedientiam Episcopis, & amplius præstet juridicam fidejussionem subministrandi victum, & vestitum iis, quos apostatari, aut aliàs à Religione dimitti continget, quæ cum nova sint, & inaudita, ne quod Religioni præjudicium inferatur, supplicat, ut declaretur an ipse possit ad hoc compelli, nec ne? = Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum censuit, Provincialem Capucinorum in literis dimissoriis, quas suis Fratribus concedit ad Ordines suscipiendos, nequaquam cogi posse ab Episcopis ad reverentiam & obedientiam, illis exhibendam, aut ad hujusmodi fidejussionem præstandam, neque ullum pium Antistitem debere, aut tuta conscientia posse ab eorumdem Fratrum ordinationibus hoc solo prætextu abstinere, quod ea formula exhibendi Episcopo reverentiam, & obedientiam servata, vel fidejussio præstita non fuerit = Cosmus Cardinalis de Torres. Loco ✠ Sigilli.

Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, Minister Provincialis prædictus plurimùm cupiat Decretum hujusmodi pro firmiori illius subsistentia, & observantia, Apostolicæ confirmationis patrocinio communiri. Ideo Nobis humiliter supplicari fecit, ut ejus votis hujusmodi annuere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur Ministrum Provincialem prædictum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Decretum præinsertum hujusmodi, Apostolica Auctoritate, tenore præsentium perpetuò approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos, tam juris, quàm facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, ipsumque Decretum, ac omnia, & singula in eo contenta ab omnibus, ad quos spectat, & in futurum quomodolibet spectabit, firmiter, & inviolabiliter observari, sicque per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos &c. Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quibusvis privilegiis, gratiis, & indultis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis, cæterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die XXVIII. Maii MDCXXV. Pontificatus nostri Anno secundo.

V. Theatinus.

Aut. in Arch. Secret. Brev. Apost. regesto mens. & anni præd. fol. 185.

Congregationem Equitum Dominicæ Passionis, in Civitate Bruxellensi ad auxilium Fratrum pro digniùs celebranda 40. horarum oratione institutam, variis indulgentiis & indultis ornat.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

CUm, sicut accepimus, in Oppido Bruxellensi, Mechlin. Dioec. una pia Christifidelium Congregatio Equitum Dominicæ Passionis Canonicè instituta existat, cujus Confratres, in diversis charitatis & pietatis operibus, & præsertim in auxiliandis Fratribus Ordinis Minorum S. Francisci, Capucinis nuncupatis, in celebranda oratione 40. horarum, per eosdem Fratres de licentia Sedis Apostolicæ institui solita, sese exercere consueverint, Nos, ut Congregatio hujusmodi majora in dies suscipiat incrementa, de omnipotentis Dei misericordia, & de Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus & singulis de cætero dictam Congregationem ingredientibus die prima eorum ingressûs, si verè pœnitentes, & confessi, SS. Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, plenariam Indulgentiam, ac tam ipsis pro tempore describendis, quàm etiam descriptis in dicta Congregatione Confratribus in cujuslibet eorum mortis articulo, si pariter verè pœnitentes, & confessi, ac Sacra Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti nomen Jesu, si potuerint, sin autem, corde devotè invocaverint, etiam plenariam; nec non eisdem Confratribus, qui tribus diebus, quibus ipsi quotannis juxta istius Congregationis institutum in Oppido prædicto convenire consueverint, plenariam similiter omnium peccatorum indul-

dulgentiam & remissionem misericorditer in Domino concedimus, quam quidem ii, qui eisdem tribus diebus confessi, ac sacrâ Communione refecti, coram suis Confratribus protestati fuerint, se propter Deum ac Christi passionem ex corde dimittere, si ipse adversùs alium, seu, si quilibet alius adversùs se querelam habet, sibi dimitti postulaverit, quo trium dierum hujusmodi id egerint, animam unam ex pœnis purgatorii per modum Suffragii liberare valeat, concedimus. Nec non omnibus utriusque sexûs Christi fidelibus, qui Orationi 40. horarum, de licentia Ordinarii per Fratres Capucinos hujusmodi auxilio præfatæ Congregationis instituendæ, per aliquot temporis spatium devotè interfuerint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac S. M. Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint; quodque in Ecclesia, in qua Oratio hujusmodi instituetur, & illius celebrationis tempore durante duntaxat, â quibusvis peccatis, criminibus, excessibus, & delictis, quantumcunque gravibus & enormibus, non tamen Sedi Apostolicæ reservatis, & in Bulla Cœnæ Domini, nec non Decreto jussu fel. rec. Clementis Papæ VIII. Prædecessoris nostri die 29. Novembr. 1601. edito contentis, per Confessarios ab eodem Ordinario approbatos, & deputatos in Sacramentali Confessione absolvi possint, ac, si sacrâ Communione refecti fuerint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam in Domino concedimus. Nec non eisdem Confratribus, qui pro fidei Catholicæ propagatione oraverint, decem annos & totidem quadragenas, eis vel aliàs quomodolibet debitas de injunctis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxamus, non obstantibus regula nostra de non concedendis Indulgentiis ad instar, cœterisque contrariis quibuscumque, præsentibus ad decennium tantùm valituris. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die VI. Martii MDCXXVI. Pontificatûs nostri anno tertio.

V. Theatin.

Breve format. in Arch. Conventûs Bruxellensis.

N O T A.

De celebri hac, in Ecclesia nostra Bruxellensi instituta Equestri Congregatione, quam R. P. Philippus Bonanni Soc. Jesu in suo Libro seu Catalogo Ordinum Eqnestrium & Militarium reticet, memoriam laudis, aliàs jam Tomo tertio fol. 249. per transennam factam, repeti, ejusque gloriam tum ex parte instituentium, tum ex parte primorum Confratrum, tum ex parte finis, Posterorum pietati fusius commendari, ratio dictat æquitatis.

Instituentes fuêre noster P. Hiacynthus â Casali, qui eam consuluit; Serenissima Hispaniarum Infans, Belgii Clavum regià vice tenens, Isabella Clara Eugenia, quæ illi specialem addixit protectionem; & Reverendissimus D. Jacobus Boonen, Archiepiscopus Mechliniensis, qui eam approbavit sequenti Diplomate:

Jacobus, Dei & Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus Mechliniensis omnibus has visuris salutem.

Inter multa, quæ RR. PP. S. Francisci Minores Capuccini ad Dei honorem & animarum salutem promovendam quotidie præstant, eximius semper fuit fructus Orationis 40. horarum quotannis pluribus locis ab illis celebratæ: at nunquam meliori ordine, & feliciore successu in hisce partibus, quam nuper in hac Urbe Diœcesis nostræ, operâ R. A. P. Hyacinthi Casalensis, præfati Ordinis Prædicatoris Apostolici, haberi vidimus, adeo, ut non tantùm Serenissima Hispaniarum Infans, Isabella Clara Eugenia (tertii Ordinis S. P. Francisci Filia piissima) totaque Urbs ista, sed etiam vicini undique summis votis optant devotissimam istam solemnitatem, omni studio quotannis repeti. Cum autem in ea re multùm enituerit plurimorum Virorum Principum, atque Magnatum pietas, qui nomine Equitum Passionis Dominicæ, & Habitu humili pœnitentium sponte assumpto, ordinem pulcherrimum præfatæ solemnitatis indefesso studio in auxilium dictorum PP. Capucinorum exactè servari curârunt, & populo ad diligenter in loco orationis statis cuique horis & destinatis classibus conveniendum ante-signati fuerunt. Nos etiam summopere desiderantes tam præclara devotionis incentiva fovere, & satisfacere enixo hac in re desiderio præfatæ Serenissimæ Infantis, per hasce litteras erigimus devotam Congregationem 40. Magnatum, Principum, sive aliorum præcipuæ nobilitatis, aut dignitatis Procerum, qui nuncupabuntur Equites Dominicæ Passionis sub invocatione & patrocinio Seraphici P. Francisci, quorum studium & officium erit tum in genere diligenter quibuscunque pietatis operibus pro sua devotione incumbere, tum singulari modo Patribus Capucinis auxilio esse, ut Orationem 40. horarum, quamoptimo ordine quotannis celebrare possint in augmentum honoris & cultûs SS. Eucharistiæ, & memoriæ Dominicæ passionis, necnon ad promovendam salutem animarum juxta modum & formam præscribendam, cujus Congregationis præfata Serenissima Infans se specialem Protectricem declaravit. Ut autem hæc pietatis opera alacriùs obeamus, supplicamus, quantùm possumus, Sanctissimo Domino nostro Papæ, ut gratias & indulgentias, quas præfata Congregatio humilibus precibus petere intendit, concedere dignetur. In cujus rei fidem hasce manûs nostra subscriptione & Sigillo munitas dedimus. Bruxellis 13. Julii anno à Christi Nativitate 1624.

Jacobus Archiepiscopus Mechliniensis.

Personæ, seu membra, quæ Equestre Corpus in suo principio formârunt, primæ fuêre Nobilitatis, & sequentia: Marchio Spinula, Dux Humalz, Comes de Egmont, Princeps de Pinoy, Dux Arscotti, Princeps Chimay, Princeps de Barbanson, Dux Bonavillæ, Comes de Salazar; Domnus Didacus Messia, Marchio de Marni, Marchio de Belvedon, Comes Joannes de Nassau, Comes de Oltein, Comes de Vertin, Comes de Isinghen, Comes de Meldeburg, Comes Bonus de Mansfeld, Comes de Noyelles, Comes de Seneghen, Comes Octavius Vicecomes, Domnus Petrus Aldobrandinus, Comes de Isenburg, Comes de Embden, Comes de Raux, Domnus Joannes Claros, Frater Ducis Medinæ Sidoniæ, Domnus Gonzales Corduba, Domnus Vincentius Pimentil, ex Comitibus Beneventi, Comes, de Torres, Comes de Marles, Comes de Comigny, Comes Camillus Bevilaqua, D. Hieronymus Aragonius, ex Ducibus Terræ novæ, Baro de Balason, Baro de Mariamè, D. Joannes Mediceus, D. Camillus de Montibus, D. Franciscus Medina, D. de Itagnes, & Hector Generalis &c.

Finem gloriosi Cœtûs explicant leges & articuli præscripti, ut sequitur.

I. Quandoquidem suæ serenissimæ Celsitudini Isabellæ Claræ Eugeniæ &c. nihil tam in voto sit, quàm, ut prægrandis illa devotio, quæ totam hanc urbem perfudit, per 40. horarum Orationem magis augeatur ad majorem crucifixi Jesu gloriam, utilitatemque animarum, ejus pretiosissimo sanguine redemptorum: placuit Eidem toti mundo manifestare sese Tutricem ac Protectricem existere hujus sodalitatis tam nobilium Principum ac Magnatum.

II. Utque hæc Societas sua authoritate valeat populum magis commovere, & ad majorem devotionem accendere, non alii posthac admittentur ad Societatem illam, quàm insignioribus titulis præcellentes, veluti Magnatum soboles, germanique Fratres velleris aurei, domûs regiæ Præpositi, Tribuni supremi militum, sive, quibus præcellens locorum custodia est commendata.

III. Placet, ut hæc Societas ad numerum 40. ascendere valeat, tum quod numerus hic mysterium in se habeat, conformitatemque cum 40. horis; deinde quod sufficiens videatur, etiamsi occurrat aliquos fore absentes, cum, etiamsi adfuerint omnes, erit, quomodo sine confusione impendantur.

IV. Intentum autem hujus Congregationis erit, Patribus Capucinis præstò esse, quatenus in singulos annos celebrare valeant Orationem 40. horarum, modô & formâ, quibus hoc anno celebrata fuit; quin imò si aliqua difficultas sese exerat, vel aliquid enucleandum sit, consilium sumendum à Patre Guardiano erit, vel ab alio quodam Patre ad hoc deputato, in quem finem & illi Congregationi sese sistent.

V. Qui quidem omnes, quotquot in Urbe Bruxellensi fuerint, tertiò in anno convenient ad Conventum prædictorum Patrum Capucinorum, primâ hebdomadâ Adventûs, die conversionis S. Pauli, & primâ hebdomadâ quadragesimæ, quibus diebus singuli communicabunt, fietque eis concio conveniens.

VI. Habebunt curam Directores singulis significare diem Congregationis futuræ, rerumque gerendarum; quod si aliquem eorum abesse contigerit, significabitur Directoribus, quatenus ejus loco alius subrogetur.

VII. In his tribus Congregationibus solummodo licitum erit aliquos admittere voce tamen secretâ, qui quidem à Directoribus proponentur, sic tamen, ut admittantur cum Suffragiis majoris partis illorum, qui tunc in Congregatione adfuerint.

VIII. Singulis annis primâ Congregatione eligentur duo Directores voce secretâ, cui & cæteri obedient in executione eorum, quæ mandabuntur cessante omni privilegio antecessionis, idque in considerationem humilitatis passionis Christi Jesu crucifixi, quam præcipuè tali in occasione tenentur profiteri Confratres; eoque magis, quod sub protectione Beatissimi ac Seraphici P. Francisci militent.

IX. In secunda autem Congregatione agetur de ordine, qui habendus erit in celebratione 40. horarum, quid de parochiis disponendum &c. item qualiter officia sint designanda; quomodo horæ partiendæ, & cætera disponenda, in quem finem etiam PP. Capucini providebunt de Prædicatoribus.

X. Quod si aliqui sumptus faciendi sint, nullusque velit eos in se assumere in particulari, æqualis erit omnium solutio.

XI. Orationibus hisce durantibus Confratres Passionis Jesu Christi Domini Nostri eodem Habitu utentur, quo hoc anno, Habitu scilicet Capucinico cum fune grosso, gestantes baculum in manibus cruce superextentâ, nullique licitum erit mutationem aliquam inducere.

XII. Procurandum est singulis annis opus quoddam pium singulare, veluti carceratos aliquos redimere, orphanas maritare &c.

XIII. Si quis ex prædictis Confratribus in Domino dormierint, cæteri singulatim tres Missas pro anima defuncti dici curabunt.

Ex Manuscriptis in Archivo Provinciæ asservatis.

Monasteria Monialium Capucinarum, seu Pænitentium nuncupatarum, Ordinis S.P. Francisci, Congregationis Audomarensis, Dioecesis Attrebaten., & aliarum Dioecesûm, Jurisdictioni Ordinariorum subijcit &c.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

EX debito Pastoralis officii Nostri, quo divinâ disponente clementiâ universalis Ecclesiæ regimini præsidemus, ad ea sedulò intendimus, per quæ Sanctimoniales, quæ relictis Mundi illecebris Divini Numinis obsequiis se se mancipârunt, prosperè dirigantur, & gubernentur, ac felicioribus in dies proficiant incrementis. Hinc est, quòd Nos prospero felicique Monasteriorum Monialium Capucinarum, seu Pænitentium nuncupatarum, Tertii Ordinis S. Francisci, tam per bo. mem. Jacobum Blazen, olim Episcopum Audomaren. in sua Dioecesi primùm, seu ab aliis Episcopis, postea per diversas Dioeceses erectorum, quàm imposterùm, servatis servandis, erigendorum statui, ac regimini, & gubernio, quantùm cum Domino possumus, consulere volentes, supplicationibus Venerabilis Fratris Pauli Episcopi Attrebaten. Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum, S.R.E. Cardinalium negotiis Regularium præpositorum consilio, quod de cætero perpetuis futuris temporibus omnia, & singula Monasteria prædicta superioritati, jurisdictioni, visitationi, correctioni, curæ, & gubernio in spiritualibus, & temporalibus Ordinariorum locorum dumtaxat, non autem Regularium Ordinum Superiorum, absque expressa Sedis Apostolicæ licentia, subsint, & subesse debeant, Apostolica auctoritate, tenore præsentium volumus, & decernimus. Nec non eisdem Monasteriis, illorumque pro tempore existentibus Superioribus nuncupatis Monialibus, ac personis, rebus, & bonis quibuscunque, nec non Confessariis, & Cappellanis omnia & singula privilegia, immunitates, exemptiones, libertates, gratias, Indulgentias, & Indulta, quæ aliis dicti Ordinis Monasteriis Monialium, illorumque Superioribus, Matribus, Monialibus, personis, rebus, & bonis hactenus quomodolibet concessa sunt, dummodo tamen sint in usu, nec revocata, aut sub aliquibus revocationibus comprehensa, sacrisve Canonibus, & Concilii Tridentini Decretis, aut Constitutionibus Apostolicis contraria existant, & concedentur in futurum, auctoritate & tenore prædictis communicamus. Præterea modernum, & pro tempore existentem nostrum, & Apostolicæ Sedis Nuncium in Provinciis, ubi dicta Monasteria sita sunt, vel erunt, commorantem, in eorumdem Monasteriorum, illorumque rerum, & bonorum Conservatorem, & Vice-Protectorem cum auctoritate, facultatibus, honoribus, & oneribus, similibus Conservatoribus, & Vice-Protectoribus de jure, usu, consuetudine, privilegio, aut aliàs quomodolibet competentibus auctoritate & tenore similibus constituimus, & deputamus.

Decernentes præsentes Litteras, & in eis contenta quæcumque semper valida, firma, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac eisdem Monasteriis in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari; sicque per quoscumque Judices, ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac, quatenus opus sit, dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresè derogamus, cæterisq; contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XIII. Augusti MDCXXIX. Pontificatus Nostri Anno septimo.

Autograph. in Arch. Secret. Brevium Apost. Regesto mens. & anni præd. fol. 412.

N O T A.

PLura Monialium Congregationis Audomarensis reperiuntur in hac Provincia Domicilia, quæ ad calcem hujus Tomi danda annotat Tabula; sunt & plura Apostolica Documenta, ad favorem & commoda illarum emanata, quæ Bullis &c. Provinciæ Insulensis, in qua primævus hujus Capucinæ Congregationis locus existit, immiscebuntur.

Varia Terræ petia post Conventuum constructionem relicta, seu minùs commoda, commutari, & pretium exinde redactum in alias Conventuum necessitates convetti concedit.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

NUper pro parte dilecti Filii, Provincialis Fratrum Ordinis Minorum Sancti Francisci Capucinorum nuncupatorum, Provinciæ Flandro-Belgicæ in Belgio institutæ, Nobis expositum fuit, quod auxilio Eleemosynarum à diversis Christifidelibus piè contributarum fuerunt superioribus annis multæ dicti Ordinis Domus Regulares in dicta Provincia constructæ, & quotidie novæ construuntur, ac proinde contigit, ut in pluribus locis post Domorum Regularium hujusmodi constructionem relictæ sint quædam Domunculæ, vel areæ, vel hortuli, seu exigua ædificia, quæ nunc videntur superflua usui dictorum Fratrum, vel sunt extra clausuram dictarum Domorum Regularium, vel illis ita incommodè cohærent, ut vel necesse sit illa vendere, vel expediat cum aliis ædificiis, vel areis, vel hortulis commutare, ut ea ratione habitatio dictorum Religiosorum commodior, & utilior fiat. Quocirca dictus Provincialis Nobis humiliter supplicari fecit, ut circa prædictorum exiguorum ædificiorum, & aliorum prædictorum venditionem, illorumque pretii applicationem opportunè, ut infra, providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur dictum Provincialem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis &c. harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati; Quod prædicta exigua ædificia, domunculæ, hortuli, vel areæ, quamvis fortasse illorum aliqua ipsis Domibus Regularibus incorporata fuisse videantur, per Syndicos dicti Ordinis vendi, & pretium ex illorum venditione redigendum aliis ipsarum Domorum Regularium necessitatibus applicari, vel cum aliis similibus ædificiis, vicinis domunculis, hortulis, vel areis, quæ videbuntur posse habitationem dictorum Religiosorum reddere commodiorem, commutari liberè, & licitè, & absque ullo pænarum, à jure contra rerum Ecclesiasticarum alienatores statutarum incursu possint, & valeant, Apostolica Auctoritate, tenore præsentium, concedimus & indulgemus. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac prohibitionibus contra Regulam, & Ordinem hujusmodi militantibus, aliisque quibusvis ipsius Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis &c. confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum omnium tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice duntaxat, specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die XXVI. Maii MDCXXXVIII. Pontificatûs nostri Anno decimoquinto.

M. A. Maraldus.

Autog. in Arch. Secret. Brev. Apost. regesto mens. & anni præd.

Ex Ecclesia Domûs Bruxellensis Reliquias sacras extrahi vetat.

INNOCENTIUS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

COnservationi Sacrarum, Sanctorum & Sanctarum Reliquiarum, quæ, ut asseritur, in Ecclesia Domûs Fratrum Ordinis S. Francisci Capucinorum nuncupatorum, Oppidi Bruxellen. Dioec. Mechlinien. asservantur, quantùm cum Domino possumus, benignè consulere, ipsiusque Domûs Guardianum, & Fratres specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis &c., & absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ne de cætero quisquam, quavis auctoritate fungens, sub quovis prætextu, & ex quacunque causa, ratione, vel occasione Reliquias prædictas tam præsentes, quàm futuras, aut aliquam earum partem à dicta Ecclesia asportare, seu extrahere, seu, ut asportentur, vel extrahantur, permittere audeat, seu præsumat, sub excommunicationis, ac privationis vocis activæ, & passivæ poenis, per contrafacientes incurrendis, Apostolica Auctoritate, tenore præsentium interdicimus, & prohibemus. Non obstantibus Constitutionibus

bus Apostolicis, ac Domûs & Ordinis prædictorum, etiam juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die x. Julii MDCLII. Pontificatus nostri Anno octavo.

Autog. in Arch. Secret. Brev. Apost. regesto mens. & anni præd. fol. 457.

N O T A.

PRæter insignem S. Crucis particulam, & unum ex denariis, quo appretiatus est D. N. J. Christus, operâ & studio P. nostri Caroli ab Arembergh, Definitoris Generalis, de cujus vita synopsis mox sequitur, alteri Cruci ex miraculoso S. P. Francisci Baculo affabrè formatæ insertos, decorant Ecclesiam nostram Bruxellensem octo integra Sanctorum Martyrum Corpora, de quorum nomine, & dono prædictus P. Carolus sequentem reliquit fidem:

Ego Fr. Carolus Bruxellensis, totius Ordinis Fratrum Minorum S. P. Francisci Capucinorum nuncupatorum Deffinitor Generalis, necnon Provinciæ Flandro-Belgicæ Minister Provincialis (licèt immeritus) fidem facio, & attestor, Corpora SS. Martyrum Florentii, Basilii, Gregorii, Benedicti, Agapiti, Beatricis, Dorotheæ cum Prole, & Aureliæ, de mandato Sanctissimi D. N. Innocentii Papæ X. ex Cœmeterio S. Priscillæ extracta fuisse, nominaque ipsorum non imposita, vel baptizata, sed cum signis Martyrii, ipsorum Sepulchris adhuc occlusis inscripta, coram septem testibus, omni exceptione majoribus, inventa fuisse. In quorum fidem hasce manu propria subsignavi, & sigillo majori Officii nostri muniri curavi.

Datum in Conventu nostro Bruxellensi, die 18. Julii 1652.

Fr. Carolus qui supra.

Dictæ autem ex Cœmeterio S. Priscillæ extractionis, & donationis fidem firmat testimonium subnexum.

Alexander Victricius, Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Alatrinus.

Universis &c. notum facimus, & attestamur, qualiter Nos, dum Vicesgerentis munere fungeremur, ad majorem Dei gloriam, & Sanctorum suorum honorem donavimus Adm. R. P. Carolo Bruxellensi, Ordinis Capucinorum Diffinitori Generali, necnon Provinciæ Flandriæ Ministro Provinciali Corpus S. Agapiti Martyris, *tunc temporis à Nobis de mandato Sanctissimi Domini Nostri Innocentii X. ex cæmeterio Priscillæ extractum, facultate eidem P. Carolo, tunc à nobis attributâ, præfatum Sacrum Corpus penes se retinendi, aliis donandi, extra Urbem ferendi, & in quacumque Ecclesia, Oratorio, vel loco pio publicæ Fidelium venerationi exponendi, de Ordinarii licentia, in quorum fidem, ab eodem Patre nunc requisiti, has præsentes manu nostra signatas, & Sigilli nostri impressione munitas per nostrum Secretarium jussimus expedire, hâc die 27. Februarii anni Jubilæi 1650.*

Alexander, Episcopus Alatrinus.

Et simile fuit attestatum de quolibet dictorum Sacrorum Corporum divisim, ab eodem D. Episcopo Alatrino datum.

Posuit insuper in eadem Ecclesia fatus P. Carolus plura Capita, crura, & ossa SS. Martyrum ex Societate S. Mauritii, plura Crania &c. SS. Martyrum & Virginum ex Societate S. Ursulæ, aliasque plures Sacras Reliquias, quarum Authenticam fidem cum suprapositorum attestatorum autographis, Archivum nostræ Bruxellensis Domûs conservat.

Ca-

Carolum, Ducem de Arembergh, de pia erga S. Sedem observantia commendat, & de nostro Fr. Carolo, Ducis Fratre Germano à se gratam memoriam conservari significat.

A tergo: *Dilecto Filio, Nobili Viro, Principi Carolo, Duci Arembergico.*

ALEXANDER PAPA VII.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, salutem & Apostolicam Benedictionem.

PErgratæ Nobis profectò fuerunt literæ Nobilitatis Tuæ, quibus de Matrimonio Tuo Nos certiores fieri voluisti. Porro autem in hujus officii pio religiosoque studio, Tuam, Domûs Tuæ, ac speciatim Patris Caroli, Capucini Patrui, quem probè novimus, & cujus memoriam grata recordatione recolimus, eximiam in hanc Sanctam Sedem & Nos observantiam perlibenter agnovimus. Quare Tibi, selectissimæ Conjugi, & Nuptiis Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur; eamque tantùm prosperitatis pro spe sobolis, Majoribus tuis dignæ, tum omnium aliarum rerum felicitate Tibi, & universæ Familiæ Tuæ afferre planè vellemus, quantùm singularis, veræque charitatis ex Paterno corde nostro proficiscens haurire potuit. His ut successum optatum auctor bonorum Deus pro sua misericordia prolixè largiri dignetur, ab eo summis precibus postulamus.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die III. Julii MDCLX. Pontificatus Nostri Anno sexto.

Franciscus Nerlius, Archiepiscopus Florent. Secret.

Autogr. in Secret. Brev. ad Principes *Reg. mens. & anni præd. fol.* 57.

Fr. Caroli prædicti zelum & pietatem collaudat, & de recuperata ejus sanitate congaudet.

A tergo: *Dilecto Filio, Carolo de Arembergh, Capucino.*

ALEXANDER PP. VII.

Dilecte Fili salutem, & Apostolicam Benedictionem.

PRO charitatis affectu præcipuo, quo præclaras religiosasque virtutes à Domino Tibi collatas jampridiem complexi sumus, ex literis tuis, sanitatis à Te recuperatæ nuncium, animo sanè perlibenti audivimus. Porro speramus fore, ut pietas, & zelus tuus, Sanctæ Fidei, & cultûs Divini rebus, vel exemplo vel orationibus adhuc diu prodesse possit. Quare, ut ætatis & valetudinis rationibus indulgeas, & Pontificias curas nostras precibus & sacrificiis juvare perseveres, valde cupimus. Ipsi vicissim à Domino Tibi Divinæ gratiæ fructus uberes & assiduos petimus, Apostolicam Benedictionem impertimur, qua etiam dilectum Filium, Nobilem Virum, Ducem Arescoti, Nepotem tuum, & universam ejus Domum paternè donamus.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die IV. Junii MDCLXI. Pontificatus nostri Anno septimo.

Franciscus Nerlius, Archiepiscopus Florent. Secretarius.

Autog. in Secret. Brev. ad Principes *regesto mens. & anni præd. fol.* 157.

N O T A.

FR. Carolus Bruxellensis, Filius Principis Caroli, Ducis Croyaci, Arschoti, Aremberhgii &c. ac Annæ Ducissæ Croyaci, Principissæ de Chimay, in sæculo dictus Antonius, Comes de Seneghem, fastum aulæ & mundi periculis obnoxium pensans, hilari animo ad Evangelicæ egestatis cancellos properavit, & quarto Martii 1616. ætatis suæ anno 23. chlamydem Ducalem Habitu nostro Gandavi commutavit. Exacto laudabiliter tyrocinio consueta Clericorum munia alacris humilitatis Spiritu explevit, & dum ingenium, quod natura ei dederat felicissimum, studio Philosophico, & Theologico excoluit, ea modestæ doctrinæ & regularis observantiæ specimina præsetulit, ut eum in virum eximium evasurum commune statuerit omen. Nec hoc fefellit, nam jam anno, à sacra Professione undecimo, in Guardianum Conventûs Furæducensis, cujus constructionem in Sylva Soniæ ille incepit, & opitulante Serenissimæ Hispaniarum Infantis Isabellæ Claræ Eugeniæ favore perfecit, fuit constitutus. Eum autem in gubernii limine monstravit discretionem, & regularis disciplinæ Zelum, ut per continuos quadraginta annos in officiis tum Guardiani, tum Definitoris, tum Ministri Provincialis, tum Definitoris Generalis, raro virtutis exemplo perseveraverit.

Eruditionem ejus testantur tum Flores Seraphici, in quibus laconico quidem, eleganti tamen stylo gesta Fratrum nostrorum, ab anno 1525. usque ad annum 1580. miraculis ac sanctæ vitæ opinione illustrium, vesti-

vestigiis Fr. Zachariæ Boverii insistens descripsit, venustissimis figuris exornati: tum Icones aliorum præclarorum Ordinis nostri Virorum, in quibus eorum acta virtutis, succinctè æneis laminis ingenti Familiæ suæ sumptu incisa videntur, & quæ plerumque Perystilia nostrarum ædium decorant: tum Seraphicus clypeus, in quinque tomos divisus, & Coloniæ 1643. impressus, quo RR. PP. Conventuales, & Capucinos, effusâ doctâque ratione, ac argumento contra adversarium N. vindicavit, eosque utrinque veros Seraphici Patris Francisci Filios esse probavit.

Modestiam, & æquitatem, qua Spartam hujus defensionis in se suscepit, probat operis proemium, in quo sequens reperitur paragraphus.

Adversarium Patribus Observantibus devotum, & strictiori vinculo addictum non ignoro, & me Minoribus Capucinis pari vinculo ligatum Lector sciat: ille ultro citroque scriptis suis schismatum semina jecit, propositi mei est, ea penitus tollere; & ubi denuo illa congeminat, radicitus evellere: ille turbas excitavit, ego excitatas sedare contendo: ille pacificos ad bella provocavit, ego dissidentes ad pacem: aggressorem egit immodicæ sobrietatis, modestum saltem patiatur defensorem. Si autem præter intentionem Clypeus Fortium in aliquo ipsum læserit, sibi imputet, qui tacentem, & nihil de ipso cogitantem excitavit, pariter & irritavit. Quæ in Capucinos in universum minus eruditè, minusque modestè scripsit, serius examino: quæ autem in antiquam Conventualium *Familiam, olim Matrem suam evomuit, non omnia, sed aliqua refello. Larvam igitur deponat, ut aperto Marte dimicando, non detur tergiversandi locus, aut effugii latebra; veritas namque odit tenebras &c.*

Ut & Carolus obturaret ora loquentium contra formam Habitûs, quem gestant Capucini, collegit tum in Italia, tum alibi formas authenticas Habituum, in quibus S. Pater Franciscus, & Socii ejus, vel adhuc viventes, vel paucis post eorum obitum annis, à celebrioribus illius ætatis Pictoribus fuerunt depicti; ad horum autem prototypon picturas confici curavit, appositis ad calcem Pictoris nomine, loco, ubi reperiuntur, & anno, quo fuêre depicti, Ecclesiæ nostræ Bruxellensis parietes adhuc adornantes.

Nec minor inerat Carolo Architecturæ peritia; cum enim primus Bruxellensis Conventus in ruinam fatisceret, constructio novi cum Ecclesia, unanimi Capituli Provincialis suffragio, 1650. fuit statuta, P. Carolo curâ fabricæ demandatâ. Hic proin morâ non interjectâ formavit prototypon, eo felicius, quò difficilius, cum fabrica in declivio montis assurgere deberet. Ad hujus normam Cœnobium collato â Serenissima Familia Arembergica triginta millium florenorum subsidio eâ inceptum est celeritate, ut 20. Martii anni 1651. Serenissimus Princeps Leopoldus, Archidux Austriæ, & Belgii Gubernator, fundamentis tum Ecclesiæ, tum Conventûs primum lapidem injecerit, & anno sequenti structura templi mense Julii, necdum integrè consummata, sed & sacra supellectile decorata, anno 1652., Sacro oleo cultui Dei fuerit dicata. Interim, dum Carolum anno 1650. memorato, seu Ministrum Provincialem Comitiis Generalibus Ordinis, Romæ indictis adesse, & ibi ceu secundò electum Definitorem Generalem diutius morari oportebat, procurando novæ Ecclesiæ Bruxellensi Sacrarum Reliquiarum thesauro opportunum tempus esse credidit, præsertim, cum regnantem tunc Summum Pontificem Innocentium X. ex concesso sæpius accessu, sibi benevolum probâsset. Non contentus proin dono Crucis aureæ, particulâ Sanctæ Crucis, aliisque Sanctorum Reliquiis refertæ, quam Sanctissimus Pater aliàs ad pectus gestare consueverat, & ei in donum dederat, cordatâ pietate, integra Sanctorum Martyrum Corpora pro Ecclesia memorata poposcit. Annuit Pontifex petitioni, data Alexandro Victricio, Vicesgerentis officio in alma Urbi fungenti facultate, ex Cœmeterio Priscillæ ea effodiendi.

Octo eorum cum solitis Martyrii signis & propriis nominibus, suprà ad calcem Apostolici Brevis, illorum extractionem ex Ecclesia Bruxellensi prohibentis expressis, Carolo præsente reperta, eidemque consignata, præbuerunt copiam Sacræ pompæ & lætitiæ, qua ad Ecclesiam nostram, comitante ea Clero Sæculari & Regulari fuerunt translata, & in septem Ecclesiæ aris collocata, duo nimirum in ara Sanctuarii, & aliud in qualibet ara collaterali, die festo annuatim per octo dies continuos, videlicet à 23. Julii usque ad trigesimum sub ritu duplici primæ classis indicto & fixo.

Potens dum fuit Carolus sermone, humilis mansit corde, ita, ut in Ordine Generalatum, & in Ecclesia Cardinalatum, ut ferunt, recusaverit. Habuit Reges & Principes virtutis suæ testes, & ipse Alexander Papa VII. litteris ad ejus Nepotem datis non solùm præclaras Caroli dotes commendavit, sed etiam aliis litteris huic inscriptis de recuperata ejus salute applausit.

Plenus meritis & diebus Bruxellis in Conventu à se constructo 5. Junii 1669. ætatis suæ 76. â vinculis mortis solutus transiit ad gloriam æternitatis, sepultus sub parvo marmoreo Lapide cum humili epitaphio sequenti.

A. R. P. Carolus de Arembergh, Bruxellensis Jubilarius, ex-Provincialis
Definitor & Commissarius Generalis anno MDCLXIX.
v. Junii R. J. P.

Ex annalib. Provinciæ, Bibliot. Belgica Joan. Franc. Foppens part. 1. fol. mihi 149. *Wadingo, Torricilla &c. & Bibliotheca Script. nostri ord. P. Dionysii Genuen. qui dum Eum tertiò Generalem Definitorem electum, & Antuerpiæ mortuum ponit, innocens errat.*

DE-

DECRETO

S. Congreg. Episc. & Regul.

Petita Provinciarum in Belgio ob dominiorum diversitatem variatio Eminentiss. D. Cardinali Protectori remittitur, conditione adjectâ, ut nonnisi duæ in Belgio Provinciæ persistant.

SAcra Congregatio Eminentiss. ac Reverendiss. S. R. E. Cardinalium negot. & consultat. Episcopor. & Regul. præposita, stante remissione Libelli per Sanctissimum Dominum nostrum factâ, & attentis relationibus Emin. Dominorum Cardinalium Acciajoli, dicti Ordinis Capucinorum Protectoris, & Felicis Rospigliosi, ejusdem Ordinis apud S. Sedem Comprotectoris, censuit supplicem Libellum posse remitti eidem Emin. Comprotectori, ut veris existentibus narratis, petitam prædictarum Provinciarum variationem juxta præfatorum Dominiorum diversitatem, pro suo arbitrio & prudentia Oratori impertiatur, ita tamen, ut numerus ipsarum Provinciarum minimè augeatur, sed duæ semper, & non ultra perpetuò permaneje debeant. Romæ 28. Maii 1683.

Et die 4. Junii ejusdem anni, factâ de præmissis relatione Sanctissimo Domino nostro, præfatæ S. Congregationis sententiam benignè approbavit.

C. Card. Carpineus.

Autograph. in Secret. S. Congreg. mens. & anni prædict.

NOTA.

SUbactis circa annum millesimum sexcentesimum sexagesimum octavum Gallico juri nonnullis Belgii Civitatibus & locis, in quibus Flando-Belgica Provincia regulares habuit Conventus, Rex Christianissimus hos ab aliis, sub ditione Regis Hispaniarum sitis separari voluit. Hunc in finem varii quidem ablegati fuêre Commissarii, qui tamen auditis, quæ Patres Provinciæ Flandro-Belgicæ producebant prægnantia, motivis, inde re infectâ discesserunt. Revixit Regia petitio ad annum millesimum sexcentesimum octuagesimum tertium, & causâ per præpositum Decretum Eminentissimo Cardinali Comprotectori remissâ, & hunc inter-et PP. Procuratorem & Definitores Generales, Romæ tunc residentes, maturiùs discussâ, fuit separationis executio, juxta facultatem Definitorio Generali ab Eminentissimo Comprorectore datam, novo, & sequenti Decreto Generali confirmata.

In Nomine Domini.

Quoniam post dominiorum temporalium variationem in Flandria & Wallonia, necesse visum fuit nostras regulares Provincias variare, obstante tamen Bullâ S. M. Urbani VIII. editâ XVIII. *Junii* MDCXLIII. *quæ incipit*, Salvatoris & Domini nostri *&c. A. R. P. Minister Generalis Ordinis nostri Sanctissimo D. N. Innocentio Papæ XI. humiliter pro licentia jam dudum supplicavit, & remisso à Sanctitate sua ejus libello supplici ad S. Congregationem negot. & consult. Episcoporum & Regularium præpositam, ipsa hæc S. Congregatio acceptis votis Eminentiss. & Reverendiss. D. D Cardinalium Acciajoli Protectoris, & Felicis Rospigliosi Comprotectoris Ordinis nostri, censuit, approbante etiam eodem Sanctissimo, dictum libellum supplicem posse remitti eidem Eminentissimo Comprotectori, ut veris existentibus narratis, petitam prædictarum Provinciarum variationem, juxta præfatorum dominiorum diversitatem, pro suo arbitrio, & prudentia Oratori impertiretur, ita tamen, ut numerus ipsarum Provinciarum minimè augeatur, sed duæ semper, & non ultra perpetuò permanere debeant, sua verò Eminentia facultatem præfatam juxta formam & tenorem dicti Decreti, A. R. P. Ministro Generali concessit, sed, quia dictus A. R. Pater in visitatione Provinciarum Regni Neapolitani est occupatus, determinationem hujus negotii Nobis commisit.*

Ideo Nos infrascripti Procurator, & Commissarius Generalis, ac Deffinitores Generales, maturè consideratis omnibus considerandis, inhærentes præfatis Decretis & remissionibus, censuimus & decrevimus, ac tenore præsentis Decreti censemus, & decernimus, omnes ac singulos Conventus nostrarum Provinciarum Flandriæ & Walloniæ existentes in Regionibus, quæ ex conventionibus pacis Aquisgrani & Neomagi factis, spectant ad Dominium Regis Christianissimi, cum Ecclesiis, Hospitiis, quæstuationibus, & juribus ipsis competentibus esse dividendos & segregandos in perpetuum à prædictis Provinciis Flandriæ & Walloniæ respectivè, eosque, sicut & alios Custodiæ Insulensis, in unam Provinciam uniendos, sicque censemus, decernimus, dicimus & declaramus hâc & omni meliore forma & modo &c. non obstante prædictâ Bullâ Salvatoris & Domini *&c. cæterisque quibuscunque, quæ idem Sanctissimus Dominus noster voluit non obstare. In fidem &c. Romæ x. Octobr. MDCLXXXIII.*

Ita est, Fr. Joannes Baptista á Sabbio, Procurat., & Commissarius Generalis Capucin.
Fr. Bonaventura á Recincto, Diffinitor Generalis.
Fr. Carolus Maria Maceratensis, Diffinitor Generalis.

Exemplar. authent. in Archivo Generali Ord. Armario Provincia Flandro-Belgica.

Cla-

Clamârunt in Curia Romana contra hujusmodi Decretum Provinciæ Flandro-& Wallo-Belgicæ, & adducto, quod inde sibi adnasceretur, præjudicio, Decretum supersessorium obtinuerunt. Hoc quidem Patres Insulenses se non ligari autumantes, 2. Junii 1684. in Civitate Insulensi Capitulum celebrârunt, & in eo Conventus suos in Provinciam erexerunt: fuit autem hoc cum omnibus actibus ab Ordine reprobatum, & nulliter factum declaratum, at instante noviter Rege Christianissimo sanatum, & clausulâ seu conditione de duabus Provinciis duntaxat in Belgio permansuris sublatâ, variatio, seu erectio triplicis Provinciæ concessa sequenti Decreto.

Die 24. Septembris 1684. Congregatio nonnullorum Emin. & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium, per Sanctissimum Dominum nostrum ad infrascripta examinanda specialiter deputata, auditis Patribus Vicario, & Procuratore Generalibus censuit, erectionem & unionem in novam Provinciam Conventuum Flandriæ & Walloniæ Ordinis Fratrum Minorum Capucinorum S. Francisci in dominio Regis Christianissimi existentium, tanquam nulliter, & pendente supersessoria factas, revocandas unà cum electionibus, cæterisque inde secutis, posse tamen per Sanctitatem suam (si ita eidem placuerit) ad supplicationem prædictæ Religionis omnes juris & facti defectus, qui intervenerint, supplendo, erectionem, unionem & electiones prædictas approbari, &, quatenus opus sit, ex integro decerni, derogando Bullæ S. m. Urbani VIII. editæ sub die 18. Junii 1643. quæ incipit Salvatoris & Domini nostri &c. *cæterisque in contrarium facientibus, aliàs in suo robore permansuris: firmis etiam remanentibus, ut prius, duabus antiquis Provinciis dicti Ordinis, Flandriæ & Walloniæ in dominio Regis Catholici.*

Et die prima Octobris ejusdem anni, factâ de præmissis relatione Sanctissimo Domino nostro Innocentio XI., Sanctitas sua supplicationibus PP. Vicarii & Procuratoris Generalium dicti Ordinis, super his humiliter porrectis inclinando, prædictis sanationi nullitatum, erectioni novæ Provinciæ, & approbationi electionum, omniumque inde secutorum, juxta votum prædictæ Congregationis particularis benignè annuit, cum necessariis, & opportunis clausulis, & derogationibus. Romæ &c.

C. Card. Carpineus.

Exempl. Auth. in Arch. Generali Ord. Armario Provincia Flandro-Belgica.

DECRETO

S. Congreg. Episc. & Regul.

Fratribus Loci Sancti Trudonis, Sanctimonialium Confessariis Ordinariis, Clausuram ad Infirmarum confessiones excipiendas ingrediendi facultas conceditur.

Emi ac Rmi Domini.

MAter Ancilla (ita in Flandria Abbatissam vocant) & Moniales Capucinæ Oppidi S. Trudonis Dioec. Leodiensis humillimæ Eminentiarum Vestrarum Oratrices, habentes Confessarium Ordinarium ex Conventu Capucinorum dicti Oppidi, cujus operâ (ob regulam, dictis Patribus ingressum intra Claustra Monialium prohibentem, tempore infirmitatis, etiam extremæ, privantur, supplicant EE. Vestris, quatenus dignentur impartiri licentiam dictis Patribus pro tempore Confessariis supplicantium Claustra ingredi ad effectum Infirmarum confessiones excipiendi, ac Viaticum, Oleum sacrum, aliaque necessaria administrandi. Quam Deus &c.

Sacra Congregatio Eminentissimorum & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis & consultationibus Episcoporum & Regularium præposita, attentis narratis censuit, & declaravit, Religiosos Capucinos, quatenus sint Confessarii Ordinarii Sanctimonialium, posse Clausuram ingredi ad effectum præmissum, juxta Decreta ejusdem S. Congregationis, aliàs desuper edita. Romæ 19. Septembris 1698.

Exemplar autograph. in Secret. S. Congreg. prædictæ.

Electionem Discretorum Localium instante Philippo Rege Catholico in Provincia abolet.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

NUper pro parte Charissimi in Christo Filii Nostri, Philippi, Hispaniarum Regis Catholici, Nobis expositum fuit, quòd, cum aliàs ad tollenda damna, & incommoda, quæ Fratres Provinciarum, Regnorum utriusque Castellæ, veteris scilicet & novæ nuncupatæ, Ordinis Minorum S. Francisci, Capucinorum nuncupatorum, ex Electione Discretorum, qui à Conventibus ad effectum sua Suffragia in Capitulis Provincialibus ferendi eligi consue-

ſueverant, in religioſæ pacis, & concordiæ, ac Regularis diſciplinæ præjudicium patiebantur, fel. rec. Innocentius Papa XII. Prædeceſſor noſter per quaſdam ſuas, in ſimili forma Brevis die XXIX. Martii MDCXCIII. expeditas literas Diſcretos prædictos in dictis Provinciis ſuſtulerit, & removerit, ac ſubinde inter alia remotionem, & abolitionem Diſcretorum hujuſmodi, expeditaſque deſuper litteras præfatas ad Provincias Bœticæ, & Navarræ ejuſdem Ordinis, per alias ſuas itidem in forma Brevis, literas die XII. Septembris ejuſdem anni deſuper emanatas extenderit, & ampliaverit: Dilecti verò Filii Fratres Provinciæ Flando - Belgicæ ſupradicti Ordinis eadem damna. & incommoda ex ſimili Diſcretorum electione pati cogantur, tam ipſi, quàm præfatus Philippus Rex, commune hujus quoque Provinciæ bonum promovendi ſtudio ductus, uſum eligendi Diſcretos prædictos in eadem Provincia ſimiliter abrogari, & Apoſtolicæ deſuper authoritatis Noſtræ partes interponi plurimùm deſiderent. Nobis propterea ejuſdem Philippi Regis nomine, humiliter ſupplicatum fuit, ut in præmiſſis opportunè providere, &, ut infra, indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur piis ipſius Philippi Regis votis hac in re, quantùm cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere volentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, attento voto Venerabilis Fratris Noſtri, Nicolai, Epiſcopi Portuenſis, S.R.E. Cardinalis Acciajoli nuncupati, dicti Ordinis apud Nos, & Sedem Apoſtolicam Protectoris, ad quem ſupplicem libellum Nobis ſuper præmiſſis porrectum remiſimus, remotionem, & abolitionem Diſcretorum hujuſmodi in dicta Provincia Flandro-Belgica ad impediendas relaxationes, & evitanda præjudicia, quæ in Regularem Obſervantiam ex illorum electione irrepere ſolent, expedire, ac in Religionis, ejuſque regiminis bonum ceſſuram eſſe cenſentes, Diſcretos prædictos in eadem Provincia, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium tollimus, pariter & removemus: Decernentes eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, inviolabiliter obſervari, ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices, Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon Provinciæ, & Ordinis hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut earumdem præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis eadem prorſus fides in judicio, & extra illud adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXVIII. Auguſti MDCCII. Pontificatus Noſtri Anno ſecundo.

F. Oliverius.

Autogr. in Arch. Secr. Brev. Apoſt. Regeſto menſ. & anni præd. fol. 9.

Suppreſſis Diſcretis immediatos PP. ex-Provinciales, Definitores actuales, & Provinciæ Cuſtodes, non Guardianos, ſubſtituit.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

ALiàs pro parte chariſſimi in Chriſto Filii noſtri, Philippi, Hiſpaniarum Regis Catholici Nobis expoſito, quòd, cum aliàs ad tollenda damna, & incommoda, quæ Fratres Provinciarum Regnorum utriuſque Caſtellæ, veteris ſcilicet & novæ nuncupatæ, Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, ex electione Diſcretorum, qui à Conventibus ad effectum ſua ſuffragia in Capitulis Provincialibus ferendi, eligi conſueverant, in religioſæ pacis, & concordiæ, ac regularis diſciplinę præjudicium paſſi fuerant, fel. rec. Innocentius Papa XII. Prædeceſſor noſter, per quaſdam ſuas, in ſimili forma Brevis, die XXIX. Martii MDCXCIII. expeditas Litteras, Diſcetos præfatos in dictis Provinciis ſuſtuliſſet, removiſſet, ac ſubindè inter alia remotionem, & abolitionem Diſcretorum hujuſmodi, expeditaſque deſuper Litteras prædictas,

dictas, ad Provincias Bœthicam, & Navarræ ejusdem Ordinis, per alias suas itidem in forma Brevis Litteras, die XII. Septembris ejusdem anni desuper emanatas extendisset, & ampliavisset; dilecti verò Filii Fratres Provinciæ Flandro-Belgicæ supradicti Ordinis eadem damna, & incommoda ex simili Discretorum electione pati cogerentur, tam ipsi, quàm prædictus Philippus Rex, commune quoque hujus Provinciæ bonum promovendi studio ductus, usum erigendi Discretos prædictos in eadem Provincia similiter abrogari, & Apostolicæ desuper Auctoritatis nostræ partes interponi plurimùm desiderabant. Nos supplicationibus ejusdem Philippi Regis nomine super hoc humiliter porrectis inclinati, Discretos prædictos in eadem Provinciâ Flandro Belgica, sub certis modo, & formâ tunc expressis, Auctoritate Apostolica sustulimus, pariter & removimus, & alias, prout in nostris in simili formâ Brevis die XXVIII. Augusti MDCCII. desuper expeditis litteris plenius continetur.

Cùm autem, sicut dilectus filius modernus Minister Provincialis dictæ Provinciæ Nobis nuper exponi fecit, in Litteris nostris prædictis, nulla aliæ voces loco suffragiorum, quæ priùs Discreti, & socii habebant, subrogata reperiantur: Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportunè providere, &, ut infra, indulgere de Benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur dictum Proviucialem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis &c. absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum & Regularium præpositorum, qui Venerabilem Fratrem Nicolaum Episcopum Portuensem, S. R. E. Cardinalem, Acciajolum nuncupatum, dicti Ordinis apud nos, & Sedem Apostolicam Protectorem audiverunt, consilio, vice, & loco prædictorum Discretorum, in Provincia Flandro-Belgica hujusmodi, sicut præmititur, sublatorum, & abolitorum, immediatos Ex-Provinciales, actuales Definitores, & Custodes ejusdem Provinciæ Flandro-Belgicæ, dummodò tamen Guardiani non sint, Auctoritate Apostolica, tenore præsentium subrogamus, salvâ tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorundem Cardinalium. Decernentes easdem &c. *Residuum ut in Litteris præcedentibus*.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die XVI. Maii MDCCIV. Pontificatus nostri Anno quarto.

F. Oliverius.

Aut. in dicto Arch. reg. mens. & an. prǽd. f. 57.

Tom. IV.

Discretorum electionem in Provincia restitui indulget.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Dudum pro parte charissimi in Christo Filii nostri, Philippi, Hispaniarum Regis Catholici Nobis exposito, quod, cum aliàs ad tollenda damna, & incommoda, quæ Fratres Provinciarum Regnorum utriusque Castellæ, veteris scilicet, & novæ nuncupatæ, Ordinis Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupatorum ex electione Discretorum, qui à Conventibus ad effectum sua suffragia in Capitulis Provincialibus ferendi eligi consueverunt, in religiosæ pacis, & concordiæ, ac Regularis Disciplinæ præjudicium passi fuerant, Fel. rec. Innocentius Papa XII. Prædecessor noster, per quasdam suas in simili formâ Brevis, die XXIX. Martii MDCXCIII. expeditas literas, Discretos prædictos in dictis Provinciis sustulisset, & removisset, ac subinde inter alia remotionem, & abolitionem Discretorum hujusmodi, expeditasque desuper litteras prædictas ad Provincias Bœthicæ, & Navarræ per alias suas itidem in forma Brevis litteras die XII. Septembris ejusdem anni desuper emanatas extendisset, & ampliasset, dilecti verò Filii Fratres, Provinciæ Flandro-Belgicæ supradicti Ordinis eadem damna, & incommoda ex simili Discretorum electione pati cogerentur, tam ipsi, quàm prædictus Philippus Rex, commune hujùs quoque Provinciæ bonum promovendi studio ductus, usum eligendi Discretos prædictos in eadem Provincia abrogari, & Apostolicæ desuper auctoritatis nostræ partes interponi plurimùm desiderabant: Nos piis ipsius Philippi Regis votis hâc in re favorabiliter annuere volentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, attento voto Venerabilis Fratris nostri Nicolai, Episcopi Portuensis S. R. E. Cardinalis Acciajoli nuncupati, Ordinis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectoris, ad quem supplicem libellum Nobis super præmissis porrectum remiseramus, remotionem, & abolitionem Discretorum hujusmodi in dicta Provincia Flandro-Belgica ad impediendas relaxationes, & evitanda præjudicia, quæ in regularum observantiam ex illorum electionibus irrepere solebant, expedire, ac in Religionis, ejusque regiminis bonum cessuram esse censentes, Discretos prædictos in eadem Provincia auctoritate Apostolica sustulimus pariter, & removimus, & aliàs prout in nostris, itidem in simili forma Brevis die XXVIII. Augusti MDCCII. expeditis literis,

ris, quarum tenorem præſentibus pro expreſſo haberi volumus, uberiùs continetur.

Cum autem, ſicut dilecti Filii Michael Angelus à Raguſia, Miniſter Generalis, Joannes Antonius à Florentia, in Romana Curia Procurator, & Commiſſarius Generalis, Fr. Timotheus à Flexia, & Timotheus à Rodenas Definitores Generales Ordinis prædicti Nobis nuper exponi fecerunt, ab eo tempore experientiâ compertum fuerit, non ſolùm damna, & incommoda ex eorundem Diſcretorum electione ſublata minimè fuiſſe, ſed majora in gravius religioſæ pacis, & concordiæ, necnon Regularis Obſervantiæ præjudicium, etiam cùm ſcandalo, & Sæcularium admiratione emerſiſſe, ac in dies emergere, ac proinde Fratres prædictæ Provinciæ Flandro-Belgicæ eorundem Diſcretorum electionem, pro qua pluries, nedum Superioribus Generalibus, & dicto Nicolao Epiſcopo Cardinali, & Protectori, ac Nobis, præſertim in Comitiis Generalibus die XIII. Maii Anni MDCCXII. in Alma Urbe noſtra celebratis ſupplicaverant, reſtituti ſummopere deſiderent: Nobis propterea prædicti Exponentes humiliter ſupplicari fecerunt, ut in præmiſſis opportunè providere, &, ut infra, indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur; Nos igitur ipſos Exponentes ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, attento etiam voto ejuſdem Nicolai Epiſcopi Cardinalis, & Protectoris, prædicto Michaeli Angelo Miniſtro Generali, auditis priùs, ac viſitatis omnibus, & ſingulis ejuſdem Provinciæ Flandro-Belgicæ Fratribus, ac re ſeriò, prudenter, & diligenter examinatâ, electionem Diſcretorum hujuſmodi, ſi id divinæ Gloriæ, publicæ tranquillitati, ac Regularis Obſervantiæ incremento in Domino expedire judicaverit, reſtituendi facultatem, dicta auctoritate, tenore præſentium concedimus & impartimur, Non obſtantibus prædictis Innocentii Prædeceſſoris litteris, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon Provinciæ & Ordinis hujuſmodi, etiam juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & Conſuetudinibus, Privilegiis quoque, indultis, & Literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hâc vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die XIV. Julii MDCCXIV. Pontificatus noſtri Anno decimo quarto.

F. Card. Oliverius.

Autogr. in dicto Archivo Reg. menſ. & anni præd. fol. 10.

NOTA.

Libellus ſupplex à P. Generali, &c. SSmo pro præmiſſa reſtitutionis, ſeu uſûs Diſcretalis & defacto in Provincia vigentis gratia porrectus, fuit tenoris, qui ſequitur:

BEATISSIME PATER.

Fratres Michael Angelus à Raguſa, Ord. Min. S. Franciſci Capucinorum Miniſter Generalis, Jo. Antonius à Florentia, ejuſdem Ordinis in Romana Curia Procurator, & Commiſſarius Generalis, Timotheus à Flexia, & Timotheus à Rodenas, Definitores Generales Romæ exiſtentes, ad S. V. Pedes humiliter provoluti reverenter exponunt: Qualiter inſtante ad Sanctitatem Veſtram Sereniſſimo Philippo Quinto Hiſpaniarum Rege Catholico, ac ſupplicantibus Fratribus Provinciæ Flandro Belgicæ ſupradicti Ordinis; ut ad tollenda damna, & incommoda, quæ ex electione Diſcretorum, qui à Conventibus ad effectum ſua ſuffragia in Capitulis Provincialibus ferendi, eligi conſueverant, in Religioſæ Pacis & concordiæ, ac Regularis Diſciplinæ præjudicium patiebantur, Sanctitas Veſtra uſum eligendi Diſcretos prædictos abrogare, & abolere dignaretur; Placuit Sanctitati Veſtræ, attento voto Eminentiſſimi Cardinalis Acciajoli, dicti Ordinis Protectoris, per Apoſtolicum Breve datum, die 28 *Auguſti* 1702. *Pontificatus ſui Anno ſecundo, cujus copiam dant, præfatum uſum eligendi Diſcretos in eadem Provincia Flandro Belgica tollere, ac removere. Cum autem ab eo tempore, experientiâ docente, non ſolùm damna, & incommoda ex Diſcretorum electione ſublata non fuerint; ſed majora in gravius Religioſæ Pacis & Concordiæ, ac Regularis Obſervantiæ præjudicium, etiam cum ſcandalo, & ſæcularium admiratione emerſerint, ac in dies emergant, ac proinde prædicti Fratres Provinciæ Flandro Belgicæ pluries, nedum Superioribus Generalibus Ordinis; ſed & Eminentiſſimo Cardinali Acciajoli Protectori, ac Sanctitati Veſtræ, præſertim in Comitiis Generalibus die* 13. *Maii anni* 1712. *Romæ celebratis, pro eorumdem Diſcretorum electione, ac reſtitutione ſupplicaverint.*

Hinc

Hinc Oratores prædicti ad S. V. pedes iterum provoluti: consulto prius, & annuente præfato Eminentissimo Cardinale Acciajoli Protectore, humiliter supplicant, ut Fratri Michaeli Angelo à Ragusa, Ministro Generali, brevî Provinciam Flandro-Belgicam visitaturo, auditis prius, ac visitatis omnibus, ac singulis ejusdem Provinciæ Fratribus, & re seriò prudenter, ac diligenter examinatâ, facultatem restituendi Discretorum electionem, si id divinæ gloriæ, publicæ tranquillitati, ac Regularis Observantiæ incremento in Domino judicaverit expedire; per Apostolicum Breve concedere dignetur: Et pro gratia &c.

Ut opera & concursu Illmi Domini Abbatis à S. Joanne Baptista, Bruxellis tunc residentis, executio Apostolici Brevis coadjuveretur, fuit ipsi mens Pontificia desuper intimata, sequenti Epistola:

Perillustris, & Adm. Reverende Domine.

Cum Pater Generalis Capucinorum intra breve tempus illuc ad visitandam Provinciam se conferre debeat, Sanctissimi Domini Nostri mens est, ut Dominatio Sua illi faveat, eumque in omnibus, quæ occurrere possunt, assistentiâ suâ, meliore, quo poterit, modo suffragetur, præsertim in casu, quo pro meliore Dei servitio, & perfectiore Regularis Disciplinæ observantia restitutionem Discretorum Localium expedire judicaret. Quod Dom. Sua exin benignum Sanctitatis Suæ placitum sibi sit conciliatura, eandem hisce certam reddo, & Eidem à Cœlo perfectæ felicitatis affluxum apprecor.
Romæ 18. Julii 1714.

F. Cardinalis Paulutius.

Exemplaria Authentica utriusque Documenti in Archivo Generali Ordinis, Armario Provinciæ Flandro-Belgica.

RESCRIPTO

Sacræ Pœnitentiariæ.

Breve, quo duobus Fratribus ad Reverendos PP. Cistercienses Reformatos Vallis Aureæ transire datum fuit, revocatur, & dicti Fratres Habitu Cisterciensi necdum induti, ad Provinciam regredi jubentur.

Eminentissime ac Reverendissime Domine Domine.

EMinentiæ Vestræ in humillima veneratione exponitur, qualiter PP. Benedictus, & Tranquillinus de Loô, Fratres Germani, Presbyteri expresse Professi Fratrum Capucinorum Ordinis Sancti Francisci, Provinciæ Flandriæ, consensum nuper petierint à Superioribus ejusdem suæ Provinciæ transeundi ab Ordine nostro ad Monasterium Aureæ Vallis, Ordinis Cisterciensis, primitivæ (uti dicitur) Strictioris Observantiæ, in virtute alicujus gratiosi Rescripti, sub decimo octavo Kalend. Septemb. hujus anni decurrentis à Sacra Pœnitentiaria obtenti sub specioso prætextu arctioris vitæ, & majoris perfectionis ibidem acquirendæ.

Cum autem Minister Provincialis, & Definitores supradictæ Provinciæ ex certa scientia agnoverint, ejusmodi preces, à Fratribus illis porrectas, omnino fictitias esse: ideo petitam desuper licentiam nullo modo impertiri se debere, sed potius in conscientia obligari se credunt, Eminentiæ Vestræ, quæ totam ejusdem Rescripti validitatem expresse in precum veritate ipsamet constituit, in demississima obedientia veraciter exponere non solùm ejusdem motivi, gratis allegati, insubsistentiam, sed etiam gravissimum præjudicium, quod non tantùm eidem Provinciæ, & toti Capucinorum Ordini, sed toti respectivæ Reipublicæ Christianæ infallibiliter ex ejusmodi transitu oboriri videtur. Et quidem insubsistentia allegati motivi abundè patet exinde, quia præfati Religiosi zelum illum perfectioris vitæ nunquam apud nos ostentârunt, cum ne quidem perfectè secundùm Regulam, & Constitutiones nostras vivere studuerint: sed quietis Monasticæ, solitudinisque pertæsi, sæcularium utriusque sexûs tumultum ambientes, & ex ambitiosa superbia usque ad nauseam suis Fratribus molesti, gravesque semper extiterunt suis Provinciæ, & Locorum Snperioribus, à quibus cùm partim ob discolos mores, partim ob periculosas familiaritates, quas præsertim P. Tranquillinus jamdudum habuit, & etiamnum habet cum hominibus in Belgio, de morali doctrina suspectis, ad prætensa Ordinis officia promoveri non potuerint: ideo Provinciam scriptis Epistolis, & vivâ etiam voce proscindunt, ac diffamant, laxitatisque arguunt, qui tamen ipsi modernum ejus, & moderatum rigorem perferre non volunt; unde penitus præsumi non posse videtur, quòd hujusmodi indisciplinati Religiosi, qui modernam Provinciæ suæ perfectionem nullatenus attingunt, transitum istum petierint zelo perfectioris vitæ; sub quo colorato prætextu per-

perditissimi quoque Religiosi similem transitum eodem jure poterunt præstolari.

Quinimo videtur potiùs, quòd hujusmodi animosæ petitionis principale motivum sit suspirata vindicta, quam filii rebelles, prætensâ promotione privati, de propria Matre Provincia, & Religione sua sumere non abhorrent per extremum, quod ab inde eventurum esse noverunt, utriusque præjudicium. Quia enim in illis, aliisque totius Germaniæ partibus talis & tanta habetur ad Ordinem Capucinorum fides, & æstimatio, ut de communi Catholicorum æquè ac Hæreticorum, quibus undique permixtim vivitur, constanti opinione, & publicâ famâ alia Religio non sit, quæ Capucinorum Institutum arctiori modo vivendi, & Regularis disciplinæ observantiâ antecellat. Per ejusmodi transitum ad Cistercienses, quorum primitivæ Institutionis jactata perfectio longè inferior est perfectione Evangelica Ordinis Seraphici, optimæ famæ, & æstimationi tam Ordinis, quàm Provinciæ gravissimum planè, & irreparabile infertur præjudicium ex manifesta totius Populi incomprehensibili admiratione, eòque majori omnium scandalo, cùm ab immemoriali tempore in illis partibus nullum habeatur à Capucinis ejusmodi transitûs exemplum, per cujus dolendam introductionem aperietur discolis omnibus porta lata, & spatiosa, ad excutiendum obedientiæ frænum, & ad penitùs evertendam laudabilem Ordinis disciplinam.

Et quod indelibilem ignominiæ notam, quam præfati Religiosi Provinciæ, & Ordini inurere conantur, supra modum adauget, est, quòd discedere velint à Religione, quæ Sacræ Sedi Apostolicæ subjectissima, ubique terrarum, & præsertim in illis partibus, ubi jura, & dogmata S. R. E. tam acriter hodie impugnantur, singulari semper contra quoscunque insultus constantia, & fortitudine emicuit, seque transferre non erubescant ad illud Aureæ Vallis Cisterciensium Monasterium, cujus Abbas cum tota sua familia ex publica voce & fama de perversa morali doctrina est omnium suspectissimus, ita, ut Eminentissimus, & Reverendissimus DD. Cardinalis de Bossou, Archiepiscopus Mechliniensis, in Urbe præsens, qui ex plenissima illarum partium notitia fidem desuper omni exceptione majorem exhibere dignatur, dicere non dubitaverit, transitum istum fore absolutè contra mentem Sacræ Sedis Apostolicæ, quæ per rescriptum desuper concessum, aliàs videretur ipso facto approbare moralem doctrinam appellantium, ad quam, tanquam majoris perfectionis regulam omnes & singuli currere possint, & debeant.

Queis omnibus ita se habentibus, Eminentiæ Vestræ per Procuratorem Generalem Ordinis tam ejusdem Provinciæ Flandro-Belgicæ, quàm totius Religionis Capucinorum nomine humillimè supplicatur, dignetur Rescriptum illud, quod habitâ tali informatione Sacra Pœnitentiaria nunquam concessisset, nullum & invalidum declarare, Patribus Benedicto, & Tranquillino, qui petito, & non statim obtento consensu Superiorum furtivè è Conventu auffugerunt, reditum ad propriam Religionem injungere, & Ordinis nostri, illarum præsertim partium, Religiosis ad Sac. Pœnitentiariam recurrentibus, pro conservatione boni communis ampliorem gratiam ultra non concedere, nisi ut ad aliam Ordinis nostri Provinciam conferre se possint, si alicubi benevolos receptores invenerint.

Quam Gratiam Deus &c.

Fr. Petrus Maria à Lucca Proc.
& Commiss. Generalis.

Sacra Pœnitentiaria consideratis omnibus supra expositis, sumptoque prius in voce Emi & Rmi D. Cardinalis de Bossou sapientissimo Oraculo scribendum esse censuit Illustrissimo D. Internuntio Bruxellensi Domino Josepho Spinelli = Breve illud Sacræ Pœnitentiariæ censeri revocatum, dummodo prædicti duo Religiosi, in Monasterio Aureæ Vallis necdum suscepti, & Habitu Cisterciensium induti fuerint. Die 13. Novemb. 1721.

Exempl. autogr. in Arch. Gen. Ord. Armario Provincia Flandro-Belgica.

PRO-

PROVINCIA
WALLONIÆ.

SI mutila verbi Schiboleth expressio Virum de Ephrain à Galaadita, sorte in transitu Jordanis funestâ, olim discrevit, & in ancillari colloquio discrepans ejusdem idiomatis sonus, Petrum periculosè Galilæum prodidit, feliciter econtra varietas linguæ, quæ Flandrum inter- et Wallonem viget, Conventibus nostris Walloniæ conduxit, dum eos in Provinciam elevavit, & propria gubernii jura addixit. Fuit autem & postmodum dominii diversitas, quæ nitorem extensi regiminis minuit, dum Conventus Leodienses ab ea secuit.

In vario hac suo statu Provincia constitit semper firma in testamento sacræ Professionis, & regularis observantiæ apici, incenso studio adhæsit. In generatione gentis suæ, quâ gloriam adepta est, numerat Viros gloriosos, numerat Parentem, Fr. Onesimum Montensem, qui fundamenta Provinciæ posuit in Montibus veræ virtutis, Spiritu fortitudinis illa contra subdola consilia, & contradictionis molimina corroboravit, iisque superædificavit exemplum illibatæ suæ vitæ, quinquies expleto Provincialatûs munere in omnes diffusum.

Fr. Ludovicus Bovinienisis, sicut fuit ejusdem virtutis amator, ita & officii Sectator, sui rigidissimus censor, & aliis affabilis charitatis Rector. Dono linguæ, quo exeelluit, animas indefessè quæsivit, & tum in Provinciæ ambitu, tum Verdunii, tum in aliis Lotharingię partibus, plures earum Sacro Missionum exercitio Christo lucrifecit, dum peccatores ad pœnitentiam, errantes in viam salutis, & hæreseos labe infectos ad puram Ecclesiæ doctrinam duxit. Operatur & adhuc hodiedum anima ejus in speculo seu imagine, operatnr in libris, quos Cardanus generatim animæ imaginem seu Speculum nominat, operatur, inquam, in Speculo animæ Christianæ, in Speculo vanitatis Mulierum, ac Volumine Concionum, sui laboris & Spiritus libris, Gallico typo vulgatis.

Jactavit cogitatum suum unicè super Dominum Fr. Martinus Nivellensis, Sacerdos, nec nisi loca mœroris amica quæsivit, ut æterna cogitaret: mundum & humanę Societatis fœdus ita abhorruit, ut & proprię Sorori, Marchioni Cæsaraugustę, vulgò de Saragosa, nuptę, & in Hispanias abiturę, etiam ad replicatas preces, nec verbo nec oculo valedicere voluerit.

Ex hac Provincia Serenissimus Josephus Clemens, Elector Coloniensis & Princeps Leodiensis à Luxemburgo, Ferdinandum Arlunensem, & Serenissima Bavarię Ducissa Fratrem Godefridum, ad secretiora conscientię consilia, & aularum obsequia assumpserunt: Civitates extraneę, prę sertim Bruxellensis, Sacri verbi Pręcones vocârunt

runt

runt ad suas Cathedras, & Respublica Litteraria (preter dicta P. Ludovici opera) ab ea acquisivit Flores Theologicæ practicæ *Fr. Eligii Bassei, duos Concionum, & duos alios operum Spiritualium Tomos Fr. Joannis Marie Sonegiensis, Definitoris, celebrem Meditationum Librum Fr. Danielis Antuerpiensis &c. &c.*

Traxit ad tabernaculum Paupertatis hîc docte pietatis odor plures eorum, quibus mundus ampliora sue vanitatis lenocinia preparaverat; traxit Fr. Franciscum ex Soye, & Baronibus de Soye, d'Ives &c. Fr. Carolum Namurcanum, ex Vice-Comitibus d'Ecley, de Brandenburgo &c. Fr. Carolum Lossensem, ex Comitibus Argentei castri, vulgò Argenteau, *FF. Cherubinum & Seraphinum, Chiniacenses, ex preclara & ditissima de Moustier Familia &c.*

Affectus, quo populus Fratres prosequitur, communis non est, cum sint specialia, quibus Spirituali ejus commodo student, eorum obsequia, viditque hec usque ad stuporem precellentia & rara, quoties flagellum pestis Walloniam percussit, vidit illa presertim anno millesimo sexcentesimo trigesimo sexto, victimâ centum Fratrum, qui in obsequio peste correptorum mortui sunt, comprobata.

Tenet in laude & benedictione perpetua Serenissimum Principem Carolum, Croyaci, Arschoti, Arembergii & Ducem, qui præter beneficia sparsim Ordini nostro amplissimè collata, tum Anghiensem Domum nostram solo suo sumptu construxit, tum Ecclesie suppellectili, injuncto Heredibus suis perpetue elemosyne onere consuluit, tum in ejusdem Ecclesie nostre crypta, quam & Serenissime Sue Familie monumentum esse voluit, in Habitu Ordinis nostri sepeliri disposuit, problemate relicto, an noster Anghiensis Conventus uberiùs beneficiis Serenissimæ Domûs coadjuvetur, an verò illius Ecclesia, hujus exuviis celebriùs decoretur. Cum Provinciâ Flandro-Belgica, cum qua in unam eandemque prius coaluit Provinciam, decorem originis bipartitur, unionis privilegiis, facultate construendi Domos supra fol. 87. *memorata &c. potitur, &*

Numerat Conventus Fratrum x.
Monasterium Monialium Congregationis Audomarensis 1.

RESCRIPTO PONTIFICIO.

Conventus Walloniæ in Provinciam erigi ratihabetur.

Beatissime Pater.

Minister & Definitores Generales Ordinis FF. Min. S. Francisci Capucinorum humillimi Sanctitatis Vestræ Oratores exponunt, statum Provinciæ Belgicæ ex idiomatis ibi vigentis diversitate eum esse, ut pro opportuniore Regularis Observantiæ cultu illam in duas Provincias distinctas separari congruum æquè ac necessarium judicaverint. Ut autem hujusmodi separationis executio, quæ variis difficultatibus obnoxia comperitur, feliciore, & citiore successu procedat, Sanctitati Vestræ, tum pro Apostolico consensu, tum pro opportunis facultatibus demississimè supplicant. Quam gratiam &c.

Die 14 *Sept.* 1615. *Sanctitas Sua conclusum Definitorii Generalis ratihabet, separationem ex adductâ & aliis rationibus confirmat, & P. Commissarium illuc ablegandum opportunis & necessariis facultatibus communit &c.*

Scipio C. Burghesius.

NOTA.

Ad opus selectus est R. P. Honoratus Parisiensis Commissarius Generalis, cujus acta R. Definitorium Generale sequenti approbavit Decreto:

Nos Generalis, & Diffinitores Capituli Generalis Fratrum Minorum Capucinorum, quod jam celebratur Romæ in nostro Conventu S. Bonaventuræ. Intellectis modo & ratione, quibus anno 1616. *Provincia Belgica divisa fuit in duas Provincias, nimirum Flandricam, & Wallonicam, seu Gallo-Belgicam*

eam per Adm. R. P. Honoratum Parisiensem, tunc temporis Commissarium Generalem, & authorizatum non solùm à SSmo D. N. Paulo V, sed etiam ab Adm. R. P. Paulo à Cesena, tunc Generali supradicti Ordinis, quod scilicet nullâ habitâ ratione Fluminum, Montium, Diœcesium, aut quorumvis districtuum temporalium, vel spiritualium, quibus pleræque Provinciæ dicti Ordinis distinguuntur, sed solius idiomatis vulgaris, quo maximè distinguuntur Flandri à Wallonibus, præfatus Adm. R. P. Honoratus, nemine tunc refragante, adjudicavit Flandris omnes Conventus illarum Civitatum & locorum, quæ linguam Flandricam pro vulgari habent, excepto Conventu Enghiensi, qui ad instantiam Illustrissimæ Ducissæ d' Arschot, Fundatricis (juxta testamentum, ut fertur, piæ memoriæ Ducis d'Arschot, ejus Mariti) fuit attributus Wallonibus, ut perpetuò pertineat ad Provinciam Wallonum, cum reliquis Conventibus Civitatum, & locorum omnium, ubi est vulgaris usus linguæ Wallonicæ. Atque aliis omnibus, quæ circa prædictam Divisionem, Provinciarumque distinctionem videbantur consideranda, maturè consideratis, & ponderatis, judicantes eum divisionis, & distinctionis rationem convenientissimam paci stabiliendæ, & conservandæ tam communiter inter ambas Provincias quàm particulariter inter Fratres uniuscujusque Provinciæ ordinamus, mandamus, & præcipimus universis, & singulis præfatarum Provinciarum Alumnis, tam Prælatis, quàm subditis, ut non solùm in jam acceptis Conventibus, sed etiam in futurum accipiendis, eandem distinctionis formulam, & modum inviolabiliter servandam sibi noverint, & sine ulla tergiversatione servent. Ita, quod de cætero nec Flandri etiam in locis districtûs Brabantiæ, vel Flandriæ, vel alibi, ubi lingua vulgaris est Wallonica: nec Wallones in locis etiam Hannoniæ, vel Territorii Leodiensis, vel alibi, ubi vulgariter lingua Flandrica usurpatur, Conventum aliquem procurare, multo minus acceptare præsumant.

Quod attinet autem ad Oppidum Hallense, quamvis secundùm prædictam divisionis rationem magis pertinere videatur ad Flandros, quàm ad Wallones, nihilominus, quia dictum Oppidum nimis tenue est, nimisque vicinum aliis Conventibus tam Provinciæ Flandriæ, quàm Walloniæ, ad quos necesse haberent Fratres, qui ibidem constituerentur, sæpius recurrere, eos gravare, & frequentibus suis excursionibus molestos esse. Imò, quia non obstante Oppidi tenuitate certum est, Fratres ibidem constituendos maximum, & ordinarium gravamen esse habituros à Fratribus occasione Conventûs, D. Virginem Hallensem utrinque visitantibus. Quæ omnia non levem occasionem gravissimis turbationibus præberent, quas cum impedire omnino optemus, & pacem firmam inter utramque Provinciam statuere, utriusque Provinciæ Alumnis, tam Prælatis, quàm subditis præcipimus, ne unquam futuris temporibus, locum, Conventum, aut Hospitium in dicto Oppidulo acceptent, quod, si acceptaverint, illud Donatori protinus reddant, ac restituant. Provincialis, qui contra fecerit, vel fieri permiserit, privatus sit suo officio: si verò subditus fuerit, qui hoc præsumpserit, per tres annos privatus sit voce activa & passiva.

Ad componendas autem controversias, quæ oriri possent inter præfatas Provincias super terminos cujusvis Provinciæ, judicavimus expedire, ut duobus Patribus utrinque ad arbitrandum electis, negotium hoc, & controversia committatur, & omni appellatione postpositâ terminetur ab eisdem: ut verò minus cuilibet parti suspecti sint Patres Arbitri, judicavimus, eos, qui ex Wallonia arbitri deputandi erunt, per Provincialem & Diffinitores Flandros, qui verò ex Flandria, per Provincialem, & Diffinitores Wallones, eligendos esse.

Ordinamus etiam, ut quantùm ad Prædicatores, quando Prædicatore Flandro egerent Wallones, vel Wallones Flandro, possint Provinciæ Belgicæ sibi mutuò opem ferre.

Statuimus insuper, ne de cætero Flandri Novitios Wallones, neque Wallones Novitios Flandros ad Habitum Ordinis admittant, sed quemlibet remittant ad suam Provinciam, ex qua oriundus est, ut ibidem ad Ordinem recipiatur, si Prælati id judicaverint expedire.

Cæterùm, quia discursus Fratrum è vicinioribus locis unius Provinciæ ad alterius Provinciæ propinquiores Conventus non modicas turbationes posset generare, Nos hujusmodi pertubationum occasiones amputare volentes ordinamus: Primò, ne ullus omnino Superior, aut Prælatus cujusvis præfatarum Provinciarum (excepto Provinciali, aut Custode in urgenti casu) possit mittere Fratres suos, non solùm ad Conventum aliquem viciniorem alterius Provinciæ, sed neque etiam extra limites Provinciæ propriæ, quamvis in loco, ad quem mittit, non sit Conventus Fratrum.

Ordinamus Secundò, ne Provinciales dictarum Provinciarum quemque ex suis subditis extra limites suæ Provinciæ, nisi ex causa rationabili, mittant, qualis censeri non debet causa quærendæ eleemosynæ, vel peregrinandi ad loca pia, nisi bis, vel ter in anno, ad nostram Dominam Asperi Collis, ad maximam instantiam primariorum Benefactorum, vel ob aliam similem necessitatem.

Ordinamus Tertiò, quod, quando ex aliis justis causis alter Provincialis mittit quemquam de suis ad locum alterius Provinciæ, in quo Conventus Fratrum non est, statim de hoc certiorem faciat Superiorem loci vicinioris dictæ alterius Provinciæ.

Ordinamus Quartò, ne Fratres quomodocumque, aut ex quacumque causa ad aliquem alterius Provinciæ locum, in quo Fratres nostri habent Conventum, venientes, præsumant negotia quæcumque agere, nisi prius ipsum Conventum accesserint, & de negotiis agendis cum Superiore Conventûs communicaverint: nec possint foras ad agenda dicta negotia egredi, nisi de licentia dicti Superioris, & cum sociis ab ipsomet assignandis.

Ordinamus Quintò, ne Fratres etiam ex obedientia sui Provincialis in alteram Provinciam venientes ultra proximiorem Conventum progredi præsumant, nisi habito Provincialis dictæ Provinciæ consensu, multò minus ulterius in aliena Provincia, Conventibus ad partem relictis, quovis pergant.

Quoniam verò sæpe incidere potest necessitas Fratribus Wallonibus negotiandi Bruxellis, apud Nuntium Apostolicum, aut communem utriusque Provinciæ Principem, ejusque Officiales; ob hanc causam licebit Provinciali Wallonum, ejusmodi verâ necessitate incidente, mittere Bruxellas certum Patrem exemplarem singulis annis in Capitulo, vel Congregatione Provinciali, per PP. Diffinitores ad dictum effectum nominandum, qui Pater, quamdiu erit Bruxellis, debebit charitativè & amicè tractari: nec impediri poterit à Superiore, vel Fratribus Bruxellensibus, quominùs extra Conventum ad sua negotia peragenda exeat, cum suo socio, si expressè id contineatur in obedientia. Imò etiam teneatur in suo adventu ad Conventum manifestare Superiori Bruxellensi saltem in genere qualitatem negotiorum, quorum gratia venit. Interea illum poterunt Fratres Bruxellenses accusare apud P. Provincialem Wallonum, casu, quo se in negotiis tractandis, vel in

conversationibus sæcularium irreligiosè gerat, tenebiturque dictus Provincialis illum punire secundùm excessus verificatos, vel probatos.

Hæc omnia congesta & confecta unanimi consensu PP. Provincialium & Custodum utriusque Provinciæ, cum in præsenti Capitulo Generali adessent, Nosque præfati Generalis & Definitorium ad illorum instantiam approbavimus, & confirmavimus, ut perpetuò valeant. Et ad majus robur Nos in hac scheda subscripsimus Anno 1618. *Die* 24. *Junii, in loco nostræ prædictæ Definitionis Generalis.*

Fr. Clemens à Noto Generalis, cum Definitorio Generali, & utriusque Provinciæ.

Exempl. Authent. in Arch. Generali Ord. Armario Provincia Flandro-Belgica.

Electionem duorum Fratrum, unius quidem in Ministrum Provincialem, & alterius in Definitorem, in eodem Capitulo factam sanat.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti Filii, Fratres Provinciæ Walloniæ, Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupatorum, quod in Capitulo Provinciali dictæ Provinciæ novissimè celebrato, duo Fratres Germani ejusdem Provinciæ Professores, unus quidem in Ministrum Provincialem, alter verò in Definitorem dictæ Provinciæ respectivè electi fuerunt, contra quoddam Decretum, à fel. record. Alexandro Papa VII. Prædecessore Nostro editum, quo prohibetur expresse, ne duo Fratres Ordinis prædicti primo consanguinitatis gradu inter se conjuncti insimul sint in Definitorio Provinciali.

Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, in electione hujusmodi bona fide processum fuerit, attento, quod hujusmodi Decretum in Provincia prædicta nunquam fuit notificatum; Nobis propterea dicti Exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportunè providere, &, ut infra, indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur ipsos Exponentes, ac Ministrum Provincialem, & Definitorem prædictos specialibus &c. volentes, & eorum singulares Personas à quibusvis &c. censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, electionem de personis memoratorum Fratrum in Ministrum Provincialem, & Definitorem Provinciæ prædictæ respectivè factam, ut præfertur, auctoritate Apostolica, tenore præsentium validamus, omnesque & singulos juris & facti defectus, si qui desuper propter præmissa quovis modo intervenerunt, supplemus & sanamus; ac prædictum Definitorem ad actus, qui in proximè futuro Capitulo Provinciali dictæ Provinciæ ei tamquam Definitori competent, auctoritate & tenore prædictis, quatenus opus sit, habilitamus: eâ tamen lege, ut prædictum Alexandri Prædecessoris Decretum in supradicta Provincia Walloniæ posthac inviolabiliter observetur. Decernentes ipsas præsentes literas firmas, validas, & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, plenissimè suffragari: sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos, etiam &c. Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum &c. attentari. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non, quatenus opus sit, Ordinis, & Provinciæ hujusmodi etiam &c. statutis, & consuetudinibus, privilegiis &c. innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores &c. derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XVII. Junii MDCLXXI. Pontificatus Nostri Anno secundo.

I. G. Slusius.

Autog. in Arch. Secret. Brev. Apost. regesto mens. & anni præd. fol. 29.

A Pro-

A Provincia Conventus Leodienſes ſeparat, hos in Provinciam erigit, ac articulos ex utraque parte ſtipulatos confirmat.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

SAcroſancti Apoſtolatûs officium, quod ineffabilis ſapientiæ, atque clementiæ Dei altitudo humilitati noſtræ, meritis licèt & viribus longè imparibus, imponere dignata eſt, ſalubriter exequi, adjvante Domino, jugiter ſatagentes, ad ea, per quæ felici proſperoque Religioſorum Virorum, ſuave Chriſti jugum ſub arctioris vitæ inſtituto laudabiliter portantium, regimini & gubernio conſulitur, libenter intendimus, munerisque Noſtri Paſtoralis partes propensâ deſuper charitate interponimus, ſicut locorum, perſonarum, rerum, & temporum qualitatibus maturè penſatis, ad Omnipotentis Dei gloriam, & Religionis incrementum, expedire in Domino arbitramur.

Exponi ſiquidem Nobis nuper fecit dilectus Filius, modernus Procurator Generalis, Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, quòd, cum Nos aliàs, nempe Anno MDCCII. negotium petitæ diviſionis Provinciæ Valloniæ dicti Ordinis novendecim Conventibus, quorum decem in Hiſpanici, & novem in Leodienſis Dominii temporalis locis reperiuntur, conſtantis, ad Capitulum Generale ejuſdem Ordinis, die ſecunda Junii ejuſdem Anni celebratum, examinandum remiſiſſemus, ibique auditis hinc inde Fratrum tam dictorum decem, quàm præfatorum novem Conventuum ſuper diviſione hujuſmodi ab eis poſtulatâ, petitionibus, decretum fuiſſet, ut Commiſſarius Generalis ad dictam Provinciam deputaretur, qui ſuper dicta diviſione omnes ejuſdem Provinciæ Religioſos audiret, Principum, ac Populorum ſenſus exploraret, & diviſionis hujuſmodi neceſſitatem examinaret, ac, quatenus ea evitari non poſſet, illius modum, & formam, membraque, confinia, & omnia ad pacem, charitatemque inter partes diviſas ſervandam conducentia, ſedulò diſcuteret, illorumque relationem cum ſuo voto conſultivo ad hanc Almam Urbem tranſmitteret, Dilectus Filius Angelicus Wolfacenſis, Ex-Vicarius, & actualis Definitor Generalis dicti Ordinis ad ejuſmodi Commiſſarii Generalis munus, utrâque parte ipſum unanimiter petente deputatus, ac ad Provinciam præfatam miſſus, peractis ibi, quæ ipſi peragenda erant, apertâque ſuper dicta diviſione animi ſui ſententiâ eam omnino neceſſariam, memoratoſque decem, nempe Eupii, Luxemburgi, Arluni, Martiſvillæ, Caroloregii, Montis ſeu *Mons*, Athi, Angiæ, Sonnegii, & Namurci Conventus, ab aliis novem, videlicet Verviæ, Spadæ, Malmundarii, Stabuleti, Dionanti, Tudinii, & Hui, necnon Sancti Michaelis, Civitatis Leodienſis, & Sanctæ Margaritæ, ejuſdem Civitatis, Conventibus ſeparandos, ac ex his decem, unam Wallonam pro Wallonibus Regiis nuncupat; ex præfatis verò novem Conventibus alteram Leodienſem reſpectivè nuncupandas Provincias conſtituendas eſſe retulit, jamque Provinciarum, & Conventuum hujuſmodi limites, confinia, & diſtrictus, necnon quæſtuationes, & alia juſtitiæ diſtributivæ, charitati, & paci conſentanea, jam forſan ſtatuta, deſignata, & diſpoſita, ſeu ſtatuenda, deſignanda, & diſponenda Definitorio Generali Ordinis præfati communicata, & ab eo approbata fuerunt, quæ ſeptem articulis comprehenſa ſunt tenoris, qui ſequitur, videlicet = Articuli, de quibus conventum eſt in ordine ad prætenſam ſeparationem. Primus: Nomen, & Sigillum Provinciæ Walloniæ retinebunt ditionis Regis Hiſpaniæ Conventus; Pro Conventibus autem Principatuum Leodienſis, & Stabulenſis in Sac. Rom. Imp. ſitis, conficietur Sigillum novum, & vocabitur Provincia Leodienſis. Secundus: Quælibet Provincia ſe contineat intra limites ſuorum Conventuum, & ſuorum diſtrictuum; Regii nempe, intra limites Conventuum Montenſis, Athenſis, Anghienſis, Sonnegienſis, Caroloregienſis, Namurcenſis, Eupenſis, Arlunenſis, Luxemburgenſis, & Sancti Joannis Baptiſtæ juxta Martiſvillam. Leodienſes verò intra limites Sanctæ Margarithæ, & Sancti Michaelis Leodii, Vervenſis, Spadani, Stabulenſis, Malmundarii, Huyenſis, Dionatenſis, Tudinienſis, abſque eo, quod liceat Regiis aliquem ex Conventibus Leodienſibus jam memoratis, aut Leodienſibus aliquem ex præfatis Conventibus Regiis jure belli, vel alterius cujuſcumq; prætextûs prætendere, aut occupare. Et hæc, quantum ad Conventus utriuſque Nationis. In caſu autem ſupervenientis alicujus controverſiæ, decident utriuſpue Nationis Patres. Tertius: Quoad diſtrictus verò utriuſque partis Conventuum, in quibus quæruntur lanæ, butyrum, calefactio, & cætera ſubſtentationi neceſſaria, Conventûs Thudienſis diſtrictus à parte Caroloregii extendatur uſque ad Lerne S. Angeli, Montigny, Letigneux, Nalines, & Famioulle incluſivè, à parte verò Hanno• niæ uſque ad Binchiam. Diſtrictus Caroloregius ex parte Urbis Thudinienſis comprehendit Andelù, Containe, Marchiennes, versùs Dio-

Dionantum Gerpines usque Bieme exclusivè: Districtus Dionatensis versùs Hamurcum præscribitur Godinne, Purnod, Doxenne, Mianoytroupe inclusivè, & ab altera parte Mosæ Riveræ, Cour, & S.Gerard exclusivè, versùs Luxemburgum usque ad Oppidum & Monasterium S.Huberti inclusivè. DistrictusHamurcanus versùsHujum usque inAndenne exclusivè, & sicut fuit ante, comprehendit etiam Geve. Districtus Vervius versùs Eupenam comprehendit Andriamont, Jayron, Rechain, &Thymister.DistrictusConventuum Malmundarii,& Stabulensis interConventusLuxemburgensem, Arlunensem,&Eupensem,ut olim, imposterum remanebunt, & in parte Luxemburgensi comprehenduntur Reth, Bustemback, Bollange, S.Vith cum ipsius Terra Reulanth, Gomen, & Pagi adjacentes usque ad Wampach, & Ourt inclusivè, Salmes cum ipsius Terra Bellin, Lestailles, & Pagi adjacentes usque Boholimerlè, & Stembach inclusivè. Quartus:

Cum autem Conventus utriusque Nationis sint inter se mixti, & necessariò sæpius Regii per Leodios, & Leodii per Regios Conventus transire debebunt, observetur erga transeuntes omnimoda, & Seraphica charitas, juxta illud Regulæ: ubicunque se invenerint Fratres, ostendant se domesticos invicem inter se; & quilibet Provincialis in Capitulis, Congregationibus, & quotiescumque Fratrum mutatio fiet, poterit per Conventus alterius partis, qui sunt in transitu,mittere, non petitâ licentiâ illius Provincialis: sed quando Fratres extra præfatos casus volent ire ad Conventus alterius Provinciæ, debebunt obtinere Obedientiales utriusque Provincialis. Quintus: Pro bona inter utramque Provinciam correspondentia, Prædicatores, maximè Stationarii, à RR. PP. poterunt mitti de una ad aliam cum eorum consensu: & in Ordine ad Capitula respectivè pro Discretorum electione, servandæ sunt Constitutiones. Sextus: Omnes utriusque Provinciæ Sacerdotes celebrabnnt unam Missam pro Fratribus, & eorum Patribus, & Matribus defunctis: idem charitatis munus secundùm Constitutiones exequentur Clerici, & Laici Fratres. Septimus: Juvenes ad Ordinem prætendentes recipiantur à Provincialibus suæ Nationis, etiamsi essent alterius districtûs. Leodii 13. Julii 1703. Fr. Angelicus Wolfacensis, Definitor, & Commissarius Generalis = Fr. Dionisius Malmundarius Provincialis = Fr. Claudius Leodien. Definitor = Fr.Pacificus Droncenten. Definitor = Fr. Vincentius Senogen. Definitor = Fr. Barnabas Chiniacen. Custos = Fr. Eligius Leodien. Custos.

Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, ipse Procurator Generalis, attentis præmissis, dictam divisionem expedire censeat: Nobis propterea totius Definitorii, & Ordinis præfati nomine humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportunè providere, &, ut infra, indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ejusdem Procuratoris Generalis votis, hac in re, quantùm cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque à quibusvis excommunicationis &c. & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, quatenus relationem Ven. Fratris Nostri Nicolai Episcopi Portuensis, ejusdem S. R. E. Cardinalis Acciajoli nuncupati, dicti Ordinis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectoris, super præmissis audiverunt, ac præinsertos articulos viderunt, atque maturè perpenderunt, consilio, dicto Angelico Ex-Vicario, & Definitori, necnon Commissario Generali supradictos decem Conventus ab aliis novem Conventibus præfatis, sicut præmittitur, auctoritate nostra Apostolica perpetuò segregandi, & separandi, ac ex his decem, unam Wallonam, ex præfatis verò novem Conventibus sic segregatis & separatis, alteram Leodiensem respectivè nuncupandas Provincias dictâ auctoritate itidem perpetuò erigendi, & instituendi, ipsisque novis Provinciis, & illarum Conventibus prædictis limites, confinia, districtus, & quæstuationes juxta articulos præinsertos, authoritate præfata assignandi, omniaque, & singula alia in eisdem articulis contenta, & expressa, prædicta authoritate ordinandi, statuendi, & executioni demandari faciendi, quamcumque necessariam, & opportunam facultatem, & licentiam eadem authoritate, tenore præsentium, tribuimus, & impertimur; salvâ tamen semper in præmissis authoritate Congregationis memoratorum Cardinalium. Decernentes easdem præsentes literas firmas &c. Non obstantibus &c. Wallonicæ, ac illius Conventuum hujusmodi, aliisve quibusvis, etiam juramento &c. confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus &c. & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 1. Martii MDCCIV. Pontificatus Nostri Anno quarto.

F. Oliverius.

Autograph. in Secret. Brevium Apost. Reg. mens. & anni præd. fol. 13.

NO-

N O T A.

Absolutum fuit opus à Rmo P. Angelico Wolffacensi, Ordinis ex-Vicario Generali, & Actuali Definitore Generali, per Decretum subjunctum:

In Nomine Sacrosanctæ, ac Individuæ Trinitatis, & Sanctissimæ D.N.J.C. Humanitatis, Beatissimæque Matris Virginis Mariæ Immaculatæ, & Seraphici S.P.N. Francisci. Amen &c.

Tametsi primæva Provinciarum unitas, seu unita perseverantia quorumvis Conventuum, ac Fratrum in suâ, quà tali, primitiva Provincia multis titulis præponenda, ac præoptanda foret; quatenus, sicuti initio bene cœperunt, & deinceps secumipsis perstiterunt, ita peramplius ad invicem sibi cohærerent, in loco sancto suo, secumque ulterius cohabitarent unius moris in domo quasi unâ, unius nimirùm indivisæ Provinciæ.

Attamen quoad hanc Walloniæ Provinciam videtur, ac perhibetur divisio, seu separatio utriusque Nationis Wallonum, & Leodiorum, ex quibus constat, ob varias, & graves causas non tantùm conducibilis, ac perutilis, sed omnimodè necessaria.

Quod ipsum satis superque probat longæva per integri fermè sæculi decursum talis, ac tantæ necessitatis index experientia, quæ tot, ac tantos hujus Provinciæ, & in eâ utriusque Nationis (primitus Leodios, postremò Regios) Patres primarios tam doctos, quàm probos, & tametsi religiosæ pacis, ac fraternæ charitatis apprimè studiosos, nihilominus ab 80. & ultra annis permovit, ut tot reiteratis vicibus, & omnimodè tentatis conatibus hanc eandem separationem opportunè importunè sollicitaverint, & de uno lustro ad aliud, seu in singulis Ordinis Comitiis Generalibus has suas instantias iterum atque iterum renovârint.

Donec his novissimis temporibus ob semper magis & magis stringentes causas, urgentes rationes, & justa, atque talem inevitabilem necessitatem hujus haud amplius differendæ separationis evidenter demonstrantia motiva, non solùm moderni hujus Wallonicæ Provinciæ ex utrâque Natione primarii, ac potiores Patres, quin & Serenissimus Leodiensis ex unâ, & Catholicus Rex ex alterâ parte, imò ipsemet Augustissimus Imperator, itemque Rmus P. Generalis, totaque R. A. Definitio Generalis per R. A.P. Procuratorem Generalem in Curiâ instantiori efficaciâ in tantum, ac tamdiu apud summam Sanctam Sedem sollicitârunt hanc, toties tentatam totque annis desideratam separationem, quousque tandem eandem optatò obtinuerunt per Breve Apostolicum, eum in finem 1. Martii 1704. quarto anno Pontificatûs SS. D. N. Clementis XI. PP. Maximi expeditum, Altefato Serenissimo Principi Leodiensi consignatum, ab hoc ad me, hâc in parte Delegatum Commissarium Generalem, directum, ac heri vestris Reverendis, & Adm. Venerandis Paternitatibus de verbo ad verbum prælectum.

Nos igitur Fr. Angelicus Wolfacensis Ordinis Capucinorum Generalis Definitor, & pro hâc Wallonicâ separatione (primitus solùm disquirendâ, nunc verò exequendâ) huc ablegatus Commissarius Generalis, inspectâ sæpius, perpensâ maturiùs, ac penitiùs examinatâ benefatâ Bullâ Pontificiâ, Nobis consignatâ, & ad executionem demandata: post præviè etiam de jure, ac more Religionis nostræ factam convocationem Capituli hujus Almæ Provinciæ, aliorumque præliminarium expeditionem: habito item consilio, & assensu præcipuorum Patrum, præsentis Capituli Vocalium: attentâque semper memoratâ Provinciæ hujus necessitate quasi inevitabili, talem separationem exigente: aliis denique variis causis, gravibus rationibus, ac urgentibus motivis, ad hoc ipsum Nos permoventibus, bene libratis & exactè ponderatis.

Eatenus Nos F. Angelicus, qui suprà, Apostolica Auctoritate à Sua Sanctitate, itemque à supremo Ordinis nostri Ministro Generali, hâc in parte mihi concessâ, ac demandatâ sæpefatam hanc de præterito Wallonicam Provinciam, defacto in duas distinctas, ac disparatas dividimus Provincias, & in perpetuum divisas, ac in eâdem hucusque commixtas Nationes Hispano Regiam & Leodio-Stabulensem ab invicem separandas, ac separatas esse declaramus, atque decernimus, ita ut Hispano-Regia sub antiquo nomine Wallonica & Sigillo S.P.N. Francisci Seraphici: Leodio-Stabulensis verò sub nomine Leodia, & sub Sigillo D. Josephi denominetur, atque dignoscatur.

Ita quidem, ut taliter constituta nova Wallonica Provincia ex veteri Wallonicâ hæc decem retineat Monasteria, alphabetico denominata Ordine, nimirum.

Anghiam, Arlunum, Athum, Caroloregium, Eupenam, Luxemburgum, Martisvillam, Montes, Namurcum, & Soneggium.

Quæ omnia loca sub Dominio Regis Catholici in Ducatibus Luxemburgensi, & in Comitatibus Hannoniæ, & Namurcensi continentur.

Sic pariter, ut altera constituta nova Leodia Provincia ex antiquâ Wallonicâ hæc novem retineat Monasteria, alphabetico similiter ordine designata, scilicet:

Dionantum, Huyum, Leodium S. Michaelis in Urbe, Leodium S. Margarithæ in Suburbio, Malmundarium, Spadam, Stabuletum, Thudinium, & Verujam.

Quæ partim in Principatûs Leodiensis, & Marchionatûs Franchimontensis Episcopali Dominio, partim sub Stabulensis Abbatiæ Principatu continentur.

Taliter igitur utraque divisa, ac separata Provincia, statutis vicibus atque temporibus sua celebrabit Capitula, more solito sesquiannua, quatuor Definitores, & Provincialem Ministrum eliget, Guardianos instituet, Familiasque de more disponet, & omnia ea tandem præstare poterit, quæ aliis Provinciis nostræ Religionis de jure, ac more competunt, hâc primâ tamen suæ fundationis vice, nonnisi sub nostrâ ratificatione, seu approbatione, veluti harum duarum novarum Provinciarum Erectoris.

Quoad utriusque Provinciæ limites verò, & Conventuum districtus, seu quæsturas, respectu unius loci ad alterum dicimus, ac decernimus, quod standum in his, ac insistendum pristinis singulorum Conventuum

tuum

tuum juribus, ac consuetudinibus, nisi in iis, quæ in Pontificia separationis Bulla aliter determinata, & vel addita, vel dempta, vel quomodolibet immutata sunt, juxta præviam utriusque partis conventionem, inter se stipulata.

At hoc, ut pax & concordia inter has duas Provincias, olim unitas, deinceps verò fœderatas, in perpetuum conservetur, quin etiam charitas, & amor, quapropter suffragentur animabus Defunctorum Fratrum in perpetuum, tam unius quàm alterius Provinciæ, tam quoad Missas, quàm quoad officia Defunctorum, & Orationes Dominicas, ut moris est apud nostros Sacerdotes, Clericos, & Laicos, & eatenus hæ geminæ Provinciæ, licet Regionibus, ac regimine divisæ, tamen unitæ spiritu, ac charitate, & in vita, & post mortem se invicem, nunc subsidiis corporalibus, dein suffragiis spiritualibus, sollicita adjuvare charitate, sincerâ satagant fidelitate.

His ita statutis ac dispositis, præcipimus in virtute S. Obedientiæ omnibus & singulis Fratribus utriusque Provinciæ, ut statim ac Familiarum dispositio, sive institutio ipsis innotuerit, sese recipiant in illam Provinciam, de qua sunt oriundi, nisi, si cui à Reverendis Patribus utriusque Provinciæ permissum fuerit unanimi consensu, ad non nativam sese aggregare Provinciam. Quoad itineratorium verò transitum de unâ per alteram Provinciam, standum tenori Bullæ Pontificiæ, sufficienter desuper providenti.

Sic quoad omnia & singula hîc suprapofita dicimus, decernimus, declaramus, & sententiamus; non solùm hoc, sed omni alio meliori modo & forma.

Fr. Angelicus Wolfacensis Definitor & Commissarius Generalis.

Definitorium Hispano-Regium.	Definitorium Leodio-Stabulense.
Fr. Barnabas Chinacensis, Provincialis.	*Fr. Claudius Leodien. Provincialis indig.*
Fr. Zacharias Athensis, Definitor indig.	*Fr. Ambrosius Spadanus, Definit. indig.*
Fr. Angelus Montensis, Definitor indig.	*Fr. Pacificus Dionantensis, Definitor.*
Fr. Augustinus Namurcanus, Definit. indig.	*Fr. Franciscus Leodius, Definitor.*
Fr. Paschalis ex Wikeric, Definit. indig.	*Fr. Eligius Leodiensis, Definitor indig.*

Fr. Sigismundo Noel, Recollecto, ad Nos transeundi, *ob allegatum majoris perfectionis zelum*, facultas conceditur.

Leander, Tituli Sanctorum Nerei & Achillei, S.R.E. Presbyter Cardinalis Colloredo &c.

Dilecto Nobis in Christo Sigismundo Noel, Sacerdoti Religioso Professo Fratrum Minorum Recollectorum, Salutem in Domino.

EX parte tuâ Nobis oblata petitio continebat, quod Tu zelo majoris perfectionis ex Recollectorum Religione, ad illam Fratrum Minorum Capucinorum Te transferre desideras; cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, tuum hujusmodi desiderium adimplere nequeas absque Sedis Apostolicæ dispensatione, ideo pro tuæ conscientiæ quiete cupis per ipsam Sedem Apostolicam tecum desuper in utroque Foro dispensari: quare supplicâsti humiliter, ut tibi super his de opportuno remedio providere dignaremur. Nos igitur, qui Pœnitentiariæ Domini Papæ curam gerimus, hujusmodi supplicationibus inclinati, Auctoritate Apostolicâ specialiter Nobis concessâ Tecum, ut de tua Fratrum Minorum Recollectorum Religione, ad illam Fratrum Minorum Capucinorum, dummodo benevolos inveneris Receptores, Te transferre, ibique, peracto probationis anno, Professionem, à Clericis emitti solitam, emittere Regularem, & post illam emissam inibi remanere & perseverare licitè valeas, in utroque foro misericorditer dispensamus; &, ut Provincialis Minorum Capucinorum, qui extiterit benevolus receptor, Te adHabitum &Professionem recipere possit, eadem Auctoritate Apostolicâ indulgemus. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon Recollectorum & Capucinorum statutis, ac Privilegiis, cæterisque contrariis quibuscumque. Cæterùm, Tu rectâ viâ, neque Habitu Regulari dimisso, ad Fratres Capucinos Te transferas; nec tibi aliter, nec ultrà octo menses præsentes litteræ suffragentur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub sigillo officii Pœnitentieriæ octavo Idus Julii Pontificatus Domini Clementis Papæ XI. Anno secundo.

A. Grimaldus Corrector.

Breve formatum in Archivo Provinciæ.

AB EADEM POENITENTIARIA.

Transitum Fr. Brunonis Bibaux, Limburgensis, ad Fratres Recollectos, non ex motivo perfectioris vitæ ducendæ, sed ob discolam ejus inconstantiam concessum fuisse declaratur.

Eminentiss. & Reverendiss. Domine.

Minister Provincialis & Diffinitores Provinciæ Walloniæ, Ordinis FF. Minorum Capucinorum S. Francisci, Eminentiæ Vestræ reverenter, simul & dolenter exponunt, qualiter nuperrime, nedum in illâ Provinciâ, sed per totam Flandriam, & in aliis quoque circumvicinis partibus suborta fuit maxima admiratio inter Ecclesiasticos & Sæculares omnis generis, conditionis & statûs, æquè ac gravissima perturbatio inter Ordines Regulares, aliàs pacificè sibi conviventes, ob sinistram interpretationem alicujus Brevis Sacræ Pœnitentiariæ, vi cujus P. Fr. Bruno Bibaux, Limburgensis, ejusdem Provinciæ Walloniæ professus, dum discretum & laudabilem Seraphici Capucinorum Instituti rigorem & disciplinam regularem sibi gravem ac pertæsum fieri permisisset, nedum ex levitate & tepiditate sui spiritûs, sed (uti ex claris documentis constat) ex studiosâ malitiâ facultatem, in Germaniæ & Flandriæ Partibus vix auditam, sine ulla difficultate obtinuit ab Ordine Fratrum Minorum Capucinorum ad Patres FF. Recollectos, strictioris observantiæ nuncupatos transeundi, ex eo duntaxat allegato specioso prætextu, quod *in suâ Fratrum Minorum Capucinorum Religione cum animi tranquillitate & conscientiæ, quiete diutius remanere non valeret &c.* Quæ verba, cum idem P. Bruno non referat ad suos irreligiosos & indomitos mores, quorum causâ planè nec ipse, nec alius quispiam, cum animi tranquillitate & conscientiæ quiete diu inter Capucinos vivere unquam potuit, nec poterit in futurum: Sed è contra absolutè prætendat, eadem verba omnino referenda esse ad ipsam Religionem Capucinorum, ac si hæc ob Regulę & Constitutionum inobservantiam in causa foret perturbatæ tranquillitatis animi ac conscientiæ quietis; indeque plenis buccis, ipsis etiam Patribus Recollectis strenuè consonantibus, passim divulgare præsumpserit, se ejusdem Brevis tenore ac virtute ex titulo majoris perfectionis, ex authoritate ac approbatione Apostolicâ à laxiori ad strictiorem Ordinem transiisse. Quæ res cum malè sonet in piis auribus fidelium, sitque honoris ac æstimationis publicæ Ordinis Capucinorum graviter offensiva, & hactenus per Dei gratiam neque in Sacrâ Curiâ Romanâ, neque in ullâ aliâ parte orbis terrarum usque modo audita, ac in ipsa quoque Sacra Pœnitentiaria penitus inusitata &c. Prædicti Patres, Oratores humillimi, Eminentiæ Vestræ reverenter supplicant, quatenus ad sedandos motus, ex dicta sinistra & publicata ejusdem Brevis interpretatione suscitatos, benignè declarare dignetur, transitum ad PP. Recollectos, P. Brunoni Bibaux Limburgensi Capucino non fuisse concessum ex titulo majoris perfectionis, sed ex benigna compassione humanæ fragilitatis, indeque dici nec posse, nec debere, ac si idem P. Bruno transitum fecisset à laxiori ad strictiorem Ordinem, salvo semper omni decore & honore, qui RR. PP. Recollectis intra sphæram sui Ordinis debetur, & à PP. Capucinis nullatenus denegatur &c. Et pro gratiâ. Quam Deus &c.

Sacra Pœnitentiaria retroscriptæ petitioni respondet, transitum Religioso Brunoni Bibaux, Limburgensi, â Fratrum Minorum Capucinorum Religione ad aliam Fratrum Recollectorum ejusdem Ordinis Sancti Francisci, in quâ actu vitam suam degit, à Sede Apostolicâ per Sacram Pœnitentiariam concessum fuisse, non perfectioris vitæ ducendæ motivo, quod nec ab ipso Religioso Brunone *in suâ porrectâ supplicatione, nec in Brevi Transitûs expressum fuisse reperitur, sed unicè, quia ob suas privatas rationes inter Capucinos tranquillè & quietè se vivere non posse asseruit.*

Datum Romæ in Sacrâ Pœnitentiariâ die 29. *Februarii* 1732.

P. Patriarcha Hierosol. Sacræ Pœnitentiariæ Regens.

Breve formatum in Archivo Provinciæ.

PRO-

PROVINCIA LEODIENSIS.

BElgicæ Provinciæ, ceu fœcundæ Arboris ultimus ramus, & diviſionis Surculus eſt Provincia Leodienſis, quæ Auguſtæ & Sereniſſimæ Domûs Bavaricæ Principibus, Leodienſis Eccleſiæ Epiſcopis, ſuam æquè radicem, ac ſuccedaneum florem potiſſimum debet. Ad Principatum enim Leodienſem Erneſtus, utriuſque Bavariæ Dux, & Leodienſis Princeps Epiſcopus, Fratres noſtros anno Dominicæ Incarnationis milleſimo quingenteſimo nonageſimo octavo è Belgio vocavit, iiſque in ipſa Civitate Leodienſi fundum pro congruo incolatu comparavit. Exemplum Erneſti ſecutus eſt Maximilianus, pariter utriuſque Bavariæ Dux, Epiſcopus & Princeps Leodienſis, dum in Suburbio ejuſdem Civitatis Fratribus alterum Domicilium conceſſit, diplomate ſequenti:

Maximilianus Henricus &c.

Cum Nobis humillimè fuerit expoſitum ex parte inhabitantium Suburbium Sanctæ Margarithæ, Civitatis noſtræ Leodienſis, quod conſiderantes maxima inconvenientia, quæ de die in diem in dicto Suburbio accreſcunt, defectu Perſonarum Religioſarum, quæ ibidem ſaluti animarum invigilare poſſent docendo, & inſtruendo juventutem, adminiſtrando Sacramenta, aſſiſtendo infirmis, præſertim in articulo mortis, imò & accideret de nocte plures mori abſque ullo ſpirituali ſuccurſu alicujus Religioſæ Perſonæ ob portas Civitatis clauſas, conceperint bonam & ſalutarem reſolutionem procurandi ſub beneplacito noſtro, & auctoritate noſtra introductionem & erectionem Conventûs Religioſorum Mendicantium in dicto Suburbio ob ſupra dictos fines, & ad hunc effectum requirendi Patres Capucinos ad illud onus conſenſu noſtro ſuppoſito acceptandum. Et inſuper iidem inhabitantes Nobis ſupplicaverint, quatenus dictæ introductionis & erectionis gratiam ipſis concedere dignaremur.

Nos ergo conſiderantes tales reſolutiones, intentiones, & ſupplicationes non tendere, niſi ad majoris gloriæ Dei augmentum, cultumque, & procurationem ſalutis animarum, nihil aliud optantes, quàm noſtris Officiis paternis ad tam bonos fines contribuere, præhabitâ informatione, & conſenſu conformi Capituli noſtri Cathedralis, & certiores facti, PP. Capucinos, ut ſupra, requiſitos obtinuiſſe in ultimo eorum Capitulo Provinciali, nuper Inſulis in Flandria celebrato, poteſtatem dictum onus acceptandi, & defacto acceptâſſe, benignè conceſſimus, prout per præſentes concedimus, gratiam erigendi novum Conventum PP. Capucinorum in dicto Suburbio ſecundùm regulas, & inſtituta

eorum

eorum Ordinis, & hoc cum conditionibus suprafatis, & per eorum Capitulum acceptatis, catechizandi, confessiones excipiendi, concionandi, aliaque necessaria & rationabilia peragendi; ad quem effectum illos, omnesque Cives dictum Suburbium inhabitantes, Operarios, aliosque ad erectionem novi Conventûs contribuentes, in singularem protectionem nostram assumimus. Datum in Palatio Episcopali Leodiensi 8. Augusti 1661.

Jam prius autem, & quidem anno 1606. dum Principatum contagiosa lues undequaque concussit, & plura millia hominum malo grassante correpta, alios non habuerunt, qui iis panem Spiritualem frangerent, præter Capucinos, animam suam pro amicis intrepidè ponentes, ac ægros spirituali & corporali ministerio foventes, aliæ quoque Communitates Domicilia his decrevêre. Fecit hæc Conventuum multiplicatio, & Nationis ac Dominii diversitas, ut anno millesimo septingentesimo quarto ad instantias Principum, qui proprium territorium à Nationis Fratribus incoli voluêre, secuta sit ultima partitio, & Leodienses separatæ Provinciæ acquisiverint jura.

In hac Principes Episcopi speciali eos semper dignati sunt amore, & dum plures ex iis in suæ conscientiæ Arbitros assumpsêre, alios Examinatores Synodales constituêre. Principum benevolentiæ grata semper correspondit, subditum eorum populum tum probioris vitæ, & conversationis exemplo, tum ministerio Spirituali ubique adjuvans.

Cum Flandro-Belgicis, inter suos quoque Viros illustres numerat Carolum ex Principibus de Horna, Ditionis Leodiensis Oppido, quem ad Episcopatum Brugensem virtute duce assumptum fuisse, cum superficie meriti, in primo Bullarii tomo memoratum est.

Sumit & jure merito partem de gloria Fr. Francisci Titelmanni, Tomo secundo fol 14. obiter tactâ, cum Hasselet, Agri Leodiensis Oppidum, illum Orbi & Ordini dederit ex testimonio Bellarmini Virum Sanctum & doctum.

Fr. Benedictus Leodius fuit illius meriti, ut ipsa prima & Sacra Sedes id per litteras Pontificias, mox cum synopsi de ejus vita videndas, Regibus & Principibus commendârit.

Fr. Claudius Leodius, quem erudita pietas quinquies ad Magistratum Provinciæ, etiam adhuc Wallonicæ unitæ, evexit, non recedet à memoria ejus, cum ab illius Spiritu hauserit legem vitæ & disciplinæ, & in illo viderit mirabilia perfectæ virtutis.

Laudes Capucini nominis non parum adaugent Moniales Capucinæ, è celebri S. Audomari Fano Leodium à Serenissimo Principe & Episcopo Ferdinando, anno millesimo sexcentesimo vigesimo sexto ascitæ, dum enim meditantes diu noctuque in lege Domini, quæ sursum sunt, quærunt, exemplo quoque austerioris vitæ, fallacem mundi gratiam plagentes cogitant, quæ sunt Dei, quomodo placeant Deo, ut sint Sanctæ corpore & Spiritu.

Præter Monaster. Monialium.
Continet Conventus Fratrum IX.

PONTIFICIO ORACULO.

Usus spatii de horto Domûs Dionatensis â fundatore occupati confirmatur.

Beatissime Pater.

EXponit suæ Sanctitati humillimè Fr. Onesimus Montensis, Provincialis, licèt immeritus, Fratrum Capucinorum Provinciæ Gallo-Belgicæ, quomodo reprehenderit in Conventu Dionatensi, Diœcesis Leodiensis, Fundatorem ejusdem Conventûs bona fide, ut relatum est, annuente aut saltem connivente Conventûs quodam superiore, usurpâsse aliquod spatium horti, parum quidem Fratribus dictæ residentiæ necessarium, sed ipsi Fundatori accomodatissimum propter ædiculam suam contiguam Conventui, quod spatium occupatum post mortem, ut & alia multa, fidem facit se relicturum Fratribus. Dignetur itaque sua Sanctitas ratum habere, quod factum est, ejusque confirmare usum, & occupationem dicti loci.

Sanctissimus Dominus Noster Papa Gregorius XV. hodie die 11. *Mensis Junii* 1623. *attentis supra narratis dignatus est ratum habere, quod factum est, ejusque firmare usum, & occupationem juxta petitionem, & in fidem hujus gratiæ, Nos Fr. Hieronymus à Castro Ferretorum, in Romana Curia Procurator generalis, Ordinis Capucinorum S. Francisci has præsentes manu propria subscripsimus & sigillo officii nostri ordinario muniri jussimus. Datum Romæ in loco Nostro Capucinorum. Die, & anno, ut supra.*

N O T A.

RAtihabuit fundationem hujusce Domûs Serenissimus Princeps Elector Coloniensis, & Episcopus Leodiensis Ferdinandus, Diplomate subjuncto:

Ferdinandus Dei & Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus Coloniensis, S. Rom. Imp. per Italiam Archicancellarius, & Princeps Elector, Episcopus Leodiensis, Hildeshemen. Monasterien. Administrator Stabulensis, Berchtesgaeden, Coadjutor Paderborn. Comes Palatinus Rheni, Dux utriusque Bavariæ, Westphaliæ, Angariæ, Bullonii, Marchio Franchimontensis, Comes Lossensis &c.

Universis & Singulis præsentes nostras litteras visuris, lecturis, vel legi audituris salutem. Pro parte Religiosorum Patrum Capucinorum Nobis expositum extitit, sibi constitutum esse Ordinis sui Cœnobium ædificare in Oppido nostro Dionatensi, assignante locum, & conferente in sumptum Magistratu dicti Oppidi, quod ut gratum, & ratum habere dignaremur, Nobis demissè supplicârunt, cui eorum supplicationi & pio desiderio, quia ad gloriam Dei & Civium nostrorum bonum & salutem tendit, lubentes annuimus. Quare tenore præsentium ædificationem dicti Cœnobii, & Magistratûs nostri, ad tam pium opus donum, gratum, ratum, & acceptum Nos habere declaramus. In cujus rei fidem præsentes manu nostrâ subscripsimus, & Sigilli nostri appensione muniri mandavimus. Datum in Civitate nostra Leodiensi 27. *Febr.* 1613.

Ferdinandus.

Autographum in Archivo Provinciæ.

Per Fr. Benedictum Leodium, Ministrum Provincialem &c. Regi Christianissimo Rem Catholicam in Germania commendat.

URBANUS PAPA VIII.

Charissime in Christo Fili noster salutem & Apostolicam Benedictionem.

NON ignoramus res Catholicorum in Germania apud Majestatem tuam commendatione non indigere, qui antehac satis perspeximus, quàm feliciter ac gloriosè Religionem adversùs Hæreticos propugnaveris. Verùm cum paterna, quam Filiis debemus, benevolentia, atque animarum zelus Nos conquiescere nunquam sinant, facere non possumus, quin, quandocunque se dat occasio, iteratis officiis eosdem Tibi summo animi affectu commendemus. His porro verbis non Te languentem excitamus, sed currentem impellimus, illudque enixè petimus, ut, si quibus in rebus iis adjumento esse poteris, Regiam beneficientiam tuam eorum utilitati exponere

re ne graveris. Has literas P. Benedicto Leodienſi, ex Ordine Capucinorum, Rhenanæ Provinciæ Præpoſito, in Patriam redeunti, ad Te dedimus, ut, qui multis in Germania Catholicorum calamitatibus interfuit, plurimùmque in iis ſublevandis laboravit, paternæ noſtræ charitatis, & benevoli tui erga illos animi teſtis ubique locuples eſſe poſſit. Majeſtati Tuæ Apoſtolicam Benedictionem amantiſſimè impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, Die XXXI. Maii MDCXXXIII. Pontificatus noſtri Anno decimo.

Franciſcus Herrera Secret.

Autog. in Secret. Brev. ad Principes *reg. menſ. & anni præd. f.* 82. *à tergo.*

Per eundem Fr. Benedictum Epiſcopo Herbipolenſi de ærumnis Epiſcopatûs condolet, & Fratres noſtros commendat.

A tergo: *Venerabili Fratri Epiſcopo Herbipolenſi.*

URBANUS PAPA VIII.

Venerabilis Frater ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

CApucini Fratres, qui calamitatum atque ærumnarum participes fuêre, quas Fraternitas Tua unà cum populis, iſtius Epiſcopatûs ditioni ſubjectis, paſſa eſt, occaſionem Nobis præbent, ut ipſis in Germaniam redeuntibus litteras ad Te demus, non tam charitatis in Te noſtræ, ac miſerationis indices, quàm teſtes Religionis & conſtantiæ tuæ. Norunt omnes, ac præſertim P. Benedictus Leodienſis, Rhenanæ Provinciæ Præpoſitus, quocum hac de re ſermonem habuimus, quem in Nobis doloris ſenſum gregis tui damna, atque vexationes excitârint; ſatis cuicunque apertum eſt, quantùm aſſiduitatis, ac diligentiæ in iis præcavendis & propulſandis impenderimus, atque in præſentia impendamus. Non enim paterna charitas in tam acerba Filiorum afflictatione ſine cura quieſcere Nos patitur. Idcirco ea aggredi non intermittimus, quæ illorum rebus aliqua ratione profutura videantur. Quod Fratres Capucinos in tua Diœceſi humaniter foves, pergratum Nobis eſt, tùm, quod Religioſam diſciplinam ſedulò cuſtodiunt, tum, quod impigri in Animarum ſalute procuranda Operarii ſunt. Eorum res ſi Tibi cordi erunt, optimos habebis in tuo Miniſterio adjutores. Fraternitati Tuæ Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum *ut ſupra*.

Franciſcus Herrera Secret.

Autog. in Secret. Brev. ad Principes *reg. menſ. & anni præd. fol.* 83.

Simili argumento.

A tergo: *Ven. Fratri Epiſcopo Vormatienſi.*

URBANUS PAPA VIII.

Venerabilis Frater ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

FIliorum, qui Epiſcopali Fraternitatis Tuæ curæ crediti ſunt, damna & calamitates, tantam in animo noſtro commiſerationem jampridiem excitârunt, ut eas non ex longinquo audire, ſed ipſis planè intereſſe Nobis videamur; neque, quod tam diræ acerbitatis procella ſæviet, in noſtra erit poteſtate, ut anxia veſtrorum periculorum ſolicitudine careamus. Hæc nimirum Nos antehac perpulit, & quotidie magis impellit, ut quæcunque ad veſtram utilitatem facere exiſtimamus, diligenter ac ſedulò procuremus. In tantis tamen malis ingens Nobis relictum eſt ſolatium, tua, tuique Gregis conſtantia, atque Catholicæ cuſtodiendæ Religionis ſtudium: quæ, ut omnibus exemplo ſunt, ita mœrorem, quem ex graviſſimis veſtris ærumnis percipimus, non mediocriter leniunt. Has literas à P. Benedicto Leodienſi, ex Ordine Capucinorum, Rhenanæ Provinciæ Præpoſito accipies, qui paternæ noſtræ erga Te charitatis teſtis erit. Illum, quamquam Tibi percharum eſſe ſcimus, tamen unà cum ejus Religioſis Fratribus libenter commendamus, quod Nos minimè lateat, quanto in Catholica Fide tuenda, atque animarum ſalute curanda adjumento Tibi eſſe poſſint. Fraternitati Tuæ Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum *ut ſupra*.

Franciſcus Herrera Secret.

Autog. in Secret. Brev. ad Principes *regeſto menſ. & anni præd. fol.* 83. *à tergo.*

Simili argumento.

A tergo: *Venerabili Fratri Archiepiscopo Moguntino.*

URBANUS PAPA VIII.

Ven. Frater salutem & Apostolicam Benedictionem.

QUÆ P. Benedictus Leodiensis, ex Ordine Capucinorum, Rhenanæ Provinciæ Præpositus, de calamitatibus, quas tuæ Diœcesis, ac ditionis Catholici ab Hæreticis passi sunt, & quotidie patiuntur, Nobis narravit, ea dolorem, quem hac ipsa de causa pridiem conceperamus, renovare non potuerunt; est enim assiduè animo nostro veluti ex recenti vulnere infixus: Nos tamen excitârunt ad dandas Tibi literas, quibus Fraternitatis Tuæ constantiam, ac tuendæ Religionis studium Deo, ac bonis omnibus gratissimum, atque ob insignis virtutis exemplum universæ Ecclesiæ salutare fuisse testaremur. Id, quamquam mœrorem nostrum non parum solatur, miseriæ tamen, ac pericula, in quibus illi adhuc versantur, sollicitos, atque anxios Nos tamdiu tenebunt, quousque Dei clementia sedatis tempestatibus tranquillitatem Germaniæ afferat. In eam Nos sicut hucusque omnem curam, ac laborem intendimus, ita speramus fore, ut Divinum præsidium nostros conatus secundet. Capucinos Fratres, quos Tibi valde acceptos esse novimus, atque in Animarum salute procuranda, vel cum vitæ periculo exerceri vides, plurimùm Fraternitati tuæ commendamus, cui etiam Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum *subscriptum, & asservatum ut supra.*

Simili argumento.

A tergo: *Venerabili Fratri, Archiepiscopo Coloniensi.*

URBANUS PAPA VIII.

Venerabilis Frater salutem & Apostolicam Benedictionem.

EA est paterna charitas, qua Fraternitatem Tuam, & Populos curæ tuæ creditos prosequimur, ut prætermittere non potuerimus, quominùs redeunti in Germaniam P. Benedicto Leodiensi, ex Ordine Capucinorum, isti Provinciæ Præposito, literas ad Te non minus constantiæ, ac Religionis vestræ, quàm mœroris, ac miserationis nostræ testes daremus. Est sanè calamitosis hisce temporibus, cur summopere doleamus Catholicos ab impiis Religionis hostibus tot detrimenta, totque ærumnas, ac vexationes passos esse: sed vicissim non levi solatio Nobis est, cum videmus eam in illis enituisse fortitudinem, eamque animi celsitudinem in tanta rerum adversarum tempestate extitisse, ut Religionem non modo sartam, ac tectam conservaverint, sed etiam aliis exemplo fuerint, qua animi alacritate, terrena cœlestibus, fluxa & caduca æternis, omnia Religioni sint posthabenda. Hæc ipsa aliàs scripsimus, eadem tamen sæpius iteramus, quod à Filiorum vel ærumnis, vel rebus præclare gestis animum avocare non possumus. Certè si, quæ in Catholicorum istius Diœcesis utilitatem summo studio sæpius aggressi sumus, optatum exitum sortita essent, nec illi in summis difficultatibus, ac miseriis versarentur, nec Nos ex jugi eorum commiseratione assiduo dolore afficeremur. Capucinos Fratres, quos apud Te in Dei Vinea strenuè laborare, ac pro Animarum salute pericula non subterfugere scimus, Tibique ea de causa gratos esse audivimus, plurimùm Fraternitati Tuæ commendamus, Deum interim orantes, ut vestris jacturis, & damnis finem imponere dignetur. Datum *subscriptum, & asservatum ut supra.*

Simili Argumento.

A tergo: *Venerabili Fratri Archiepiscopo Trevirensi.*

URBANUS PAPA VIII.

Venerabilis Frater salutem, & Apostolicam Benedictionem.

QUÆ de Fraternitatis tuæ angustiis, deque populi Tibi subjecti calamitatibus quotidie narrantur, ea uberem nobis miserationis & doloris materiam præbent. Non enim sine ingenti mœrore audire possumus, gravissimas ærumnas, quibus Catholici conflictantur, tamdiu continuari, ac nullum

ab

ab impiis Religionis hostibus iniquissimæ vexationi modum adhiberi. Neque, ut in adversis sæpe fit, frequenti miseriarum vestrarum commemoratione animi nostri sensus obduruit, sed veluti perfricato vulnere dolor in dies magis renovatur. Verùm in tam anxia sollicitudine duo Nobis ingens afferunt solatium; Filiorum videlicet fortitudo, & constantia, & labor, ac sedulitas, quibus imminentia damna avertere, & præsentia depellere conati sumus, quibus voluntas adjicitur nihil prætermittendi, quod in rem Catholicorum fore existimemus. Has literas Tibi reddet P. Benedictus Leodiensis, ex Ordine Capucinorum, Coloniensi Provinciæ Præpositus, qui unà cum suis Fratribus periculorum ac miseriarum vestrarum particeps fuit. Eos, quos ob religiosas virtutes, ac fructum animarum, quem quotidie copiosum reportant, jampridem tua sponte diligis, si nostra etiam causâ fovere pergas, gratum Nobis feceris, certè alacres ac paratos in piis ministeriis, vel cum vitæ discrimine ob eundis reperies. Fraternitati Tuæ Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum *ut supra*.

NOTA.

AD memoriam, quæ P. Benedicti enuntiati nomini debetur, plures concurrunt Ordinis Provinciæ, Leodiensis videlicet, Belgica, Rhenana, Coloniensis, & Helvetica, & mutuò collatâ materiâ formant dignæ laudis initium. Leodiensis suum ex ortu Concivem celebrat, Belgica illum à se in S.P. Francisco regenitum celebrat, Rhenana, & Coloniensis virtute illius, florem Monasticæ Disciplinæ haud parum firmatum confitentur, & Helvetica ab eo visitationis Generalis beneficium sibi impensum memorat. Æstimavit & ipse Pontificii Solii, & Catholici Orbis summus Arbiter Urbanus VIII. altioris sapientiæ, qua claruit, Spiritum, & Litteris Pontificiis ad Regem Christianissimum, Electores & Episcopos Imperii in subsidium periclitantis Fidei Eum ablegavit. Fabius Chisius jam tempore, quo Apostolicum ad Tractum inferioris Rheni Nuntium agebat, palmari favore eum complexus est, huncque ad Pontificatû apicem evectus renovavit, dum Benedictum Romæ præsentem, & illum crebrius accedentem audivit. Pro Joanne Philippo Principe Electore Moguntino, Archiepiscopale Pallium ipse Romæ accepit. & Ei in Choro Metropolitanæ Moguntinæ confusâ invidiâ appendit. Hujus Suffraganeo, dum Regulares suæ Visitationi apocrypho jure subjicere tentavit, restitit Benedictus zelo, quem modastum æquè ac serium Elector stupuit.

Spirituum Discretor, dum Abbatissæ, cujus præstigiis Crucifixi Imago aliquoties sanguinem stillare visa est, & quam Colonia sanctitatis famâ honoravit, munus Abbatiale deponere mandat, & ex furiis & ira, qua obedire tergiversata est, sagam eam detegit, eventu veritatem probante.

Francofurti contra se concitatum canem non sine intuentium stupore, facto signo Crucis compescuit, & Paderbornæ Energumenorum factionem, Ordini nostro minantem, & Virorum aliàs piorum suggestione & consilio suffultam, tum erudito calamo, tum fervente oratione continuit. Lepidè in Trevirensi RR.PP.Jesuitarum Musæo egit, dum enim callidè pro Doctoratûs Laurea quæstio erat exposita, an in inferno esset Ordo, & in casu, an Prælati sint vocitandi Priores vel Guardiani? argutè Benedictus Rectores eos nominandos intulit, & ex D. Paulo firmavit, *Rectores tenebrarum harum*.

Animæ Defunctorum ex tenera pietate, qua illas adjuvit, habuit sibi familiares, ita ut noctu sæpius ad Januam cellæ pulsarent, & placidè illius suffragia poscerent. Custodiam Westphalicam visitans in ædibus Parochi pernoctans, & media nocte âd persolvendum pensum Matutinum cubitu surgens, faculam in atrio Domûs scintillantem advertit, & dum Spiritum sua ope indigum sub ea latere suspicatur, hic quæsitus, se Parochi Sororem, post incestum occisam fatetur, & corpus pavimento atrii contectum benedictæ terræ mandari, sibique ad S. Aras parentari rogat. Vota Sororis Benedictus piè exequitur, & Fratrem Parochum Spiritu compunctionis salubriter replevit. In Dœmones mirum exercuit imperium, & dirè eos exorcismis torsit. Vexârunt & hi variè Benedictum minis, quibus & verbera addita fore fatebantur, nisi recitatio Officij Mariani, ab illo nunquam omissa, eos impedivisset. Cursum Visitationis Helveticæ dum necdum explevit, cursum vitæ 15. Februarii 1660. Lucernæ consummavit.

DE-

DECRETO

S. Congreg. Episc. & Regul.

Fratribus Sanctimonialium Confessariis Ordinariis, clausuram tempore infirmitatis ingrediendi facultas datur.

Leodienses Sanctimoniales Capucinæ

SAcra Congregatio Emin. & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negot. & consult. Episc. & Regularium præposita, attentis narratis censuit, ac declaravit, Religiosos Capucinos, quatenus sint Confessarii Ordinarii Sanctimonialium, posse clausuram ingredi, ad effectum præmissum juxta Decreta ejusdem S. Congregationis, aliàs desuper edita. Romæ 19. Sept. 1698.

Autogr. in Secret. præd. S. Congregat.

A Provincia Walloniæ Conventûs Leodienses separantur, & in distinctam Provinciam eriguntur.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

SAcrosancti Apostolatûs officium, quod ineffabilis Sapientiæ, atque Clementiæ Dei altitudo = *residuum vide supra fol.* 107.

NOTA.

ET labellum supplicem ex parte Ordinis Summo Pontifici porrectum lege, ut sequitur.

BEATISSIME PATER.

Procurator Generalis Capucinorum ad pedes S. V. humiliter provolutus reverenter exponit, qualiter in Comitiis Generalibus seu Ordinis, celebratis die 2. Junii, anno 1702. supplicatum fuit S. V. pro parte tam Cesareæ, quàm Catholicæ Majestatis, ac Serenissimi Principis Leodiensis, per ipsorum Principum Ministros, aut Oratores, quatenus Provincia Capucinorum Vallonica, in qua sunt Conventus decem & novem, quorum decem sunt sub Hispaniæ, novem sub Leodiensi ditionibus, divideretur in duas. Placuit S. V. hujusmodi negotium examinandum Religioni in dicto Capitulo Generali remittere, in quo auditis hinc inde PP. tam Vallonibus Regiis, quàm Leodiensibus super prætensa divisione ab utrisque postulata, sancitum fuit deputare Commissarium Generalem ad dictam Provinciam visitandam, qui omnes illius Religiosos audiret, Principum, ac Populorum sensus exploraret, necessitatem prædictæ divisionis examinaret, &, quatenus non potuisset evitari divisio, ejusdem modum, formam, membra, confinia, & omnia ad pacem chaitatemque servandam inter partes divisas conducentia seriò discuteret, & cum suo Voto consultivo ad hanc Almam Urbem referret.

Ad hujusmodi munus Commissarii Generalis deputatus fuit P. Angelicus Wolfacensis ex Provincia Austriæ anterioris, & jam totius Ordinis Vicarius Generalis, & actualiter Generalis Deffinitor, utrâque parte unanimiter ipsum petente, & facto cum S. V. verbo expeditus in Valloniæ Provinciam prædictam, ubi omnibus peractis, quæ sibi peragenda erant, refert, & suum sensum producit, ut sequitur.

Primò esse necessariam omnino divisionem dictæ Provinciæ, separando à Leodiensibus decem Conventus, scilicet Eupejæ, 2. Luxemburgi, 3. Arluni, 4. Martisuillæ, 5. Caroloregii, 6. Montis seu Mons, 7. Athi, 8. Angiæ, 9. Sonnegii, 10. Namurci, qui subsunt Dominio Regis Hispaniæ, eos assignando Vallonibus regiis ex iis unam constituendo Provinciam ex una parte, quæ Provincia appellabitur Provincia Valloniæ, ex altera verò novem Conventus Leodienses, scilicet 1. Verviæ, 2. Spadæ, 3. Malmundarii, 4 Stabuleti, 5. Dionati, 6. Thudinii, 7. Huy, 8. Leodii S. Michaelis, 9. Leodii S. Margarithæ à Vallonibus, & alteram constitueado Provinciam, quæ appellabitur Provincia Leodiensis, ita, ut una Provincia, scilicet Vallona ex decem, altera, scilicet, Leodiensis ex novem constent Conventibus, cum limitibus, & confiniis jam ab ipso P. Commissario vel assignatis, vel assignandis; & juxta concordata, aut concordanda circa districtus, quæstuationes, & alia necessariò statuenda, sive statuta in loco loci justitiæ distributivæ, charitati, & paci consentanea.

Hinc præfatus Procurator Generalis, nomine totius Deffinitionis Generalis, & suæ Religionis, omnia exponit summo S. V. judicio, & zelo, & simul (attentâ necessitate à prædicto P. Commissario Generali probata in visitatione prædicta) sentit, & credit expedire divisionem, ut supra postulatam, Oratoribus concedere, quatenus S. V. sic placeat, & super ipsa ad eam exequendam Breve expediri, & ad prædictum Commissarium dirigi, ut adimpleat omnia ea, quæ jam ad hoc sunt designata, & dispposita, ac Diffinitorio Generali communicata, & ab isto approbata, juxta ea, quæ hic annexa traduntur, & alia, quæ in Domino expedire videbuntur.

DE-

DECRETO

Sac. Congreg. Episc. & Regul.

Receptionem Novitii â Vicario Provinciali sine expresso Ministri Provincialis ordine factam, sanari jubetur.

Eminentiss. & Reverendiss. Domine.

PAter Theodosius, Leodius, FF.Capucin. Provinciæ Leodien. Minister Provincialis, Romam ad ultima Comitia generalia anno proximè elapso 1709. celebrata proficiscens, P. Pacificum Dionatensem ejusdem Provinciæ ex-Provincialem, suum Commissarium constituit, illique suam omnimodam auctoritatem dedit pro regimine Provinciæ, toto suæ absentiæ tempore, mensque præfati Provincialis, ut constat ex epistolis illius Romam transmissis, fuit eandem auctoritatem ei dandi pro Novitiis ad Ordinem admittendis; verùm, quia dictam suam mentem in commissione datam pro hac Novitiorum admissione specialiter non expressit, dubium ortum est dictis Patribus ex lectione declarationis S. m. Nicolai III. quæ dicit, licentiam ad Ordinem recipiendi specialiter seu exprefsè Vicariis Provincialibus esse committendam, quippe, quod illam ex officio non habeant, an Fr. Nicolaus Leodius, quem tempore suæ Commissionis præfatus P. Pacificus ad Habitum admisit die 14. April. anno 1709. post annum probationis expletum, possit validè Professionem emittere? Pro cujus dubii resolutione, & quidem ad majorem cautelam, cum ex testimonio dictorum Patrum P. Procuratori Generali constet, præfatum Fr. Nicolaum ad Ordinem bonâ fide in absentia P. Provincialis fuisse admissum, annuentibus quidem omnibus Definitoribus, eumque laudabiliter annum probationis absolvisse, ac nuperrimè omnium votis pro emittenda Professione fuisse admissum.

Sacra Congregatio Emin. ac Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negot. & consultat. Episc. & Regular. præposita benignè commisit Patri Generali prædicti Ordinis, ut veris existentibus narratis, præfatam receptionem dicti Fr. Nicolai ad Habitum pro suo arbitrio & conscientia ad cautelam sanet, ac revalidet, non obstantibus quibuscunque &c. Romæ 3. *April.* 1710.

G. Card. Carpineus.

Ferd. Archiep. Nicenus Secret.

DECRETO

S. Congreg. Episc. & Regul.

Causa præcedentiæ inter Clericos Novitios, & Laicos Professos ad P. Ministrum Generalem remittitur, in actu visitationis terminanda.

IN causa Leodien. Præcedentiæ, vertente inter Fratres Laicos Professos Ordinis Capucinorum, Provinciæ Leodiens. ex una, & Clericos non Professos ejusdem Ordinis, & Provinciæ partibus, & altera.

Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum & Regularium Præposita, audito Patre Procuratore Generali Ordinis, & perpensis juribus, ac rationibus per Laicos informantes deductis, referente Eminentissimo Gualterio censuit, ac decrevit omnia remittenda esse, prout præsentium tenore benignè remisit ad Patrem Ministrum Generalem in actu visitationis, etiam cum facultatibus ejusdem Sacræ Congregationis. Romæ 21. *Martii* 1715.

L. S.

T. Cardinalis de Abdua.

F. A. Nitenus Secretarius.

NOTA.

VIgore hujus facultatis emanatum est Decretum, quod sequitur.

In nomine Domini Amen.

Nos Frater Michaël Angelus â Ragusio, FF. Min. S. P. Francisci Capucinorum Minister Generalis.

Præsentato olim nomine Fratrum Laicorum Capucinorum hujus Leodiensis Provinciæ Eminentissimis, ac Reverendissimis DD. Cardinalibus Sacræ Congregationis super negotiis Episcoporum, & Regularium supplici libello, quo in publicis functionibus super Clericos Novitios præcedentiam petebant, eadem S. Congregatio sub die 21. *Martii anni* 1715. *dedit subsequens Rescriptum, videlicet* omnia ad P. Generalem in actu visita-

ſitationis cum facultatibus S. Congregationis referente Eminentiſſimo Gualterio. *Ideo juxta tenorem præfati Reſcripti, quod Rev. P. Joannes Antonius á Florentia, in Romana Curia Procurator, & Commiſſarius noſter Generalis Nobis tranſmiſit, Nos cupientes & eidem S. Congregationi parere, &, quantùm in Domino poſſumus, litem hanc terminare, occaſione viſitationis á Nobis habitæ in hac Provincia, nec non præſentis Capituli, auditis tam Religioſis Sacerdotibus, & Laicis antiquioribus, quàm RR. PP. ex-Provincialibus, Senioribus, ac toto Definitorio præſente, etiam per manuſcriptum, quod apud Nos habemus, certiores redditi Laicos profeſſos e juſdem Provinciæ numquam ſuper Clericos Novitios præcedentiam habuiſſe.*

Quapropter Nos inhærentes tum eidem immemorabili conſuetudini, tum etiam Decreto ejuſdem Congregationis emanato die 18. Februarii 1661. de mandato Alexandri PP. VII. quod non obſtante Bulla ſeu Decreto Urbani VIII. in omnibus Provinciis circam eandem præcedentiam ſolitum ſervaretur, nihilque innovaretur, uti vigore ejuſdem ante 25. circiter annos etiam R. P. Bernardinus ab Aretio Prædeceſſor noſter nihil eſſe innovandum judicavit, decrevimus, prout virtute præſentis Decreti decernimus, & declaramus, quod prædictis attentis rationibus nullatenus competat aut competere valeat Laicis Profeſſis hujus Provinciæ prætenſa præcedentia, ſed omnimodo ſervanda ſit conſuetudo juxta formam prædicti S. Congregationis Decreti. Ita dicimus, decernimus & declaramus &c.

Autog. in Arch. Provinciæ.

DECRETO

S. Congregationis Rituum

Titularem Eccleſiæ Fratrum loci Spadæ Beatiſſimam Virginem Mariam, & non Sanctum Waltherum eſſe declaratur.

Eminentiſſimi, ac Rrverendiſſimi Domini

FRater Paulus Leodius, modernus Provincialis Capucinorum Provinciæ Leodienſis, Eminentiis Veſtris humillimè exponit, quatenus Eccleſia Conventus Capucinorum oppidi Spadæ Diœceſis Leodienſis erecta expenſis Domini Waltheri Livello de anno 1645. fuit conſecrata ab Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo Domino Richardo Paulo Stavio, Suffraganeo Eccleſiæ Leodienſis, & in lapide marmoreo poſito ſupra portam hujus Eccleſiæ delineatum reperitur: *Deo Optimo Maximo, Matri Virgini, SS. Walthero, & Franciſco Templum hoc publico commodo, Domum privato Fratrum Capucinorum uſui à fundamento erexit Dominus Waltherus Livello Leodius* 1646. Familia hujus Conventûs S Waltherum in Patronum & Titularem tenuit, de eo in choro fecit commemorationem & illius diem feſtum cum octava celebravit die 5. Junii ſingulis annis.

Cum verò nuper repertum ſit in Archivo Archiepiſcopali, quod ſequitur: *Spadæ die* 2. *Julii* 1645. *fuit conſecrata Eccleſia, & Altare Majus Capucinorum in honorem Beatiſſimæ Virginis Mariæ, Secundum Altare à dextris in honorem S. Waltheri, & Tertium in honorem S. Franciſci.*

Quapropter in dubium venit, an S. Waltherus ſit Titularis ejuſdem Eccleſiæ, cum ejus nomen non reperiatur in Martyrologio Romano, ſed ſolùm de eo mentionem habeat in ſuis operibus Henſchenius & Baronius aſſerentes, S. Waltherum fuiſſe Socium S. Bonifacii, cujus diem feſtum Eccleſia celebrat.

Ideo præfatus Provincialis ſupplex exorat Eminentias Veſtras, quatenus dignentur benignè ſecernere ac judicare, an S. Waltherus ſit verè Titularis Eccleſię Conventûs Capucinorum Oppidi Spadæ? & quatenus Negativè, ſupplicat de die feſto Aſſumptionis Beatiſſimæ Virginis Mariæ pro Titulari & pro gratia &c.

Reſpondetur ad primum, Titularem Eccleſiæ non eſſe S. Waltherum, ſed Beatiſſimam Virginem, & patet ex conſecratione ejuſdem facta ab ipſo Suffraganeo Leodienſi.

Ad ſecundum, ex antecedenti ſequitur feſtum Aſſumptionis Beatæ Virginis eſſe Titulum Eccleſiæ prædictæ.

N. M. Tedeſchi Archiepiſcopus Apamenus Secretarius.

NOTA.

REceſſus FF. Recollectorum dedit nobis Domûs hujus Eccleſiæ poſſeſſum, uti paret ex litteris ſequentibus.

Ferdinandus Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia electus, & confirmatus Archiepiſcopus Colonienſis, S. Rom. Imp. per Italiam Archicancellarius, & Princeps Elector, Epiſcopus Leodienſis &c. &c.

Venerabilibus & Religioſis, Devotis. Nobis Dilectis, Fidelibus Capucinis Oppidi noſtri Malmundarienſis ſalutem in Domino. Cum accepimus Fratrem Reginaldum Maillòt, Ordinis S. Franciſci Recollectum, derelictâ Domo, ac Oratorio & Supellectili, quæ in Pago noſtro de Spa habebat, extra noſtras Provincias abſque reverſionis ſpe receſſiſſe, ne, quæ per Fideles ei in pios uſus donata ſunt, in alios diſtrahi contingat,

ſur-

surrogamus Vos in bonis omnibus mobilibus & immobilibus, per eundem Reginaldum ibi relictis, cum omni jure, ad hoc, ut iis uti & gaudere possitis futuris temporibus, Sacris eorumdem oneribus, si quæ sint, à Vobis supportandis. Mandamus proinde Gubernatori nostro Franchimontano, seu ejus Locum-Tenenti, ac Prætori de Spa, ut Vobis eorumdem bonorum possessionem, sicut dictus Fr. Reginaldus habuit, quamprimùm tradi faciant. Hæc est seria nostra voluntas, manu & Sigillo nostris roborata. Datum in Civitate nostra Bonnæ die 1. Julii 1623.

Autogr. in Arch. Provinciæ.

Ferdinandus &c.

DECRETO.

S. Congreg. Concilii.

Onus Vineæ pro ampliatione Domûs & Horti Huensis emptæ annexum, in Fratres transferri, & perpetuo Missarum oneri celebratione sexcentarum Missarum satisfieri indulgetur.

LEODIEN.

TEmpore, quo Fratres Capucini in Oppidum Huense in Diœcesi Leodiensi appulerunt, pia donatione obtinuerunt ejusdem Vineæ partem, ex qua Conventum, & hortum sibi constituerent; quia tamen, crescente necessario Fratrum numero, Conventum & hortum ampliari opportuit, diversas alias dictæ Vineæ petias contiguas atque adjacentes ab illarum Possessoribus titulo emptionis acquisivêre, ex qua quidem emptione varias obligationes, seu onera quoad census integræ Vineæ infixa contraxerunt.

Inter cæteras obligationes, ea subsidiaria adest duarum *Amarum* cum dimidia vini, quas unus ex Compossessoribus dictæ Vineæ debebat singulis annis præstare Parocho S. Remigii, ejusdem Oppidi, pro fundatione unius Missæ S. Sebastiani feriâ quartâ cujuslibet hebdomadæ ab ipso Parocho canendæ; Quia verò sub finem alterius sæculi Parochus prædictus dictam annuam præstationem consequi non valebat à prædicto Compossessore, utpote, qui partem Vineæ ad se pertinentem incultam reliquerat, judicialiter proinde egit contra Fratres, qui, licèt inviti, invitoq; eorum vocationis spiritu, actionem regressûs contra suos authores, seu venditores, uti Sponsores liberæ possessionis dirigere, & in judicio contendere coacti fuerunt, diversis profectò, tamquam agitatæ difficultatis ignaris, super rei novitate pro magis, minusve sinistro cujusque studio, diversa opinantibus; Quapropter, ne rursus præfatos Fratres in jus vocari, eosque novis contestationibus exponi contingat, modernus S. Remigii Parochus plus æquo aliàs ex dicta fundatione (uti pronum est credere) gravatus, sponte consensum præstitit, ut onus dictæ Missæ ad Altare Fratrum Capucinorum transferatur, addicendo Syndico, aut Sacristiæ annuum redditum dictarum binarum *Amarum* vini cum dimidio, & ita ipse sibi consulat, ac Fratrum commodis, ac tranquillitati prospiciat. Supplicant itaque Fratres prædicti Capucini pro hujusmodi translationis confirmatione.

Vicarius Generalis, ex cujus relatione præmissa, ut supra narrata sunt, habentur, subdit nullum aliud excogitari posse medium, quo Fratres Oratores à prædictis oneribus, suo cum statu vix compatibilibus, absolvantur, & actibus forensibus subducantur; dum insuper, nisi benigna accederet Apostolica confirmatio, eorum hortus, utpote nudo sepimento à residuo Vineæ separatus, variis externorum, præcipuè verò protervæ juventutis cursitationibus, ac prædatoriis lusibus expositus permaneret.

In anteacta Sacra Congregatione rescriptum fuit = Procuratori Generali Ordinis pro informatione, & voto = Is itaque modò exponit, quod, si Sacræ Congregationi dignum & justum videatur, ut Parochialis Ecclesia S. Remigii liberetur ab onere decantandi Missam singulis quartis feriis in dicta Ecclesia, eò, quod stipendium septem scutorum monetæ Romanæ tanto oneri ferendo non sit proportionatum, & PP. Oratores, stante & urgente publica & manifesta necessitate horti eorum Conventûs de licentia, & approbatione S. Sedis, onus prædictum ad suam Ecclesiam assumere, eidemque satisfacere velint, ad liberandum Conventum ab ulterioribus vexationibus, ipse Procurator Generalis nihil habet in contrarium, sed potius addit preces, licet dignius, & Instituto Seraphico convenientius foret, si PP. Capucini Oratores ab onere perpetuo dicendi dictam Missam benignè eximerentur, iisque assignaretur certus Missarum numerus pro unica vice applicandus cum extinctione oneris prædicti, prout S. Sedem in similibus casibus facere consuevisse asserit.

Die 22. Julii elapsi anni S. Congr. nullâ super Oratorum instantia captâ resolutione, rescripsit: Quod exhiberentur Instrumenta assertarum em-

emptionum ab eiſdem Oratoribus factarum, necnon exempla enunciata in relatione Procuratoris Generalis, addito inſuper, quod interim Pater Generalis in viſitatione incumberet obſervantiæ Conſtitutionum Ordinis, præſertim ſuper arctiſſima paupertate. Notificatâ jam hac poſtrema parte reſcripti P. Generali, in iis, quæ attinent ad priorem ejuſdem reſcripti partem, nonnulla in exhibitis foliis allata ſunt exempla; & quoad Inſtrumenta aſſertarum emptionum ſcriptum fuit pro illorum tranſmiſſione Ordinario, qui modò copias eorumdem ante ſæculum & ultra, ut aſſerit, celebratorum unâ cum Singrapha in gratiam Oratorum condita à quondam Joanne Canonico Chriſtiano remittens, hæc, quæ ſequuntur, præter commiſſionem, ſuis literis favore veritatis addenda putavit.

Ex tenore quidem dictarum ſcripturarum conjicere licet, fundum variaſque petias Terræ, ſeu Vineæ Oratorum horto contiguæ, tum ex pia largitione memorati Joannis Chriſtiani, ejus executore teſtamentario, aut forſan hærede neceſſarias veriſimiliter pecunias ſubminiſtrante, tum ex munificentia quondam Comitiſſæ à Groesbek, Oratorum Conventui, acceptante ſcilicet Syndico, nec Fratribus ad actus deſuper geſtos ullibi comparentibus, neque ullatenus concurrentibus, fuiſſe acquiſitas; adeo, quod aliàs culpa, ſiquæ in terceſſerit, in modernos Guardianum, aut Fratres rejici non poſſit, exceptâ tamen acceptatione fundationis Miſſæ nuncupatæ S. Sebaſtiani, de qua in eorum precibus agitur, ex cauſis, genuinè expoſitis, bona fide conſummata; Quod enim ad obſervantiam voti paupertatis attinet, omninò crediderim, Oratoribus, neque aliis in hac ampla Diœceſi viventibus, poſſe quidpiam, quod Ordinis Conſtitutiones, vel leviter quidem offendat, jure improperari. Quæ autem militavêre rationes, ut præmemoratæ Terræ petiæ iis adiicerentur, etiamnum faciunt à fortiori, ut illarum uſus ipſis deinceps relinquatur, vel ideo maximè, quia majori ſanè parte anni, horti ſui fructibus prope ſuſtentantur; quippe Urbs illa Huenſis celeberrima præ multitudine Procerum, Patriæque Nobilium illic tunc habitantium, & quorum elegantiſſima domicilia belli, ac temporum injuriis partim collapſa, partimque flammis deſtructa cernuntur, quaſi deſerta facta eſt, & ad eum acta miſeriæ terminum, ut paucæ admodum ibidem hîc, & nunc numerentur Familiæ, quæ Oratoribus adeſſe queant.

Die 17. *Februarii* 1742. *Sacra Congregatio Concilii, ad quam Sanctiſſimus D. N. ſupplicem hunc libellum remiſit, attentis ſupradictis relationibus Procuratoris Generalis, Ordinis Capucinorum, & Vicarii Generalis Leodienſis cenſuit, ſi Sanctitati Suæ placuerit, eidem Vicario Generali committi poſſe, ut veris exiſtentibus narratis enunciatum Miſſarum onus in Oratores, juxta petita, pro ſuo arbitrio, & conſcientia transferre poſſit, & valeat, & deinde ejuſdem Oratoribus indulgeat, ut præfato perpetuo Miſſarum oneri celebratione Miſſarum ſexcentum, pro una vice tantùm, ſatisfacere poſſint, ac ſatisfactum eſſe declaret; Factaque de præmiſſis per infraſcriptum Secretarium relatione SSmo D. N., Sanctitas Sua benignè annuit, ac S. Congregationis ſententiam approbavit die* 21. *ejuſdem Menſis Februarii* 1742.

C. A. Cavalchini Secret.

Ex Lib. Decretorum præd. S. Congreg. 92.

PRO-

PROVINCIA TYROLENSIS.

INter celebres Germaniæ Ditiones plurimùm clarescit Comitatus Tyrolensis, partem Rhætiæ, & partem Norici complectens, salis, argenti, & auri fodinis, variâque fluminum scaturigine felicem explicans regionem, & à tempore Principibus Austriæ fideli homagio parens. Terrenum ejus decorem ut Ferdinandus Archidux, inductione novi Regularis Instituti variaret, Fratres nostros suasu Serenissimæ suæ Conjugis, Annæ Catharinæ, Guilielmi Mantuæ Ducis Filiæ, & plurimâ erga nos pietate ferventis, in suæ Residentiæ Civitate Oeniponti stabilire decrevit. Rigidior aëris intemperies, quæ, hybernante præsertim tempore, Regionem occupat, plantandæ in ea nostræ Religionis animum in Patribus nostris nonnihil continuit, jussu tamen Clementis Papæ VIII. anno millesimo quingentesimo nonagesimo tertio missi sunt OEnipontum è Provincia Veneta celebris Fr. Joannes à Venetiis, & alii sex Comites, ut Serenissimi Archiducis voluntati morem gererent, & prima Provinciæ fundamenta ponerent. His ipse Archidux primum injecit lapidem, calce hunc firmavit, & aurea numismata, quibus annus fundationis, nomen S.P. Francisci, & Archiducis Effigies impressa videbatur, adjunxit.

Visum in completa Domo Regularis vitæ exemplum, pietatem populi ita incendit, ut hinc inde tum in ipso Tyrolensi Comitatu, tum in contermina Bavaria, tum in Franconia plures Conventus construerentur, unam, eandemque Provinciam diutius constituentes Viris conspicuis florentem. Inter suos, seu ante-seu post divisionem, principem locum ex æquo dat Fr. Hartmanno Brixinensi, qui cum laude in primo Bullarii Tomo compendiatâ, nostro tempore supremum Ordinis clavum tenuit, postquam prius Definitoris Generalis munus obiisset.

Antecessit eum in hoc Fr. Juvenalis Ananiensis, Vir, qui pietatem suam exemplis, & doctrinam libris probavit, ac Provinciam Flandro-Belgicam ceu Commissarius & Visitator Generalis suavi zelo composuit.

Commendat adhuc Provincia Helvetiæ prudentiam Fr. Philippi Enniensis, quâ & ipse Commissarium Generalem in ea egit, ac semen suæ virtutis reliquit, haud aliter, ac fecit Fr. Albertus Rassensis, dum sub eodem Commissario charactere prælibatam Flandro-Belgicam Provinciam visitavit.

Viris officiis Ordinis claris si jungamus exempla honoris, quo Provincia per Alumnos nobiliore prosapiâ inclitos potita est, præire debet Serenissimus Dux Muti-

næ &c. Alphonsus, qui ut habitaret in Domo Dei, ac D. Francisci, unam petiit & hanc requisivit Provinciam, in qua Sceptrum Ducalis potentiæ deposuit, & sub nomine Fr. Joannis Baptistæ, Habitum Seraphicæ Paupertatis induit, quemadmodum hoc opus dexteræ Excelsi Tomus secundus fol. 267. latè recenset.

Ejusdem virtutis consortium meretur, qui ejusdem nominis particeps est, alius Fr. Joannes Baptista, qui, postquam Monasterio Fultenbacensi prope Dilingam in Svevia sub S. Benedicti regula per plures annos Abbas præfuisset, pastorale Pedum cum Mytra rejecit, & inter Nos pariter sacri fastûs vanitatem in virtute multa deploravit.

Habuit uterque boni sui exempli & plures Præcursores & Sectatores, Barones, Comites &c. quorum nomina dum Provincia mihi humilis celat, ego quoque invitus ea prætergredior, renovans unicè memoriam Fr. Ruperti ex Comitibus de Lamberg, cujus merita Aulonensi Pontificatu Ecclesia Romana exaltavit.

Sicut de cætero hæc Provincia, Acatholicâ progenie est cincta, eique commixta, ita & cum fructu à primævo tempore exercuit dilatandæ Religionis zelum, quem Excelsus Princeps, tunc Episcopus Salisburgensis insignem sequenti commendavit epistola:

Marcus Sitticus, Dei gratiâ Episcopus Salisburgensis, Romanæ Apostolicæ Sedis Legatus &c.

Devotis in Christo, & dilectis nostris P. Ambrosio Dinckelspilensi, & P. Jacobo Augustano, Ordinis Minorum S. Francisci Capucinorum Sacerdotibus S. P. D.

Non mediocri, Dilectissimi in Christo, consolatione nostra percepimus, Vos non solùm in Vangenrain, aliisve Præfecturæ nostræ Radstadiensis subjectis locis, verùm etiam in Præpositura nostra Werfensi, videlicet ad S. Vitum, ad S. Joannem, & alibi crebris vestris concionibus, exhortationibus, instructionibus, sincerisque affectibus, & charitate plenis, in populo à rectâ Fide aberrante, ad eam reducto, uberem fecisse fructum. Ex quo sedulitatem vestram insignem, & Catholicæ Religionis zelum, necnon multiplices inde tolleratos labores satis superque perspeximus; unde toti Religioni vestræ quibusvis gratiis, ac favoribus, omni datâ occasione, obstricti sumus. Speramus autem Vos cœptam diligentiam, Operariorum bonorum instar, etiam in aliis vicinis locis diutius prosecuturos esse. Attamen, cum Nos minimè lateat, isthoc hyberno tempore, quo profundis nivibus omnia rigent, & frigent, difficillimum Vobis futurum singulos adire Pagos, eapropter rogamus, & obsecramus, ut in Oppido ad S. Joannem in Pagav de cætero maneatis, ibidem enim Judici nostro de vestra sustentatione jamjam mandatum dedimus. Quâ occasione multa à Vobis bona speramus. Interim tamen, si Vobis visum fuerit, etiam Vangenrainum subinde revisere poteritis, quod ad beneplacitum nostrum factum putetis. De reliquo benevolentiâ nostrâ semper Vobis obligati manemus.

Datæ Salisburgi Anno 1615. die 21. Januarii.

Felicem quoque expertus piissimus Princeps eundem zelum, eundem in aliis quoque locis continuari non jussit, sed rogavit, aliâ & sequenti epistola:

Marcus Sitticus &c.

Capucinis pro tempore in Pagav commorantibus S. P. D.

Gratissimum accepimus nuntium, adjuvante videlicet Omnipotentis gratiâ, necnon constanti vestro studio, atque assiduo labore, salutiferæ Reformationis

nis negotium æquè in Werffen, ac ejus incorporatis locis per Pagav, ita prosperè & feliciter ad metam pervenisse, ut jam nullibi ullus amplius hæreticorum reperiatur. Cùm verò eandem Reformationem in Gastuna quoque adoriri decreverimus, vestram illic operam non minus, quàm alibi necessariam fore duximus. Quare humanissimè ac desideratissimè à Vobis expetimus, ut quantocyus, comite Deo, illuc tendatis, eadem sollicitudine, ac vigilantia ibi, qua in Vangenrain & Pagav, mediantibus concionibus, exhortationibus, & catechizationibus conversionem animarum procuraturi, quatenus à versipellibus lupis seductæ oves per Vos Pastores ad ovile Christi humeris vestris charitativis reportentur. Quod ut tantò faciliùs vobis eveniat, Judici nostro injunximus tam de commoda habitatione, quàm de necessaria sustentatione Vobis providere.

Datum Salisburgi die 24. Martii Anni 1615.

Inde Celsissimus, & Reverendissimus Princeps, & Archiepiscopus Salisburgensis Leopoldus felicis hujus laboris non immemor, dum paucos ante annos protervæ hæreseos zizania tum in dictis, tum in aliis Salisburgensis juris locis repullulârunt, Provinciæ huic triplicem Missionem concredidit, infra recensendam. Prosequitur autem Missionariis Privilegiis munita, hunc zelum, estque labor sacer, quo Tribunal Pœnitentiæ accedentes solvit, per totum districtum continuus, conscenditque annuatim plurima pulpita, inter quæ & illud Ecclesiæ Cathedralis Salisburgi numeratur, tanto applausu, quanto fructu.

Complectitur Conventus Fratrum XXI.
Residentias VIII.
Monasterium Monialium Capucinarum I.

Ecclesiam S. Catharinæ extra Muros Civitatis Brixinensis Fratribus pro construenda ibi Domo regulari concedi, titulumque beneficii, ac ejus proventus ad quoddam Ecclesiæ Cathedralis Altare transferri, Episcopo, & Capitulo ibidem committit.

A tergo: *Venerabili Fratri Episcopo Brixinensi ac Dilectis Filiis Decano & Capitulo Ecclesiæ Brixinen.*

CLEMENS PAPA VIII.

Venerabilis Frater, ac Dilecti Filii salutem & Apostolicam Benedictionem.

CUm, sicut accepimus, Dilecti Filii Provincialis, & Superiores Fratrum Ordinis Capucinorum Sancti Francisci, Fraternitatis Tuæ, ac Dilectorum Filiorum Cleri, ac Nobilium, & Populi istius Civitatis Brixinensis suasionibus unum Conventum ejusdem Ordinis prope eamdem Civitatem erigere deliberaverint; cumque quædam Ecclesia sub invocatione Sanctæ Catharinæ extra muros ejusdem Civitatis sita, & loco â prædictis Provinciali, & Superioribus Capucinorum pro erigendo dicto Conventu electo contigua, ad mensam vestram Capitularem spectans, seu illi unita, valde commoda & apta futura sit Fratribus Capucinis in prædicto Conventu pro tempore mansuris pro divinorum officiorum celebratione. Nos divini cultûs, & ejusdem Ordinis augmento & propagationi, quantùm cum Domino possumus, prospicere cupientes, supplicationibus pro parte tua, ac dictorum Cleri, Nobilium, & Populi, Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Vos paternè in Domino hortamur, ut Ecclesiam præfatam eisdem Fratribus Capucinis libenter concedatis, ac propterea Fraternitati tuæ, Frater Episcope, ut titulum beneficii, ac omnes fructus, redditus & proventus quoscumque dictæ Ecclesiæ Sanctæ Catharinæ, si qui sint, ab illa perpetuò dismembrare, ac illa cum suis oneribus quibuscumque ad Ecclesiam Cathedralem Brixinensem ad aliquod Altare ejusdem Ecclesiæ transferre, & eamdem Ecclesiam S. Catharinæ cum membris & per-

pertinentiis suis universis, præter fructus, redditus & proventus prædictos, Conventui prædicto Fratrum Capucinorum perpetuò concedere, unire & incorporare, auctoritate nostra Apostolica possis & valeas, eadem auctoritate, tenore præsentium facultatem concedimus & impertimur; ac eisdem Provinciali & Superioribus, ac Fratribus Ordinis Capucinorum, ut Ecclesiam prædictam recipere, & apud illam Conventum sui Ordinis erigere, utque, postquam Conventus hujusmodi erectus fuerit, Guardianus, & Fratres ibidem pro tempore degentes, omnibus & singulis gratiis, privilegiis, indultis, & indulgentiis, quibus alii Couventus, & Fratres ejusdem Ordinis frui, potiri & gaudere solent, & possunt, ac poterunt quomodolibet in futurum, sine aliqua differentia uti, frui, potiri, & gaudere possint & valeant, licentiam concedimus & indulgemus. Non obstantibus fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris nostri, qua voluit, ne Fratres Mendicantes nova loca ad inhabitandum recipere valeant, ac nostrâ de non concedendis Indulgentiis adinstar, aliisque Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, ac ejusdem Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 11. Aprilis MDCII. Anno Pontificatus nostri undecimo.

M. Vestrius Barbianus.

Autographum in Archivo Secretariæ Brevium Apostolicorum Regesto mensis & anni prædictorum fol. 45.

Maximiliano, Archi-Duci Austriæ, F. Damianum ad se ablegatum, benignè exceptum, & quoad Confessiones Sæcularium â Fratribus in loco Merani excipiendas, opportunè provisum esse renuntiat.

A tergo: *Dilecto Filio, Nobili Viro, Maximiliano, Archiduci Austriæ.*

PAULUS PAPA V.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Pium desiderium Nobilitatis tuæ intelleximus de facultate audiendi Sacras confessiones concedenda Dilectis Filiis, Fratribus Ordinis Capucinorum, quos missurus est inposterum ad novum Monasterium Meranense Dilectus Filius eorum Generalis Minister, laudamus, Fili, summopere zelum tuæ pietatis, satis quidem Nobis antea cognitum; dignum certè virtute tua, atque ingenita Principum Austriacorum Religione. Verùm, quia, ut idem Minister Generalis Nobis exposuit, difficile est modò satisfacere huic tuo desiderio, visum est opportunum, ut duobus tantummodo Fratribus Sacerdotibus illius Monasterii hæc facultas audiendi sacras confessiones ad præsens concedatur. Omnipotens ac misericors Deus multiplicet in Te quotidie suam sanctam gratiam, & Nos Nobilitati tuæ peramanter benedicimus.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris sexto nonas Martii MDCXIII. Pontificatus Nostri Anno octavo.

Petrus Stroza.

Ex Regesto Brevium ad Principes *Pauli Papæ V. anni* 8. *ep.* 284.

Caroli, Archiducis Austriæ, & Marchionis Burgaviæ zelum Catholicæ Religionis in suis ditionibus instaurandæ commendat, & pietatis officia, per Fr. Damianum ad se ablegatum præstita, sibi accepta fuisse rescribit.

A tergo: *Dilecto Filio, Nobili Viro, Carolo, Marchioni Burgaviæ.*

PAULUS PAPA V.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Legimus cum jucunditate litteras, quas à Nobilitate tua Nobis reddidit Dilectus Filius, Religiosus vir, Damianus, Frater Ordinis Capucinorum, Provinciæ Tyrolensis Alumnus, quem libenter vidimus, tuâ potissimùm causâ, atque commendatione. Sanè perjucunda nobis fuerunt, quæ de singulari tuo Zelo Nobis renunciavit, digna certè Viro Principe, & ex ea progenie, qua ortus es. Acceptissima itaque fuerunt Nobis officia filialis pietatis, & observantiæ, quæ per ipsum Damianum Nobis præstitisti; sicut ex altera parte, summa cum animi alacritate Nobilitati tuæ deferimus paternum nostrum amorem, prompti ac parati dare Tibi evidentiora semper signa nostræ erga Te singulatis dile-

dilectionis. Interim cum omni charitatis affectu Apostolicam Tibi nostram benedictionem impartimur. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub annulo Piscatoris Kal. Junii MDCXIII. Pontificatus Nostri Anno IX.

Petrus Stroza.

Autograph. in Archivo secreto Vaticano, Regesto Brevium ad Principes *Mens. & Anni præd. fol.* 95,

---

Eidem Carolo Marchioni, ne Fr. Augustinus ab eo revocetur, cautum esse significat.

A tergo: *Dilecto Filio, Nobili Viro, Carolo, Archiduci Austriæ, Marchioni Burgaviæ.*

PAULUS PAPA V.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

MAgno Nos affecerunt solatio litteræ Nobilitatis tuæ, quibus instaurandæ Catholicæ Religionis zelo in istis tuis ditionibus à Nobis efficaciter postulasti, Tibi concederetur, ne Dilectus Filius pius, ac Religiosus vir, Augustinus, Frater Ordinis Capucinorum Sancti Francisci, Prædicator Verbi Dei, istinc removeatur. Mirificè sanè consolatus es Nos significatione utilitatis sacrarum Concionum illius, ideo, ut rem Nobilitati tuæ gratam faceremus, &, ut augeatur fructus laborum Religiosi hujus laudabilis Viri, mandatum est à Generali Ordinis Capucinorum Procuratore Dilecto Filio Provinciali Tyrolis, & Bavariæ, ejusdem Ordinis, ne revocet à Te, aliovè transmittat eundem Fratrem Augustinum: attamen, si quid secus evenerit, idque Nobis renunciaveris, opportunè providebitur, ut justo, ac laudabili desiderio tuo plenè satisfiat. Augeat Dominus in Te dona suæ sanctæ gratiæ, & Nos Nobilitati tuæ peramanter benedicimus. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris quinto Idus Julii MDCXV. Pontificatus nostri Anno undecimo.

Petrus Stroza.

Autograph. in Archivo secreto Vaticano, Regesto Brevium ad Principes *Mens. & Anni præd. fol.* 17.

DECRETO.

Sac. Congreg. Episc. & Regul.

A Fabrica novarum Domuum, seu Hospitiorum in locis Fiemi, & Enniæ intenta, PP. Reformati, instantibus Fratribus nostris Enniæ, & Brixiæ desistere, & à locis discedere jubentur.

Eminentissimi, ac Reverendissimi Domini.

PAtres Observantes Reformati Provinciæ S. Virgilii, ad ampliandos Provinciæ limites, quatuor Monasteria insimul in Valle Tridentina erigere intendunt, quorum duo, videlicet Fiemi unum, & alterum in loco Astorres nuncupato, summopere regulari Observantiæ Capucinorum Enniæ, & Astorre præjudicant, cum divisâ semel quæstuatione, pro necessario suo manutenimento, ad remedia in eorum Religione insolita recurrere, & in specie, loco vitæ solitariæ, & devotionis in choro peragendæ pro quærendo frusto panis hinc inde vagari cogerentur; hinc Provincialis Provinciæ Tyrolensis, in cujus Provincia Monasterium Enniæ situm est, & Provincialis Provinciæ Brixiensis, in cujus Provincia reperitur Astorre, ex puro, & mero regularis disciplinæ zelo, pro cujus conservatione in hujusmodi materia Summi Pontifices varias condiderunt Bullas, EE.VV. humillimè supplicant, quatenus PP. Reformatis Crucem plantare, aut alium quemcunque actum circa prædictas duas fabricas Fiemi, & Astorre intraprendere inhibeatur, & casu, quo quid jam fuisset præsumptum, ulterius pergere non audeant. Pro quo ideo supplicant, cum inaudiverint, quod in loco Fiemi, etiam contra Capituli Tridentini prohibitionem Crucem erigere tentaverint, nec pro hujusmodi inhibitione in præjudicium rationum PP. Reformatorum supplicatur, sed ex fine duntaxat, ut EE.VV. de pauperrimo & ad manutenenda tot Mendicantium Monasteria incapacis Vallis statu informari dignentur. Quam gratiam &c.

NO-

NOTA.

AD quod Sacra Congregatio prætenſas Fundationes inhiberi, Vicario Generali Tridenti commiſit Epiſtola ſequente.

A tergo : *Admodum Reverendo Domino Vicario Tridenti.*

Admodum Reverende Domine. Adjunctum ſupplicem Libellum Sacræ huic Congregationi nomine Provincialis Capucinorum Tyrolis, & Brixiæ nuper exhibitum, ad Dom. Tuam tranſmitti Emin. Patres ideo præceperunt, quatenus circa prætenſas Fundationes Conventuum Fratrum Reformatorum S. Franciſci non permittat aliquid innovari, niſi ſervatis ſervandis ad præſcriptum Conſtitutionum Apoſtolicarum. Hæc pro injuncto ſibi munere enixè præſtet, & Deus &c. Romæ 15. Sept. 1662.

Martius Card. Ginettus.

Ex Reg. ſecret. Congreg. menſ. & anni præd.

Cum tamen, Epiſtolâ hac non obſtante, fabricas ſub prætextu, quod non Monaſteria, ſed Hoſpitia erigerentur, proſequerentur, ſumpto ad Summum Pontificem recurſu, P. Provincialis Tyrolenſis pro nova inhibitione ſupplicavit, per ſequentem Libellum ſupplicem.

Beatiſſime Pater.

Patribus Minoribus Obſervantibus Reformatis Româ, per litteras Vicario Tridenti inſcriptas, in loco Fiemi Diœc. Trident. ædificare, ſeu inceptam jam fabricam proſequi, tum ob præjudicium aliis Regularibus inde accreſcens, tam ob non ſervatas Bullarum Pontificiarum conditiones fuit inhibitum, hoc tamen non obſtante fabricam proſequuntur, allegantes, quod non Monaſterium, ſed Hoſpitium foret. Hoc autem merus eſt prætextus, cum fabrica iiſdem ſolemnitatibus, quibus ædificia Monaſteriorum incboantur, fuerit incepta. Inſuper fabricâ ſemel terminatâ, vel inibi 12. Religioſi degent? & ita erit Monaſterium ipſis interdictum; vel minor erit 12. Fratrum numerus? & ſic erit Hoſpitium, ſeu Conventinus, quem quoque fabricare nequeunt, cum ibi numerus à Bullis Pontificiis præſcriptus ſubſiſtere haud poſſit.

Inde, cum fabrica hujuſmodi ob ſummam Vallis paupertatem in notabile Monaſterii Enniæ præjudicium tendat, Sanct. Veſtræ Provincialis Tyrolenſis ſupplicat, vel ut eam inhibeat, vel, ut eam Illuſtriſſimi Fagnani de Statu Regularium optimè informati conſilio remittat, quatenus ob paupertatem illorum locorum, tot Mendicantes nutrire non potentium, Religioſi pro inquirendo panis fruſto tota die, dum orationi chori incumbere deberent, vagari non cogantur. Pro qua &c.

Remiſſo ad Sac. Congreg. Epiſcop. & Regul. Libello ſupplici, ſub 15. Decemb. 1662. ab hac fuit ordinatum, ut denuo Vicario Generali Tridenti ſcriberetur, quatenus ſub pœnis &c. prohibeat proſecutionem fabricæ: Epiſtola autem ab Auditore Eminentiſs. ac Reverendiſs. Card. Farneſii, noſtri Ordinis Protectoris, ad inſtantias D. Baronis Fiemi, volentis, ut rationes Partis primò audirentur, fuit ſuſpenſa.

Periculum in mora interpoſita advertens P. Procur. Generalis inſtitit Sac. Congregationi noviter pro impeditione fabricæ controverſæ, & EE. Patres per replicatas litteras, à Vicario Tridentino de expoſita loci paupertate, & Bullarum Pontificiarum executione informari petierunt, fuitque litterarum tenor, ut ſequitur.

A tergo: *Admodum Reverendo D. Vicario Tridenti.*

Admodum Reverende Domine. Cum P. Procurator Generalis Capucinorum expoſuerit, quod FF. Minores Obſervantes novum Conventum Fiemi illius Diœc. in grave aliorum Mendicantium præjudicium, & in ſpecie Capucinorum ob magnam illorum locorum paupertatem, quæ ibi vigere aſſeritur, defacto fabricare prætendant, & pro opportuna proviſione ſupplicaverit, EE. Patres Dom. Tuæ ſcribi juſſerunt, quatenus diſtinctè de ſubſiſtentia expoſitorum, & ſpeciatim, cum qua licentia dicti PP. Reformati novum Conventum erigere cupiant? &, an circa hoc Bullæ Pontificiæ obſerventur, informet, & adjungat, an prætenſa locorum paupertas ſit vera & realis, & an præjudicium ſuppoſitum aliis emergat, referatque alia omnia, quæ ſignificanda occurrent. Deus &c. Romæ 1. Mart. 1663.

Martius Card. Ginettus.

Ponderatâ à Sac. Congregatione relatione, à Vicario Generali Tridentini tranſmiſſa, fuit ei injuncta executio ſequentis Epiſtolæ.

A tergo: *A. Reverendo Domino Vicario Capitulari Tridentino.*

A. Reverende Domine. Auditâ relatione &c Super prætenſa erectione Conventûs FF. Minor. ſtrictioris Obſervantiæ S. Franciſci in Valle, ſeu loco Fiemi, iſtius Diœc. repugnantibus Fratribus Capucinis, & viſis etiam litteris Dom. Tuæ, Emin. Patres duxerunt ad eam reſcribi, ut inhibeat eiſdem Fratribus præfatam Conventûs erectionem, ſeu proſecutionem intra Territorium dicti loci, abſque

expreſſa

expressa Sac. Congregationis licentia, & contra præscriptum in Constitutionibus Apostolicis. Ita pro injuncto sibi munere exequetur, & vivat incolumis. Romæ 20. Julii 1663.

Martius Card. Ginettus.

Ex registr. Secret. Congreg. mens. & anni præd. fol. 99.

Desistebant quidem ad hæc PP. Reformati à fabrica, cum tamen moras Fiemi trahere pergerent, illorum ab illic discessus D. Vicario Capitulari Tridentino præscriptus est litteris sequentibus.

A tergo: *Admodum Reverendo D. Vicario Capitulari Tridentino.*

Admodum Reverende Domine. Aliàs datæ sunt litteræ ad Dom. Tuam, ut inhiberet FF. Minoribus Reformatis de Observantia fundare Conventum, & Hospitia in locis Astoris & Fiemi ob præjudicium aliorum Regularium, & signanter Capucinorum ratione elemosynarum: nunc autem exposito, quod dicti FF. Reformati, licèt ab hujusmodi fundatione destiterint, nihilominus in dictis locis in privata domo adhuc commorentur, EE. Patres ad Dom. Tuam denuo scribi mandârunt, quatenus ipsos Fratres discedere cogat, ita, ut non habeant ibi domum, aut habitationem permanentem. Ita pro injuncto &c. Romæ 19. Septembr. 1664.

Martius Card. Ginettus.

Litterarum harum effectum PP. Reformati novo effugio, videlicet appellatione ad Sanctissimum, quam minabantur, suspendebant: hâc autem diutius in Romana Curia non introductâ, P. Proc. Generalis replicatas ad D Vicarium Capitularem Tridenti litteras obtinuit, & earum executionem Monitorio, ab Illustrissimo Domino Auditore Cameræ, Paulutio Paulutio Albertonio, ad instantias Fratrum nostrorum Enniæ sub 18. Junii 1665. relaxato sollicitavit. Effecit hoc, ut appellatio ad Sanctissimum compareret; cumque ad Sac. Congregationem fuerit remissa, causa noviter cum rationibus ab utraque parte adductis fuit discussa, & decisa, ut sequitur.

In causa vertente inter Fratres Minores de Observantia Reformatos ex una, & Fratres Minores Capucinos ex altera Partibus, prætendentibus dictis Reformatis erigere Conventus in Vallibus Astoris, & Fiemmi, non obstante Capucinorum contradictione, Sacra Congregatio Emin. S. R. E. Cardinalium negot. & consult. Episcop. & Regul. præposita, viso Processu, & actibus transmissis à Vicario Capitulari Tridentino, reque Partibus auditis, maturè examinatâ, censuit & declaravit, non expedire novorum Conventuum FF. Reformatorum hujusmodi in dictis locis fundationem, & erectionem, etiamsi iidem Capucini consensum præstiterint, in contrarium deductis non obstantibus quibuscunque. Romæ 18. Decembr. 1665.

Martius Card. Ginettus.

Autogr. in Secret. Sac. Congreg. præd. de quibus exempl. authent. in Archiv. Generali Ord. Armario Provincia Tyrolensis.

Provinciam in duas, Tyrolensem & Bavaricam dividi, P. Ministro Generali committit.

A tergo: *Dilecto Filio, Ministro Generali, Ordinis S. Francisci Capucinorum nuncupatorum.*

CLEMENS PAPA IX.

Dilecte Fili salutem, & Apostolicam Benedictionem.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti Filii, Fratres Provinciæ Tyrolensis, tui Ordinis Minorum Sancti Francisci Capucinorum nuncupatorum, quod in Capitulo Generali dicti Ordinis, novissimè in hac Alma Urbe celebrato, Deffinitio Generalis bene perspectam habens Provinciæ prædictæ nimiam vastitatem, ob quam uni soli Ministro Provinciali penitus est impossibilis visitatio consueta, vigore Regulæ, & Constitutionum generalium omnino requisita ad conservandam disciplinam regularem, aliisque causis gravissimis consideratis censuit, eidem Provinciæ subveniendum esse per convenientem divisionem, de hujus Sanctæ Sedis Apostolicæ licentia faciendam; Quare ipsi Exponentes Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportunè providere, &, ut infra, indulgere de Benignitate Apostolica dignaremur: Nos igitur dictos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris,

suris, & poenis à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ac de tua fide, prudentia, charitate, vigilantia, pietate, integritate, ac Religionis zelo plurimùm in Domino confisi, Tibi, ut in actu visitationis memoratæ Provinciæ à Te, benedicente Domino, faciendæ, eandem Provinciam in duas, unam quidem Tyrolis, & Bavariæ, alteram verò Suevorum & Franconiæ respectivè nuncupandas, auctoritate Nostra Apostolica dividere, ac utrique Provinciæ hujusmodi Conventus, Domos, ac Hospitia Provinciæ sic dividendæ respectivè assignare, cæteraque in præmissis, & circa ea quomodolibet necessaria, & opportuna facere, & exequi, liberè, ac licitè possis, & valeas, facultatem & licentiam authoritate prædicta, tenore præsentium tribuimus, & impertimur; eâ tamen lege, ut per hujusmodi divisionem, suffragia in Capitulis Generalibus Ordinis præfati augeri non possint, sed cujusque Provinciæ sic divisæ Ministri Provinciales unà cum Custode alternatim eligendo, in dicto Capitulo intervenire debeant; ita, ut tria tantùm vota, nempe duorum Ministrorum Provincialium, & unius Custodis, constituant; utque in prædictis Provinciis divisis novi Conventus erigi in posterum nullatenus possint, sine expressa licentia dictæ sedis, per litteras in simili forma Brevis expedienda, quæ deroget hujusmodi prohibitioni; non obstantibus Felic. Record. Urbani Papæ VIII. prædecessoris Nostri litteris die 18. Junii 1643. emanatis, per quas, inter alia, Provinciarum dicti Ordinis divisio prohibita reperitur, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non Ordinis, ac Provinciæ hujusmodi, etiam juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè & sufficienter expressis & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice duntaxat, specialiter & expresse derogamus, cœterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die VII. Septembris MDCLXVII. Pontificatus Nostri anno primo.

Joan. Gualterius Slusius.

Breve servatum in Archivo Provinciæ.

P. Ministro Generali impedito, executionem prædicti Brevis Fr. Hyacintho à Casali committit.

A tergo: *Dilecto Filio, Hyacintho à Casali, Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupatorum Professori.*

CLEMENS PAPA IX.

Dilecte Fili salutem, & Apostolicam benedictionem.

Aliàs pro parte dilectorum Filiorum Fratrum Provinciæ Tyrolensis, Ordinis Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupatorum, Nobis exposito, quod in Capitulo Generali dicti Ordinis novissimè in hac alma Urbe celebrato, Definitio Generalis bene perspectam habens Provinciæ prædictæ nimiam vastitatem, ob quam uni soli Ministro Provinciali penitùs est impossibilis visitatio consueta, vigore Regulæ, & Constitutionum Generalium omnino requisita ad conservandam disciplinam regularem, aliisque gravissimis causis consideratis censuerat, eidem Provinciæ subveniendum esse per convenientem divisionem, de hujus Sanctæ Sedis Apostolicæ licentia faciendam. Nos supplicationibus, dictorum Exponentium nomine, Nobis super hoc humiliter porrectis ininclinati, dilecto Filio, Ministro Generali, Ordinis prædicti, ut in actu visitationis memoratæ Provinciæ ab eo faciendæ, eandem Provinciam in duas, unam quidem Tyrolis, & Bavariæ, alteram verò Sveviæ, & Franconiæ respectivè nuncupandas, authoritate nostra Apostolica dividere, ac utrique Provinciæ hujusmodi Conventus, Domos, & Hospitia Provinciæ sic dividendæ respectivè assignare, cæteraque in præmissis, & circa ea quomodolibet necessaria, & opportuua facere, & exequi liberè, & licitè posset, & valeret, facultatem, & licentiam eadem authoritate tribuimus, & impartiti sumus; eâ tamen lege, ut per hujusmodi divisionem, suffragia in Capitulis Generalibus Ordinis prædicti augeri non possent, sed cujusque Provinciæ sic divisæ Ministri Provinciales, unà cum Custode alternatim eligendo, in dicto Capitulo intervenire deberent; ita, ut tria tantùm vota, nempe duorum Ministrorum Provincialium, & unius Custodis constituerent; Utque in prædictis Provinciis divisis novi Conventus erigi in posterum nullatenus possent, sine expressa licentia dictæ Sedis, per litteras in simili forma Brevis expedienda, quæ derogaret huic prohibitioni, &

alias,

aliàs, prout in nostris desuper, etiam in forma Brevis, die 7. Septembris proximè præteriti expeditis litteris, quarum tenorem præsentibus pro plenè, & sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, ulteriùs continetur. Cum autem, sicut Fratres prædicti Nobis denuo nuper exponi fecerunt, memoratus Minister Generalis peragendis necessariis visitationibus in partibus Italiæ, ad longum tempus se protrahentibus, legitimè sit impeditus, interea verò periculum sit, ne incommoda, quibus Provincia supradicta propter nimiam ejus vastitatem premitur, magis ingravescant, Nobis propterea iidem Exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur, Nos igitur ipsos Fratres exponentes, specialis favore gratiæ prosequi volentes, & horum singulares Personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti aliisque Ecclesiasticis, sententiis, censuris, & poenis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium tantum consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ac de tua fide, prudentia, rerum Ordinis usu, integritate, & Religionis Zelo plurimùm in Domino confisi, Te supradictæ Provinciæ Tyrolensis Commissarium, & Visitatorem authoritate Apostolica, tenore præsentium constituimus, & deputamus, Tibique committimus, & mandamus, ut peractâ Provinciæ hujusmodi visitatione, incommodis ex nimia illius vastitate provenientibus, secundùm datam Tibi à Domino prudentiam, consulere satagas, &, quatenus opus sit, ad divisionem ejusdem Provinciæ modo, & forma præmissis, ac salva remanente in reliquis omnibus, & singulis, supradictarum nostrarum litterarum dispositione, procedas. Nos enim quamcunque necessariam, & opportunam ad id facultatem Tibi harum serie eadem auctoritate tribuimus, & impartimur, non obstantibus præmissis, ac omnibus, & singulis illis, quæ in eisdem litteris concessimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die XXV. Maii MDCLVIII. Pontificatus Nostri Anno primo.

Joan. Gualterius Slusius.

Breve formatum in Archivo Provinciæ.

NOTA.

Opus absolvit Fr. Hyacinthus Commissarius Apostolicus, sequenti Instrumento.

Ad laudem Sanctissimæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus Sancti, Gloriosissimæ, semperque Virginis Mariæ, ac Seraphici Patris Nostri Sancti Francisci. Amen.

Quoniam Supremi Numinis Divinâ favente gratiâ, & Seraphici Patris Nostri Francisci protegente Spiritu, in Religione Fratrum Capucinorum, ita viget regularis observantia, vitæ austeritas, & morum disciplina, ut eorum conversatio, non modicam redoleat virtutum fragrantiam, quâ Populorum pietas excitatur, maximè in illis Regionibus, in quibus frumentum Catholicæ Fidei & veritatis, zizaniis hæresum ab inimico homine superseminatur, ita ut omnes desiderent Capucinos, fere omnes apud se eos habere contendant; imò etiam pluries Principes ipsi ad ædificanda Monasteria leniter eos compellant, existimantes, Capucinorum Monasteria, Dei castra futura, ad oppugnandam Hæreticorum impietatem validissima. Hinc factum est, quod Tyrolensis Provincia, omnium virtutum numero, non secunda, varias Regiones & has amplissimas ac asperrimas amplexata, brevi annorum curriculo, ad talem numerum Monasteriorum excreverit, ut visitatio Provincialis Ministri à Regula Seraphici Patris, & Constitutionibus Generalibus Capucinorum præscripta, non sine ejusdem Provinciæ præjudicio, vel retardetur, vel penitus ex parte impediatur.

Eapropter primarii illius Provinciæ Patres difficultatem Visitationis, & Religionis præjudicium experti, pluries & præsertim Generalium Comitiorum occasione, petierunt Divisionem ejusdem Provinciæ, in duas, demumque facultatem dividendi, ab ipsa Sede Apostolica, suppliciter implorârunt. Quorum votis ac supplicationibus benignissimè annuens Sanctissimus Dominus Noster Clemens Papa IX. primo sui Pontificatus Anno, expetitam divisionem, per Generalem Ministrum ejusdem Ordinis faciendam, per suas tandem litteras concessit, in forma Brevis, tenoris sequentis.

CLEMENS PAPA IX.

Dilecte &c. Exponi Nobis. *Residuum ut supra fol.* 129.

Verùm, cum præfatus Minister Generalis, suo muneri sedulò satisfaciens, in Visitatione aliarum Provinciarum Italiæ detineretur, ne Divisio tanto tempore desiderata, non sine gravi detrimento Provinciæ, diutius protraheretur, ab eisdem Patribus supplicatione Divisionis repetitâ, alias litteras itidem in forma Brevis, ab eodem summo Pontifice obtinuerunt, quibus eademmet Divisio per Visitatorem Apostolicum facienda indulgetur, prout ex earum tenore sequenti clarè patet.

CLEMENS PAPA IX.

Dilecte &c. Aliàs pro parte Dilectorum Filiorum &c. *Residuum ut suprà fol.*130.

Nos igitur Fr. Hyacinthus à Casali, Concionator Capucinus, ac in Venetâ Provinciâ Diffinitor, nec non Commissarius & Visitator Apostolicus, litteris superius exaratis, eâ, quâ potuimus, animi demissione ac reverentia susceptis, Munus Nobis injunctum, licèt viribus nostris impar, attamen solo Dei *auxilio, sanctæque obedientiæ merito freti, prompto animo executuri, majori, quâ potuimus, celeritate & sollicitudine, Nos in hanc Tyrolensem Provinciam intulimus; & statim ac Bulsanum profecti, quò Reverendos Patres, Provincialem ac Diffinitores, nec non & alios dictæ Provinciæ Seniores, ac probatiores convocaveramus, iisdemque congregatis, prædictarum litterarum, sive Brevium tenorem notificavimus, Adventûsque nostri finem & intentum patefecimus, Sigillaque Provinciæ suscepimus; exinde cum iisdem Patribus, divisione conclusâ, & modo Divisionis, licèt non in omnibus, concertato, suspensis quibusdam difficultatibus in Capitulo Provinciali discutiendis ac resolvendis, litterisque Citatoriis, pro Discretis eligendis, ad singulos locorum Guardianos Provinciæ transmissis, præfatæ Provinciæ visitationem, virtute eorundem Brevium, Nobis demandatam aggressi sumus: Quâ, magnâ ex parte peractâ, prout brevitas temporis permisit, singulisque Fratribus, vel oretenus, vel per litteras auditis, perpensâque Provinciæ longitudine, latitudine, amplitudine, ac viarum asperitate, aliisque circumstantiis, ac rationibus attentè consideratis, evidenter comperimus, imò Ipsimet experti sumus, verum esse, quod pro obtinendâ divisione, apud Sanctam Sedem expositum fuit, nimirùm, dictam Provinciam, ob ejus nimiam vastitatem, non posse, ab unico Provinciali, commodè atque utiliter visitari, & consequenter ipsam fore, & esse, juxta sententiam fere omnium Fratrum dividendam, non modo posito in Brevibus Pontificiis, sed modo, quo potuit, ob rationes urgentes Nobis occurrentes, ut juxta Constitutiones, Patres Provinciales, saltem bis in anno visitent suas Provincias. Ideo post sedulam ac maturam discussionem ac deliberationem, habito etiam consilio & assensu omnium præcipuorum Patrum præsentis Capituli Vocalium, attentâ semper memoratæ Provinciæ amplitudine & asperitate, aliisque causis & rationibus libratis atque discussis, denique consideratis omnibus considerandis, Auctoritate Apostolicâ, in hac parte, Nobis concessâ, eam de facto Tyrolensem Provinciam, in duas dividimus, & in perpetuum divisam esse declaramus & decernimus, ita ut altera sub antiquo Tyrolis nomine, & Sigillo Sanctissimi Sacramenti titulo decorata, retineat septendecim Monasteria, videlicet.*

Tyrolensis Provinciæ Monasteria.

1. *Oenipontum.*
2. *Salisburgum.*
3. *Augusta.*
4. *Bulsanum.*
5. *Brixina.*
6. *Meranum.*
7. *Ginzburgum.*
8. *Ennia.*
9. *Bruneggium.*
10. *Sterzinga.*
11. *Radstadium.*
12. *Eppanum.*
13. *Mildorfium.*
14. *Schlanderna.*
15. *Lauffa.*
16. *Lana.*
17. *Weissenhornium.*

Quæ intra limites respectivè Comitatûs Tyrolis partis Sveviæ, Archiepiscopatûs Salisburgensis, & Episcopatûs Brixinensis continentur.

Altera verò, quam sub nomine Bavariæ, ac sub titulo & Sigillo Beatissimæ Virginis Oetinganæ, novam Provinciam eligimus ac instituimus, quæ intra limites respectivè Ducatûs Bavariæ, & Principum circuli Franconici, Partis Sveviæ, & Palatinatûs superioris continetur, habens Conventus ab aliis jam distinctos & separatos; necnon Hospitia, ac Missionum loca, quæ in Bavaria, & Palatinatu, Svevia, & Franconia reperiuntur, videlicet.

Bavaricæ Provinciæ Monasteria.

1. *Monachium.*
2. *Rosenhemium.*
3. *Landishuta.*
4. *Ratisbona.*
5. *Straubinga.*
6. *Herbipolis.*
7. *Brunovium.*
8. *Dinckelspila.*
9. *Eustadium.*
10. *Wasserburgum.*
11. *Mergethemium.*
12. *Deggendorfium.*
13. *Schardinga.*
14. *Danuberta.*
15. *Kizinga.*
16. *Bamberga.*
17. *Rieda.*
18. *Vilzhovium.*
19. *Gamundia.*
20. *Burghusium.*

21. *Ni-*

21.	*Nicrosulma.*	1.	*Neoforum, Missio.*
22.	*Regiscuria.*	2.	*Weida, Missio.*
23.	*Oxovium.*	3.	*Vochstrusium, Missio.*
24.	*Carolstadium.*	4.	*Bergsteinium.*
25.	*Wembdinga.*		*Missio.*

Et utraque sic divisa ac separata, statutis vicibus atque temporibus sua celebrabit Comitia, quatuor Diffinitores, & Provincialem Ministrum eliget, Guardianos instituet, Familiasque de more disponet, & omnia ea tandem præstare poterit, quæ aliis Provinciis nostræ Religionis de jure competunt; His exceptis, quæ in Brevi supra dicto Pontificio excipiuntur, videlicet, ne deinceps erigantur Monasteria, absque S. Sedis Apostolicæ licentiâ, per litteras in forma Brevis concedenda; Neve multiplicentur Vota pro Capitulo Generali.

Quapropter declaramus, quod pro proximo futuro Capitulo Generali, sola Tyrolensis Provincia eligat unicum Custodem: Et pro altero sequenti, altera Provincia Bavariæ eligat pariter unicum Custodem; Et sic deinceps alternatim unicum Custodem, utraque Provincia eligat; adeò ut ex ambabus Provinciis, tria tantummodò Suffragia eant ad Generalia Comitia, videlicet, Duo Provinciales, & unus Custos alternatim electus.

Insuper præcipimus in virtute S. Obedientiæ omnibus, & singulis Fratribus utriusque Provinciæ, ut statim ac Familiarum dispositio, sive Institutio sibi innotuerit, se recipiant in illam Provinciam, de qua sunt oriundi, seu Nativi; Sive cui à Reverendis Patribus sunt adnexi, eique maneant in perpetuum aggregati; neque illam ullatenus mutare possint, sine licentiâ Admodum R. P. Generalis, pro tempore existentis. Præcipientes etiam, ne occasione Comitiorum, sive Congregationum Provincialium, Fratres, qui mutantur, vel pergunt de loco in locum suæ Provinciæ, pertranseant per loca alterius Provinciæ, nisi juxta ordinationem Patrum utriusque Provinciæ: Exceptis tamen Reverendis Patribus Provincialibus, pro tempore existentibus, qui occasione Visitationis, pro tunc, liberè vel ad libitum transire per loca alterius Provinciæ poterunt. Sic dicimus, decernimus, declaramus, & sententiamus, non solùm hoc, sed omni alio meliori modo, & formâ.

Itidem Nos Fr. Hyacinthus à Casali, Commissarius, & Visitator Apostolicus, de consilio Reverendorum Patrum utriusque Provinciæ, dicimus, & decernimus circa limites utriusque Provinciæ, respectu unius ad alteram; nec non unius Conventûs, respectu aliorum, nihil esse innovandum, seu immutandum; ita ut omnia Monasteria sua Jura conservent, tam quoad Confinia & Quæsturam, quàm quoad Conciones: Nec ulterius se extendant, quàm ad ea loca, ad quæ ex antiqua possessione se extendere possunt, ut pax & concordia inter duas Provincias, in perpetuum conservetur: Quin etiam charitas & amor; Quapropter suffragentur animabus Defunctorum Fratrum in perpetuum, tam unius, quàm alterius Provinciæ ab alterâ divisæ, tam quoad Missas, quàm quoad Officia Defunctorum, ut moris est apud Clericos, & Laicos. Et ita hæ duæ Provinciæ, licet Regionibus ac Monasteriis divisæ, tamen unitæ spiritu ac charitate, & in vitâ, & post mortem, se invicem subsidiis & suffragiis adjuvabunt, prout necessitas, sive charitas postulaverit.

Fr. Hyacinthus à Casali Commissarius, & Visitator Apostolicus.

Ego Fr. Massæus Ananiensis, Provinciæ Tyrolensis Minister Provincialis approbo.
Ita ego Fr. Hugolinus Fridbergensis. Diffinitor.
Ita ego Fr. Barnabas Danuverdanus. Diffinitor.
Ita ego Fr. Maurus Sterzinganus. Diffinitor.
Ita ego Fr. Conradus Salisburgensis. Diffinitor.

Ego Fr. Henricus Weilhaimensis. Provinciæ Bavaricæ Minister Provincialis approbo.
Ita ego Fr. Jodocus Landishutanus Diffinitor.
Ita ego Fr. Anacletus Hagensis. Diffinitor.
Ita ego Fr. Justus Scheslicio - Bambergensis. Diffinitor.
Ita ego Fr. Crescentius Landishutanus. Diffinitor.

DECRETO

S. Congreg. Episc. & Regul.

Novam Fratrum Domum in Loco Imbstii construi committitur.

SAcra Congregatio Emin., ac Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium, negoti. & Consult. Episcoporum & Regul. præposita, attentâ remissione libelli per Sanctissimum Dominum nostrum factâ, & audito P. Procuratore Generali Ordinis, benignè commisit Ordinario Loci, ut veris existentibus narratis & auditis interesse habentibus, petitam facultatem pro suo arbitrio & conscientia Oratoribus impertiatur, ita tamen, ut in reliquis ea omnia, quæ per Sacros Canones, Sacrum Concilium Tridentinum, Constitutiones Apostolicas, & Or-

Ordinis prædicti circa hujusmodi novorum Conventuum Religiosorum erectiones præscripta sunt, religiosè serventur.

Romæ 10. Maii 1675.

M. Cardinalis Ginnettus.

Autogr. in Archivo Secret. Congreg. præd. fol. 73.

Fr. Gabrieli Clusinensi, Elisabethæ Amaliæ Magdalenæ, Principissæ Electricis &c. Viduæ à Sacris Confessionibus, varia privilegia impertitur.

A tergo: *Dilecto Filio, Gabrieli Clusinensi Ordinis FF. Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupatorum Professori.*

ALEXANDER PP. VIII.

Dilecte Fili salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Religionis zelus, vitæ & morum honestas, aliaq; insignia virtutum dona, quibus apud Nos digno comendaris testimonio, Nos inducunt, ut Te singulari paternæ charitatis affectu prosequamur. Nuper siquidem pro parte dilectæ in Christo Filiæ, Nobilis mulieris, Elisabethæ Amaliæ Magdalenæ bo: mem. Philippi Wilhelmi, dum vixit, Comitis Palatini Rheni, ac S.R.I. Principis Electoris Heydelbergensis, relictæ Viduæ, Nobis expositum fuit, quod, cum Tu, qui Frater expresè Professus Provinciæ Tyrolensis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupatorum, ac in Sacro Presbyteratûs Ordine constitutus, nec non verbi Dei Prædicator existis, verbum Dei hujusmodi in Augustana & Heydelbergensi Civitatibus inter tot hæreticos cum maximo animarum fructu prædicaveris, necnon quinque annorum spatio in Aula memorati Philippi Wilhelmi Principis Electoris tanquam socius, tunc in humanis agentis Emerici Vesaliensis, dicti Ordinis Professoris, permanseris, ac interea optimum probitatis, religiosorumque morum exemplum præbueris, ipsa Elisabetha Amalia Magdalena de tua prudentia, pietate, doctrina, ac Religionis zelo plurimùm in Domino confisa, Te, quem in Confessarium suum elegit, pro spirituali sua consolatione sibi etiam, dum iter aget, semper adesse, operâque tuâ in iis, quæ ad animæ salutem pertinent, uti posse plurimùm desiderat, Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut Tibi in præmissis opportunè providere, &, ut infra, indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur Te, ac Elisabetham Amaliam Magdalenam prædictam specialibus favoribus prosequi volentes, & Vestrûm singulares personas à quibusvis &c. censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Tibi, ac pro tempore existenti socio tuo, Ordinis prædicti Professori, ut ad biennium tantùm de Superiorum vestrorum licentia, penes dictam Elisabetham Amaliam Magdalenam permanere, ac in quibuscumque locis, in quibus Conventus dicti Ordinis non reperientur, in ipsius Elisabethæ Amaliæ Magdalenæ aula, seu decenti ei proxima domo degere, & commemorari, ita tamen, ut quandocumque, etiam durante biennio hujusmodi, à Superioribus vestris prædictis ad claustra revocari possitis, & interea memoratam Elisabetham Amaliam Magdalenam comitandi gratia, dum iter fecerit, quoties opus fuerit, rheda, seu alio vehiculo vehi liberè & licitè, ac absque ullius pænæ, per Constitutiones Ordinis prædicti quomodolibet impositæ, incursu valeatis, & vestrûm quilibet valeat, Auctoritate Apostolica, tenore præsentium concedimus & indulgemus. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, necnon dicti Ordinis etiam &c. statutis, & consuetudinibus; privilegiis &c. innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores &c. derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die XXV. Januarii MDCXCI. Pontificatûs nostri Anno secundo.

I. F. Card. Albanus.

Autog. in Secret. Brev. Apostolicor. Regesto mens. & anni præd. f. 214.

Eidem

Eidem Gabrieli, munus Confessarii Reginæ Hispaniarum, Mariæ Annæ laudabiliter ab eo susceptum esse, rescribit.

A tergo: *Dilecto Filio, Gabrieli ab Augustanis Clausuris, Ordinis FF. Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupatorum, Reginæ Catholicæ Confessario.*

INNOCENTIUS PAPA XII.

Dilecte Fili salutem & Apostolicam Benedictionem.

EAm religiosæ probitatis, ac prudentiæ laudem in obeundo apud Charissimam in Christo Filiam nostram, Mariam Annam, Hispaniarum Reginam, Confessarii munere Tibi hucusque comparâsti, ut, quod gratum Catholico Regi, ipsius apud Nos Oratore præmonente, fore novimus, id acceptum pariter Nobis futurum esse harum serie significandum Tibi duxerimus, si videlicet pium ac eximium hujusmodi Ministerium prosequendo benemereri in dies apud Deum, & homines pergas. Cæterùm, quemadmodum Regiæ voluntati obsecundare præcipuè Nobis cordi est, ita libenter occasiones amplectemur, testandi, quo Te in amore, ac existimatione habeamus, dum Tibi, dilecte Fili, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die decima nona Februarii MDCC. Pontificatus nostri Anno nono.

Ulysses Joseph Gozzadinus Secret.

Autog. in Secret. Brev. ad Principes *regesto mens. & anni præd. f.* 222.

Circa eundem Fr. Gabrielem ea, quæ tranquillitati, ac decori consulerent, statuenda esse, eidem Hispaniarum Reginæ, significat.

A tergo: *Charissimæ in Christo Filiæ nostræ, Mariæ Annæ, Hispaniarum Reginæ Catholicæ Viduæ.*

CLEMENS PAPA XI.

Charissima in Christo Filia nostra salutem, & Apostolicam Benedictionem.

UBi primùm Pontificio munere aucti sumus, explicari curavimus Majestati Tuæ magnitudinem paternæ nostræ charitatis, ac diligenter egimus, ut congrua dignitatis tuæ ratio haberetur, atque tunc maximè, cum amisso Rege Conjuge, validissimo sanè præsidio, destituebaris. Quam quidem nostram erga Te voluntatem amplioribus, ubi res feret, significationibus testatri parati sumus, ut nedum Tibi, sed omnibus innotescat, quanti egregias tuas virtutes, ceteraque tum gradus, tum animi tui præclara ornamenta faciamus. Nec alienum ab hoc nostro proposito esse putes id, quod statuimus circa Personam dilecti Filii, Religiosi Viri, Gabrielis ab Augustanis clausuris, Confessarii tui, imò persuasum Tibi omnino esse volumus, Nos in ea deliberatione suscipienda tranquillitati nonminus quàm decori tuo consuluisse. Quod si aliquid ea in re commodum rationibus tuis, ac votis consentaneum efficere posse censebimus, id libenti animo præstabimus, & Majestati Tuæ, cui uberem à Deo consolationem precamur, Apostolicam Benedictionem amantissimè impertimur.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die quinta Februarii MDCCII. Pontificatus nostri Anno secundo.

Ulysses Joseph Gozzadinus, Archiep. Theodosiæ, Secretarius.

Autog. in Secret. Brev. ad Principes *reg. mens. & anni præd. fol.* 266.

Dolentem de Fr. Gabrielis discessu Hispaniarum Reginam solatur, & huic almam Urbem accessuro specialia Pontificiæ benevolentiæ testimonia adpromittit.

A tergo: *Charissimæ in Christo Filiæ nostræ, Mariæ Annæ, Hispaniarum Reginæ Catholicæ, Viduæ.*

CLEMENS PAPA XI.

Charissima in Christo Filia nostra salutem, & Apostolicam Benedictionem.

NON secus, ac pro paterna charitate nostra debemus, afficimur eâ molestia, qua intimè se tangi testatur Majestas Tua, propterea, quod spirituali solatio, quod à pietate, ac salutaribus monitis Religiosi Viri Confessarii sui percipiebat, in præsens destituitur. Confidimus tamen Te semper magis intellecturam esse, Nos nihil, ea in delibera-

ratione voluisse, quod rationibus tuis, Dignitati etiam, atque animi tui tranquillitati summopere non congrueret; decet enim Te ita omnino existimare de Nobis, qui plurimì spectata tua decora, præstantesque virtutes facimus, & propensam ad gratificandum Tibi gerimus voluntatem, cujus etiam novum specimen exhibere parati sumus erga eundem Religiosum Virum, ubi enim hic ad Nos accedet, nulla Pontificiæ dignationis testimonia ab eo desiderari patiemur, ut planè constet, Nos ipsius perspectæ probitati, cæterisque dotibus, quibus præstat, præsertim verò loco, quem apud Te obtinet, plurimùm tribuere. Illud demum persuasum Tibi esse volumus, Nos interim omnem operam daturos esse, ut compos tui voti, quoad rectè fieri poterit, & rebus tuis commodum sit, efficiaris; & Majestati Tuæ Apostolicam Benedictionem amantissimè impertimur.

Datum Romæ &c., die XIX. Februarii MDCCII. Pontificatus Nostri Anno secundo.

Ulysses Joseph Gozzadinus, Archiep. Theodosiæ Secretarius.

Autog. in Secret. Brev. ad Principes *reg. mens. & anni præd. f.* 270.

Dorotheæ Sophiæ, Parmæ & Placentiæ Ducissæ, eundem Fr. Gabrielem à se benignè receptum, & votis Reginæ Sororis, quoad fieri posset, se suffragaturum reponit.

A tergo: *Dilectæ in Christo Filiæ Nobili Mulieri, Dorotheæ Sophiæ, Parmæ, & Placentiæ Ducissæ.*

CLEMENS PP. XI.

Dilecta in Christo Filia, Nobilis Mulier, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

REddidit Nobis litteras Nobilitatis Tuæ dilectus Filius, religiosus Vir, Gabriel ab Augustanis Clausuris, Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupatorum, quem multis nominibus, præsertim verò singularis pietatis laude, necnon loco, quem apud Majestatem Catholicæ Reginæ Viduæ, inclytæ Sororis Tuæ obtinet, Nobis admodum probatum, libenti animo, atque omni Paternæ nostræ charitatis significatione excepimus. Explicandum Tibi interim esse ducimus, id, quod non semel eidem Reginæ testati sumus, Nos illius dignitatem, ac profectò tranquillitatem respexisse in deliberatione, quam circa præfati religiosi Viri personam suscepimus, neque enim irrita officia ipsius, quæ plurimi, ut par est, facimus, apud Nos diutius esse pateremur, nisi ejusdem rationibus summopere congruere initum à Nobis consilium intelligeremus. Enixè itaque cupimus, ut illa, pro spectata animi sui pietate, à molestia, quam inde percepit, mentem tandem exolvat, Teque amanter hortante, omnino confidat, Nos sollicitos tamdiu fore, ne diutiùs ejus vota protrahantur, quandiu eisdem annuendi opportuna Nobis affulserit occasio. Nobilitati interim Tuæ, cui bonorum omnium copiam à Deo apprecamur, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum &c., die 1. Aprilis MDCCII.

Ulysses Joseph Gozzadinus Archiep. Theodosiæ Secret.

Autog. in Secret. Brev. ad Principes *reg. mens. & anni præd. f.* 275.

Hoc idem Reginæ prædictæ significat, & arbitrio suo Pontificio totum perfici non posse dolet.

A tergo. *Charissimæ in Christo Filiæ nostræ, Mariæ Annæ, Hispaniarum Reginæ Catholicæ, Viduæ.*

CLEMENS PP. XI.

Charissima in Christo Filia nostra salutem, & Apostolicam Benedictionem.

PRæferunt semper singularis, & eximiæ pietatis sensus literæ Majestatis Tuæ, quarum postremæ in eo etiam luculentiùs præstantiam animi tui enuntiant, quia in iisdem nedum testaris grata Tibi peculiariter accidisse testimonia propensæ voluntatis, dilecto Filio, religioso Viro, Gabrieli Clusino, tuorum officiorum intuitu à Nobis exhibita, sed præterea Te prorsus confidere, Nobis admodum cordi fore tua vota, quorum implementum scimus à Te vehementre exoptari. Qua in re perspectum Tibi facere, quantùm in Nobis erit, curare non cessabimus, rectè Te de magnitudine paternæ nostræ in Te charitatis sensisse: molestè cæteroquin ferentes, id omne arbitrio nostro perfici non posse, non enim pateremur pia tua desideria affectu suo diutius destitui, occasionibus interim, quæ se offe-

offerent, non defuturi, cum multæ felicitatis auspicio Apostolicam Benedictionem Majestati Tuæ amantissimè impertimur.

Datum Romæ *ut Supra*, die XXIII. Septembris MDCCII.

Ulysses Joseph Gozzadinus, Archiep. Theodosiæ, Secret.

Autog. in Secret. Brev. ad Principes *regesto mens. & anni pred. fol.* 334.

Eidem Reginæ Fr. Gabrielis adventum in alma Urbe intimat, hujus dotes plurimùm commendat, & omnes Ordinis gradus ab illo rejici renuntiat.

A tergo: *Charissimę in Christo Filię nostrę, Marię Annæ, Hispaniarum Reginę Catholicę Viduę.*

CLEMENS PP. XI.

Charissima in Christo Filia nostra salutem & Apostolicam Benedictionem.

Rectè equidem sentiebamus de dilecto Filio, Religioso Viro, Gabriele Clusinensi, Ordinis Capucinorum, præeunte præclaro Majestatis Tuæ judicio, magnum enim singularis suæ pietatis judicium apud Nos posuerat ille, quem Tu virtute, ac religione adeò præstans Regina spirituali animi tui regimini præfeceras: Uberiùs tamen idem opinionem de eo nostram gravi prudentique sermone coram adauxit, in quo enituit religiosæ humilitatis non vulgare specimen, dum ipse, quo amoliretur à se quoscunque Ordinis sui gradus, vehementer à Nobis expetiit, auctoritate nostra eatenus communiri, quatenus ad eos suscipiendos adigi non posset, quod Nos iteratis ejusdem precibus eâ demum lege indulsimus, ut tamen muneris, quod apud Te obtinet, tum nostræ, quâ eum prosequimur, charitatis ubique ratio haberetur; atque ita ex nunc servari mandavimus in ea Provincia, in qua interim morari, gratam veluti rem Nobis facturus, ultrò elegit; Decet enim, ut nullibi desint ipsi documenta illius Paternæ dilectionis, quam Nos hic palam explicavimus intuitu integritatis, quâ præstat, & testimonii, quod ad Nos detulit, tum egregiæ tuæ, & filialis in hanc Sanctam Sedem observantiæ (utcunque antea Nobis perspectæ) tum spei, qua certò confidis, Nos sedulos fore in promovendis rebus, ac votis. Qua spe, quàm oblectati simus, vix significare possumus; respondet enim animo planè sollicito, quem gerimus, in iis omnibus, quæ respiciunt commoda, ac dignitatem Majestatis Tuæ, cui Apostolicam Benedictionem amantissimè impertimur.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die XVI. Aprilis MDCCII. Pontificatus nostri Anno secundo.

Ulysses Joseph Gozzadinus, Archiep. Theodosiæ, Secret.

Autog. in locis prædictis.

Per exhibita Fr. Gabrieli Pontificiæ Charitatis officia Ducissæ Dorotheæ Sophiæ plenè satisfactum esse, lætatur.

A tergo: *Dilectæ in Christo Filiæ, Nobili Mulieri, Dorotheæ Sophiæ, Parmæ & Placentiæ Ducissæ.*

CLEMENS PAPA XI.

Dilecta in Christo Filia, Nobilis Mulier, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Ex litteris Nobilitatis Tuæ perlibenter intelleximus, Nos iis Paternæ Nostræ charitatis officiis, quibus excipere ac fovere curavimus dilectum Filium, Religiosum Virum, Gabrielem Clusinum, Ordinis Fratrum Minorum Capucinorum nuncupatorum, id consecutos fuisse, quod planè optabamus, ut scilicet omnibus, Tibique præ cæteris, perspectum esset, multì eos à Nobis fieri, quibus suffragatur judicium Charissimæ in Christo Filiæ Nostræ, Mariæ Annæ, Hispaniarum Reginæ, Viduæ lectissimæ, Sororis tuæ, quæ propter decora, atque eximias, quibus ornatur, virtutes, singularem Pontificii animi Nostri propensionem demeretur. Hanc autem occasionem, quam certè alacriter hoc nomine complexi sumus, gratiorem quodammodo Nobis effecit spectata probitas mo-

morumque præstantia, quâ eidem Religiosus Vir se tantâ commendatione dignum per omnia perhibuit. Tum verò cumulatè Nobis satisfactum est, cum id omne gratum fuisse accepimus Nobilitati tuæ, cui cum bonorum omnium auspicio Apostolicam Benedictionem paramanter impertimur.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die x. Martii MDCCVI. Pontificatus Nostri Anno quarto.

Ulysses Joseph Archiepiscopus Gozzadinus, Secret.

Autog. in Secret. Brev. ad Principes *regesto mens. & anni præd. fol.* 42.

NOTA.

PRæconio Pontificio, per præcedentes Apostolicas Litteras de meritis Fr. Gabrielis laconicè deducto, uberior jungitur virtutis relatio, ut Viro, qui inter nos ambulavit cum decore, non desit honoratæ memoriæ tributum. Procreatus ille in Augustanis clausuris, quas vulgus *Clusen* vocitat, â Parentibus honestis, videlicet Petro Pontifeser, & Anna Maria Marellin, in Aqua regenerationis nomen Christiani accepit, & ingenium, quod natura ei indulsit felicissimum, studiis in juventute sua ita excoluit, ut Magisterium Philosophiæ mereretur; limina autem juris Canonici ingressus, de vocatione sua Seriò cogitavit, & expleto 21. ætatis anno strenuum in nostra Religione Commilitonem induit. Primis Ordinis annis laudabiliter transactis, studiisque honorificè expletis, egregii Concionatoris, ac præclari Controversistæ famam adeptus est, ita, ut à Serenissimo Electore Palatino Heidelbergam fuerit vocatus, ubi zelo prædicationis, & Religiosæ conversationis exemplo plurimos, doctrinâ & sanguine præstantes, ad agnitionem veritatis Catholicæ deduxit, Fidem plusquam centenis annis expulsam, restitui adjuvit, ac septem Hospitia seu Familias, ut neo-Conversi Operariorum subsidio in recepta Fide magis confortarentur, dextero suo zelo introduci curavit. Septem annis in Palatina Aula Serenissimæ Electricis, & Principis Friderici Confessarius Ordinarius, & aliorum Principum, ac Principissarum extraordinarius, munus hoc communi laude explevit. Sæpe ab Electrice requisitus, tandem ab ipsa ejus Filia, Regina Catholica in Hispaniam ascitus, ab hac in conscientiæ suæ arbitrum, Elemosynarium Majorem, & Capellanum Regium fuit electus. Quantumvis per decem annorum spatium in totius quasi Monarchiæ gubernio partem habuerit, oblatos tamen honores, speciatim Inquisitoris Generalis, Archiepiscopatûs Valentiarum, & bina vice Cardinalatûs constanter recusavit: ne etiam â Religione ad Prælaturas ullas promoveretur, exemptionis indultum abs Apostolica Sede obtinuit, humili suæ vocationis statu ita contentus, ut ad exemplum D. Ephrem Syri, â S. Gregorio Nysseno commendatum, *ab omni vana, atque mundana abhorrens gloria, cum in hac adhuc peregrinaretur vita, si â quopiam se laudari animadvertebat, ægro animo ferens, aliumque aliàs colorem capiens, atque oculos in terram demittens, tenui ac subtili maderet sudore, altoque silentio, verecundiâ linguam præpediente corriperetur.*

Domûs Dei & decoris illius particularis amator, plurimas Sacristias casulis, Albis, calicibus, variâque Sacrâ Supellectile adornavit, opulenta munera, pinguemque elemosynam sustentationi suæ assignatam regiâ licentiâ & consensu in hujusmodi pias causas, & alia charitatis subsidia distribuens. Castitatis non minus sollicitus erat Custos, adeo, ut nunquam adduci potuerit, ut ad portam cum fœmina, etiam Principissa vel Ducissa loqueretur, non sine magna sæcularium æquè ac Fratrum ædificatione. Orationi & meditationi continuò, quoad licuit, incubuit, exercitia Spiritualia per duodecim dies singulis annis bis peregit, & Missæ Sacrificium, quantumque etiam occupatus aut defatigatus, nunquam intermisit. Temperantiæ erat amicissimus, licet enim ab Aula, & aliis Amicis delicata quotidie cibaria illi mitterentur, ab iis tamen abstinuit, & eadem ægrotis ac senio confectis Fratribus illico dispensari rogavit.

Hispaniæ Magnates, seu *Grandes*, ut vocant, Gabrielem Grandem Dei Servum, & Magnum Fratrem Minorem appellare consueverant, eò quod inter tot Aulæ pericula, & occasionum illicia non tantùm ab illicitis sibi temperaret, sed & ex malo bonum elicere noverit raro suæ virtutis exemplo, & felici Aulicorum magisterio. Vitam laudabilem mors pia secuta est, sibimetipsi prædicta; quamprimum enim novum Monasterium Clusinense de longè aspexit, hæc ad Patrem Socium verba protulit: *Hæc requies mea, hîc habitabo, quoniam elegi eam.* Omen complevit eventus, nam sexto Decembris 1706. affectu hemiplectico fuit obrutus, cui, dum febris acuta accessit, duodecimo ejusdem mensis circa horam septimam. Serotinam, sibi ad extremum usque halitum præsens, oculis in Crucifixi imaginem intentus, inter devota suspiria, & Fratrum adstantinm luctum animam suo reddidit Creatori, anno ætatis physicæ quinquagesimo quarto, & Religionis trigesimo quarto.

Ex Protocollo Provinciæ, & manuscriptis Archivi Generalis Ordinis.

DECRETO

S. Congreg. Episc. & Regul.

Residentiam seu Hospitium Fratrum in loco Riedæ construi committitur.

SAcra Congregatio Eminentissimorum & Reverendissimorum S.R.E. Cardinalium negotiis & Consult. Episc. & Regul. præposita, attentâ relatione Episcopi Brixinensis, referente Eminentissimo Acciajolo, censuit committendum, prout præsentis Decreti tenore benignè committit eidem Episcopo, ut veris existentibus narratis, petitam facultatem erigendi Hospitium in præfato loco pro suo arbitrio & conscientia Oratoribus impertiatur, ita tamen, ut formam simplicis Hospitii minimè excedat. Romæ 24. Jannarii 1694.

Autographum in Archivo Secretariæ Congreg. prædictæ.

Calices, Paramenta &c. â Regina Catholica, Maria Anna, Vidua, Capellæ Lauretanæ in Ecclesia Fratrum Oppidi de Chiusa donata, aliis Ecclesiis commodari, seu â dicta Capella extrahi vetat.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

CUM, sicut nomine Charissimæ in Christo Filiæ Nostræ, Mariæ Annæ, Hispaniarum Reginæ Catholicæ, Viduæ, Nobis nuper expositum fuit, ipsa Conventum Fratrum Ordinis Minorum Sancti Francisci Capucinorum nuncupatorum, in Oppido seu loco de Chiusa, Brixinen. Diœcesis, Provinciæ Tyrolensis, ac in eo pro peculiari erga Beatissimam Virginem Dei Genitricem Mariam devotione, Capellam sub invocatione ejusdem Beatæ Mariæ Virginis Lauretanæ, suâ impensâ fundaverit, necnon ad usum Capellæ hujusmodi Calices, Candelabra, aliaque paramenta & ornamenta Ecclesiastica donaverit, ac propterea illorum conservationi & manutentioni opportunè â Nobis provideri, plurimùm desideret. Nos ipsius Mariæ Annæ Reginæ votis, hac in re, quantùm cum Domino possumus, favorabiliter annuere cupientes, ejusque pietatem plurimùm in Domino commendantes, supplicationibus ejusdem Mariæ Annæ Reginæ nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, ne ulli Fratres Conventûs, & Ordinis prædictorum, tam præsentes, quàm futuri, etiam quacumque superioritate, vel præeminentia fungentes, Calices, Candelabra, ac alia paramenta & ornamenta Ecclesiastica tam ex auro & argento, quàm ex quavis alia materia confecta, necnon quamcumque supellectilem sacram, per memoratam Mariam Annam Reginam Capellæ prædictæ donata, ut præfertur, sub quocumque quæsito colore, prætextu, causa, vel occasione alii cuivis Ecclesiæ, Capellæ, vel loco pio, aut personis quibuscumque commodare, seu ab eadem Capella, vel illius Sacristia extrahere & asportare, seu, ut commodentur, & extrahantur, aut asportentur, permittere audeant quovis modo, seu præsumant, sub excommunicationis, ac privationis vocis activæ & passivæ pœnis, per contrafacientes ipso facto, absque alia declaratione incurrendis, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, interdicimus & prohibemus. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac, quatenus opus sit, Conventûs & Ordinis prædictorum, etiam juramento, confirmatione &c. roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis &c. innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores &c. derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut præsentis prohibitionis exemplum in valvis Capellæ vel Sacristiæ supradictæ, aut alio loco conspicuo, ubi ab omnibus cerni & legi possit, affixum assiduè remaneat.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XIII. Octobris MDCCII. Pontificatus Nostri Anno secundo.

F. Oliverius.

Autograph. in Archiv. Secret. Brev. Apost. Reg. mens. & anni præd. fol. 60.

NOTA.

SAcram Supellectilem, quam distrahi antepositum Breve prohibet, & quam Ill. D. Dominicus Gummer in Capella nomine & ordine Reginæ Benefactricis fideliter deposuit, constituunt sequentia:

Calix cum ornamentis fusis, in quo nomen Regis expressum est: Pixis SS. Hostiarum, seu Ciborium ejusdem laboris, cum Campanula, urceolis, pelvicula &c.

Calix gemmis, quas Lapides Thyites vocant, amictus, cum ampullis & pelvicula similibus in theca.

Calix corallis contectus, cum Pixide hostiarum, Campanula, urceolis & pelvicula cum suis thecis.

Duo Calices ametistis decorati, quorum cuppa ex auro puro.

Calix argenteus.

Altare portatile Sacris Reliquiis & picturis vitreis â Michaë le Bonarotta confectis ornatum, in cujus medio Crucifixi imago cum aliis figuris ex auro cernitur.

Quatuor vasa argentea cum floribus argenteis.

Duæ Statuæ Argenteæ, quarum una Christum, & alia S. Joannem Baptistam repræsentat, argenteis pedibus suffultæ.

Imago ex argento Salutationem Angelicam in Altariolo nigri coloris exprimens, cum theca, holoserico amicta.

Lampades argenteæ tres, quarum duæ filogranâ cinctæ.

Thuribulum argenteum cum Navicula, & Liber Missalis argento contectus, & cæruleo holoserico ligatus cum sua theca.

Argentea Crucifixi imago.

Duæ Tabellæ nigro colore obductæ, in quibus imagines S. Petri & S. Jacobi ex argento confectæ sunt.

Tabella alia argentea, S. Paschalem de Baylon repræsentans.

Altariolum S. Michaelis, cujus ambitus ornatu vitreo est distinctus.

Petium argenteum cum pede simili, cui Christus, & S. Maria Magdalena innituntur.

Scudella Lauretana ex argento inaurato, & filogranâ cincta.

Luminaria sex ex chrystallo & chalybe, & Crux, in qua particula de Ligno Sanctæ Crucis continetur.

Tabellæ Secretarum, Lavabo, *& Evangelii S. Joannis, Legile pro Missali, quatuor ampullæ, tabella pro osculo Pacis, Ciborium, quatuor vasa florum ex chrystallo & chalybe, quorum quodlibet suam thecam seu cistulam habet.*

Duplex par Luminarium ex chrystallo cum Cruce, in qua particula de Carne Sancti Caroli Borromæi conservatur.

Duæ ampullæ, labore ex auro inaurato cinctæ, cum thecis, & Crux christallina, in qua Christus ex auro confectus est.

Ostensorium ex argento inaurato, in quo Spongia, Sancti Caroli Borromæi Sanguine tincta exhibetur.

Major Secretarum *Tabula cum duabus aliis minoribus pro* Lavabo *& Evangelio S. Joannis, ex vitro pellucido, cupro deaurato cinctis.*

Particulæ de Cilicio & Habitu S. P. Francisci in Theca chrystallina; item Particula de ossibus S. Antonii Patavini chrystallo & argento contexta, cum suis authenticis.

Tabulæ duæ cum Cera Papali ornatu argenteo amictæ.

Duæ cistulæ affabrè elaboratæ, vitro clausæ, in quibus figuræ Nativitatis D. N. Jesu Christi, & trium Magorum seu Regum ex ebore conservantur.

Tabula actu picta, cujus ambitus seu coronis testudineo labore, & argenteo ornatu confecta est, & quæ B. V. Mariam cum Puero Jesu, & S. Joannem Baptistam repræsentat.

Alia tabula, in qua itidem imago B. V. Mariæ cum Filio in vitro picta est, cum ambitu testudineo concinnè confecto.

Duæ Tabulæ, quarum una S. Joannem Baptistam, & alia Sanctam Luciam repræsentant, cum aurea coronide.

Tabula in ligno depicta, B. V. Mariam cum Filio, & SS. Bartholomæum Apostolum, & Dorotheam Virg. & Mart. exprimens.

Duæ aliæ Tabulæ minores, quarum una Ascensionem Christi & alia B. V. Mariam exhibent, vitro coopertæ.

Tabulæ Indianæ sex, conchis margaritiferis ornatæ, cum aliis petiis minoribus.

Calceus Pontificius de Ven. Servo Dei Innocentio Papa XI.

Casula, antipendium, Velum Calicis, Bursa Corporalis cum aureis & argenteis frangiis in serico albo.

Similia, Serico, auro & corallis artificiosè contexta.

Similia ex Sericis floribus in albo Subserico confecta, inter quæ in medio antipendii B. V. Maria Immaculata ex Serico facta cernitur.

Similia ex albo miltitio Serico, cum flosculis sericis.

Similia ex Subserico diversi coloris cum vittis aureis.

Duo Velamina larga ejusdem coloris cum pulvino seu cussino.

Planeta, Antipendium, Velum Calicis, & Bursa Corporalis sericis floribus contextæ, in quorum antipendio nomen B. V. Mariæ eminet.

Similia ex albo subserico, in quibus vita S. Patris Francisci exprimitur.

Casula alia ex simili materia, cum Velo Calicis & Bursa Corporalis serico & auro contextis.

Alia itidem cum Velo & Bursa artificiose in subserico picta.

Alia sericis floribus distincta Casula, cum Velo & Bursa paribus.

Ca-

Casulæ, alia viridis, alia flavi coloris, necnon alia nigri coloris auriphrygiata.
Alia ex cæruleo bolosерico, duæ aliæ nigri coloris ex serico cum Velo Calicis & Bursa Corporalis.
Quatuor Casulæ undulatæ cum Bursis, & variis velis.
Albæ octo vel novem cum cingulo & amictu, inter quas tres ex lino subtilissimo, & Belgicis frangiis: Item aliæ tres cum Indianis vittis & frangiis.
Imago B.V. Mariæ à Laureto, in medio Altaris posita, cum Corona argentea, qualem & Puer Jesus cum globo terræ simili portat.
Pro hac imagine conservantur vestes, flavea, viridis, fusca, & cærulea, auro argentoque contextæ: alia ex holoserico cæruleo, & alia serico & auro concinnè intexta.
Rosarium rubri coloris pretiosum cum Cruce, rubinis & auro radiante. Alia octo cum smaragdis &c.
Cistula filogranâ ornata de V. Sor. Maria de Agredda, in qua Sindon seu tela liquore, ex corpore S. Didaci fluente tincta asservatur.
Imago B. V. Mariæ in vitro affectuosè depicta, cum coronide affabrè elaborata, & chrystallo & saphyris cæruleis intextis ornata.
Cistula auro contexta, in qua principaliora ossa Sancti Benigni conservantur.
Caput S. Columnæ in cistula vitro obducta.
Liber SS. Evangeliorum à S. Hyerotheo manu propria græcè descriptus. Fuit autem hic postmodum Pontificia dispensatione translatus Viennam, ibique in Thesauro &c. positus.
Pars magna Ligni de tumba S. Mariæ Magdalenæ.
Imagines S. Michaelis, & S. Angeli Custodis ex rubro Corallo.
Aulæa duo Indiana, quorum unum floribus magnis, & aliud phrygio labore contextum est, ex quibus dictæ Casulæ & antipendia confecta sunt &c, &c.

Sacras Reliquias à se Clusinam mittendas esse Reginæ pollicetur, & Fr. Gabrielis commendationem plurimùm à se æstimari significat.

A tergo: *Charissimæ in Christo Filiæ nostræ, Mariæ Annę, Hispaniarum Reginę Catholicę Viduę.*

CLEMENS PAPA XI.

Charissima in Christo Filia nostra salutem, & Apostolicam Benedictionem.

DUM Maiestas Tua se, quàm maximè diligeret decorem Domus Dei, extructis ornatisque munificè sacris Ædibus intra fines Tridentinæ Diœceseos tam probe testata est, par fuit, ut Regiæ liberalitati Pontificia charitas ita adæreret, ut spiritualibus Ecclesiæ thesauris locus ipse per Nos ditaretur, quò magis Divinus in eo cultus non sine multa Tui Nominis, tuæque virtutis commendatione augeretur. Erit nostræ præterea in Te paternæ voluntatis curare, ut insignis aliqua pars ex Reliquiis Martyrum eò loci deferatur, ut Fidelium illorum votis, tuisque in primis, magnâ semper Religione refertis, quantùm res patitur, fiat satis. Cæterùm, de quo gratum Nobis animum officiosè profiteris, id Nos libenti animo præstamus, fovemus scilicet propensa, ac peculiari charitate dilectum Filium, Religiosum Virum, Gabrielem Clusinum, tum intuitu commendationis tuæ, quæ plurimùm apud Nos ponderis meritò obtinet, tum ob probitatem singularem ejusdem religiosi Viri. Interim verò uberem felicitatem Majestati Tuæ apprecamur, eidemque Apostolicam Benedictionem amantissimè impertimur.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die XXVIII. Aprilis MDCCIII. Pontificatus nostri Anno tertio.

Ulysses Joseph Archiep. Gozzadinus.

Autog. in Secret. Brev. ad Princ. *reg. mens. & anni præd. fol.* 64.

DECRETO

S. Congreg. Episc. & Regul.

Confessario Sanctimonialium Capucinarum, Civitatis Salisburgensis, extraordinario, ad audiendas Ægrotantium Confessiones clausuram ingrediendi facultas conceditur.

Beatissime Pater.

MOniales Ordinis S.P. Francisci, Capucinæ, Monasterii & Ecclesiæ B.V. Mariæ de Laureto, Civitatis & Archi-Diœcesis Salisburgensis in Germania, humillimæ Oratrices ad pedes Sanctitatis Vestræ demississimè provolutæ exponunt, qualiter ab initio fundationis earum Monasterii pro Confessore extraordinario habuerint aliquem Religiosum Capucinum, sibi ab Ordinario loci benevolè concessum, & à Provinciali dicti Ordinis itentidem determinatum, quod ipsis maximum in

in solamen spirituale hactenus semper cessit. Cum verò multæ inter illas inveniantur decrepitâ ætate gravatæ, & perpetuo quasi affixæ lecto, quæ defectu commoditatis, & ob statum infirmitatis ad crates deportari nequeunt pro deponenda ibi Confessione, eòque magis illis, quæ graviter ægrotant, ægerrimè accidat, ea consolatione Confessoris extraordinarii, quæ benevolentibus absque contradictione, imò juxta mentem Ordinarii Diœcesani, concessa est, carere, præsertim in mortis periculo, eapropter Sanctitati Vestræ demisissimè simul ac instantissimè supplicant, quatenus cum Confessore Capucino, qui vi regulæ cap. XI. ab ingressu in Monasterium Monialium arcetur, nisi specialem obtinuerit à S. Sede licentiam, gratiosè dispensare dignetur, ut observatis debitis cautelis, ad effectum solummodo excipiendi Confessiones Monialium graviter, aut longo tempore ægrotantium, aut perpetuo lecto affixarum, ad eas ingredi valeat.

Atque eò fiducialiùs hanc gratiam se à Beat. Vestra clementer consequi posse sperant, quò magis iis innotescit ad hancce concessionem, ipsum earum Ordinarium, id est, Archiepiscopum Salisburgensem multùm inclinari, idque ratum & gratum habere. Suspirantes proin, sibique certò pollicentes ejusmodi gratiosi indulti benignissimam collationem, preces ferventes jugiter ad Deum fundere non cessabunt pro diuturniore Sanctitatis Vestræ conservatione, & incolumitate, quam Deus &c.

S. Congregatio Emin., *& Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negot. & consult. Episc., & Regul. prępposita, attentâ relatione P. Procuratoris Generalis Ordinis Capucinorum, ac remissione libelli facta à Sanctissimo benignè commisit Ordinario Salisburgensi, ut veris existentibus narratis, Oratricibus Sacerdotem Capucinum, deputandum à suo P. Provinciali, qui maturę sit ætátis, ac bonis moribus, scientia & prudentia præditus, pro suo arbitrio, & prudentia ad triennium assignet, ita tamen, ut antea ab eodem Ordinario ad audiendas Sanctimonialium Confessiones approbetur, recipiatur ad ostium Clausurę ab Abbatissa, & duabus Senioribus Monialibus, ipsisque comitantibus rectâ ad Cellam tantùm ęgrotantium, & ad motum inhabilium se transferat, & illorum Confessiones ipsis Monialibus associantibus videntibus excipiat, & pari formâ statim, ac se expedierit, comitatus, in egressu nullam sumat in Monasterio refectionem, & exinde ante Solis occasum recedat.*

Romę 11. *Augusti* 1724.

F. Card. Paulutius.

Ex Reg. Secret. S. Congreg. mensis, & anni prędictorum.

Ad arcendos hæreseos progressus in nonnullis Diœceseos Salisburgensis Parochiis Missiones Fratrum nostrorum constitui, Archiepiscopo ibidem consulit.

A tergo: *Venerabili Fratri, Leopoldo, Archiepiscopo Salisburgensi.*

CLEMENS PAPA XII.

Venerabilis Frater salutem, & Apostolicam Benedictionem.

HÆreticæ pravitatis contagia, quæ cum ingenti animarum jactura, & Catholicæ Religionis detrimento nonnulla Diœcesis tuæ loca inficiunt, & perturbant, quemadmodum in tuis ad Nos literis in amaritudine Sacerdotalis cordis deploras, animo quoque nostro pro ea, quam gerimus, omnium Ecclesiarum sollicitudine gravissimum vulnus imposuerunt. Sed hausimus ex vigilantia, & pastorali zelo Fraternitatis Tuæ, de quo semper præclarè sensimus, insigne solatium, quum ministerium tuum implere, & animarum necessitatibus mirifico studio consulere pergas.

Cæterùm Tibi planè persuadeas, nullum Nos Apostolatûs nostri officium omissuros, & apud Cæsaream Majestatem sedulò instantes eximiam ejus pietatem ad explenda vota Fraternitatis Tuæ, & Orthodoxæ causæ rationes tuendas excitare enixè curaturos. Tot autem tantisque malis opportunum remedium fore censentes, si Fratrum Capucinorum Missiones in iis Parochiis locisque constituantur, quæ Hæreticorum error afflavit, Venerabili Fratri Archiepiscopo Ephesino nostro atque hujus Sanctæ Sedis ad eandem Cæsaream Majestatem Nuntio negotium dedimus, ut dilectum Filium Ministrum Generalem eorundem Fratrum Capucinorum hortaretur, ut Salisburgum divertens cum Fraternitate Tua de iisdem Missionibus constituendis agat, & conferat. Quod procul dubio salutare consilium futurum confidimus, ut Fraternitas Tua omni ope juvare, & provehere gestiat.

Interea studiosæ nostræ voluntatis pignus Apostolicam Benedictionem, quam cœlestis præsidii & optatæ tranquillitatis auspicem esse cupimus, Tibi, Venerabilis Frater, peramanter impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die x. Novembris

bris MDCCXXXI. Pontificatus Nostri Anno primo.

F. Card. Oliverius.

Exempl. Auth. in Arch. generali Ord. Armario Provincia Tyrolensis.

NOTA.

Quantumvis Viennæ feliciter negotium fuerit conclusum, fuit tamen executio vel impedita, vel potius suspensa, usque ad tempus, quod sequentes significant Litteræ Apostolicæ.

Missiones Fratrum in Dioecesi Salisburgensi institutas, earumque leges, seu Articulos à S. Congregatione de Propaganda Fide approbatos confirmat.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Pastorum Princeps Jesus Christus, cujus suprema in Catholicæ Ecclesiæ procuratione vices, per ineffabile Divinæ Providentiæ consilium, infirmitati nostræ demandatas, planè immerentes, Nos gerimus, ea Pontificium animum nostrum, in ovibus suo Sanguine redemptis, & per viam æternæ perditionis pergentibus ad orthodoxum ovile reducendis sollicitum, cælestis consolationis copiâ, & lætitiæ magnitudine cumulare dignatus est, ut gaudio superabundantes incredibili, jubilemus Deo in voce exultationis.

§. 1. Enim verò Venerabilis Frater Leopoldus, Archiepiscopus Salisburgensis, pro eximia pietate sua, singulari Orthodoxæ Religionis zelo, injuncto Pastoralis Ministerii munere custodiens vigilias super grege sibi commisso, summa cum nominis sui laude, laboribus plurimis, ac dispendiis ex sua, in qua commorabantur, amplissima Dioecesi ejectis, ac procul expulsis viginti duobus millibus, & amplius Hæreticis, eorumdem Terras Catholicæ Fidei Cultoribus habitandas attribuit.

§. 2. Præterea veritus, ne temporis processu perditissimis hominibus antiquas Sedes sublestè repetentibus, & ibidem nova execrandæ hæresis semina occultè spargentibus iterum illic pestiferæ segetis germina sobolescerent, ut aut nequitia elidatur, opportunè, nullis parcens industriis, & sumptibus providere studuit. Inter cæteras autem utilissimas providentiæ suæ ad susceptum saluberrimum opus conficiendum initas rationes illa in primis maximopere commendanda, quod sex perpetuas Missiones à Religiosis Viris aliquot Regularium Ordinum, & Institutorum intra præscriptos (ne diffidia ulla, aut confusio unquam oriri possint) limites, sub nonnullis abs se editis Capitulis, regulis, & legibus omnino peragendas fundaverit, institueritque, ac necessariis redditibus, & emolumentis ditaverit. Quæ quidem omnia Capitula, regulæ, & leges sunt tenoris, qui sequitur, videlicet:

Missiones in Dioecesi Salisburgensi novissimè institutæ.

§. 3. I. Pro PP. Capucinis in Oppido, & Præfectura Werthensi *unà cum Præfecturis in Abtenau, & Golling.*

Nos Leopoldus Dei gratia Archiepiscopus, & Princeps Salisburgensis, Sanctæ Sedis Apostolicæ Legatus Natus, & Primas Germaniæ &c.

§. 4. Quamvis Nos divinâ favente clementiâ ad Archiepiscopale Solium evecti, à prima ineuntis Regiminis nostri die antiquius nihil unquam habuerimus, quàm Religionis, & Catholicæ Fidei nostræ curam, quæ semper, & ubique omni ævo, in omni Imperio, & apud quamcumque gentem præcipua fuit, quæque securum est publicę felicitatis pignus, cujus firmamento stant Regna, conservantur Principatus, continentur subditi, omnigenique boni tutissimum est fulcrum, tantùm tamen abfuit, ut hæresis, hostis ejus perniciffimus, vinceretur, ut potius animus meminisse horreat, ipsaque refugiat oratio teterrimum illud bellum, quod eapropter adversùs Nos, Catholicam Religionem, & Principatum ipsum inferre tentârunt ipsimet subditi nostri, dum exurgens novissimè fatale monstrum ex omnibus pristinarum hæresum concretum, stragem late Sacrorum totâ Provinciâ nostrâ circumferre, everrere Aras, disturbare Templa, Principis majestatem in contemptum, hujus mandata in ludibrium, jura omnia Divina, & humana per inauditum furorem, & vesaniam nefariè, & fœdifragè violare parabat, nihil sceleris, nihil doli, nihil iniquitatis intentatum, & inausum relinquens, ut & plebem reliquam novitatis illecebrâ corrumperetur. Pluribus necesse haud est rem exprimere, quia hæc per se liquet, & loquuntur id satis, & clamant tot publica acta, tot desuper habitarum Inquisitionum volumina; obliti verò haud sumus, qui tunc sermones hostium, qui rumores amicorum forent, cum dicerent palam

palam; culpæ majorum nostrorum incubuisse tamdiu in Provinciam hæresis infandam pestem Religioni nostræ in Archiepiscopatu, aut ipsi Archiepiscopatui, aut utrique pariter jam jam esse pereundum. Alios namque tantæ molis exterrebat opus, alios retardabat exitus plenus periculi, & alea, vel ipsa rei tam ancipitis, & ardua fama alios tenebat attonitos metu, expectatione suspensos. Vidit hoc Provincia, imò & Imperium totum, & vidimus Nos summo Pastoralis animi nostri mærore, astrudimus ipsamet Religione furores, pugnavimus viribus totis, armis, legibus, edictis, metu, & pœnis. Repulimus viginti, & ultra millia utrique sexûs, qui non unam Fidem, sicut unum Principem, non unum cultum, sicut unum Numen, non unam Ecclesiam, sicut unum Baptisma amplecti volebant. Relegavimus, alios aliis mediis ad meliorem reduximus frugem, atque hâc demum viâ retulêre superi constantiæ nostræ præmium, stetit Archiepiscopatus, & vicit, vicit pariter Ecclesia, & triumphavit & obtinuimus insimul, quod ab annis ultra biscentum humana vis nulla consequi, aut industria poterat, quod piorum omnium vota flagitabant: quod Fideles omnes à Deo enixè precabantur, at juvantibus in id mirificè Cœlestibus ipsis, qui hoc ipsum Nobis reservârunt opus. Verùm enimverò, quod ita tamen comprimi non potuerit pestiferum hujus feralis hydræ virus, quin aliqua pars ejus non resideret adhuc in Provinciæ nostræ visceribus, atque spiraret rursus immanis hæc Bellua, licèt centum petita vulneribus, centum vinculis constricta sensim iterum gliscens, & ad reliqui perniciem Corporis tacita contagione serpens, clam invalitura in dies, in flammas & incendia, si quis ventilabit, etiamnum eruptura, dum alitur doloso cinere suppositus ignis, nisi tempestivè malo jam nostro edocti, congrua repagula ponamus, atque obviemus appropriatis remediis, antequam morbus rursus æstuare incipiat; non desint nimirum in futurum amplius, qui misereantur super Turbam, ne plures, ut hactenus evênit & meminisse dolet, dimittantur jejuni, & deficiant in via, dum Parochis, aliisque locorum Pastoribus in peragendis Sacrificiis excipiendis Confessionibus, administranda SS. Eucharistia, visitandis Infirmis, assistendo Moribundis, aliisque animarum curæ functionibus continuò, & ex asse irretitis non erat, qui parvulis frangeret panem, instrueret ignorantes, flecteret dubios, atque ad Ecclesiæ ovile reduceret longè, latèque dissitas oves, hinc est, quod, postquam pro pastorali sollicitudine animum, nostrasque de funditus extirpanda hæresi curas in omnem partem diu, multumque versavimus, dumque oculos & mentem nostram in priorum sæculorum monumenta penitus defiximus, unum adhuc, idque unicum superesse comperimus, quod possit ignem hunc, seris etiam metuendum Successoribus, extinguere, perdere, & delere, si plura nimirum ex diversis Ordinibus (continua ut fit, eaque pia inter eos laborandi in vinea Domini æmulatio) atque in diversis Montium locis, in quibus hæretica lues magis hactenus insenuit, ut firmissima armamentoria Ecclesiæ, fundentur Apostolicorum Missionariorum Hospitia, qui incessanter excurrendo & catechizando, rudes instruant, dubitantes inflectant, clam inquirant in suspectos, omniaque ea peragant, quæ individuum Apostolicæ Missionis munus exposcit. Quapropter cum ad effectum præmissum inter alios plures strenuissimos Christi milites, PP. Capucini, Venerabilis Ordinis S. Francisci, Provinciæ nostræ Salisburgensis, pro zelo, quo flagrant ad animarum salutem, operam suam detulerint, statuimus & ipsos quoque in partem laboris vocare, divinaque freti ope, & constanti experientia docti, decrevimus in Domino, decernimusque ad stabiliendam in Diœcesi nostra, maximè intra Montes Orthodoxam Religionem ad profligandas hæreses, atque ad propagandam majorem Dei, Sanctæque Matris Ecclesiæ & Archidiœcesis nostræ gloriam, eisdem PP. Capucinis, Provinciæ prætactæ prope Oppidum Nostrum in Werffen ad effectum tantummodo peragendæ Apostolicæ Missionis Sedem stabilem figere, atque sub legibus, pactis, & conditionibus infra dicendis in perpetuum firmare.

§. 5. Primò itaque damus, concedimus, & tradimus antelatis Patribus ab omni, & quocumque onere reali, mixto, seu personali penitus liberam, & immunem tantam quantitatem prædii nostri, nuncupati *Majenfeld*, hactenus ad gaudendum Præfecto nostro in Werffen concessi, & siti prope, & super Oppidum prædictum, quæ nimirum Orientem versùs existit, quæque sat sit pro desuper extruendo Missionis Hospitio, & ædificanda parva Ecclesia atque hortulo, jugera scilicet duo circiter, prout prædium prædictum cum quantitate extrahenda, hac undequaque linea rubra signata ad oculum præbet delineatio, Nobis exhibita, præsentibus nostris annectenda.

Secundò, curabunt econtra illi cum tota Provincia, ad permetipsos ultro oblata, Benefactorum eorum largitionibus ipsam Domum Missionis desuper ædificari, quatuor Patrum Missionariorum atque unius Fratris Laici habitationi congruam & aptam, additis duobus Cubiculis, Hospitibus, seu P. Provinciali usui futuris, præter Refectoriolum,

Cu-

Culinam cum pœnu, Cellam vinariam, & aliud cubile, Bibliothecæ inſerviturum, cumque hortulo ad neceſſitatem, & uſum Culinæ, in ampliorem verò forman ædificium nec extrahi, nec redigi poſſit, quorum inſuper Benefactorum donis, & ſumptibus ſurget pariter ſacellum ſeu parva Eccleſia, tribus ad ſummum Altaribus extructa, Beatæ Virgini Mariæ Auxiliatrici dicanda.

Tertiò. Miſſionariorum numerus ſit ſemper, & in ævum quaternus, Miſſionis Superiore, quem Pater Provincialis ſemper deſignabit, in cenſum ſimul veniente, uno Fratre laico inſuper addito, qui numerus ſine expreſſo noſtro, vel Succeſſorum, & Venerabilis noſtri Capituli conſenſu nullis unquam temporibus augeri, nec minui poſſit.

Quartò. Providebunt porro Monaſteria de Salzburg, & Radſtatt, ſive ipſe Pater Provincialis, & Provincia Miſſionariis prædictis de congrua ſuſtentatione, tum & de ſupellectili, aliiſque neceſſariis ad uſum Sacelli, ſic, ut nec Nobis, Provinciæ noſtræ, vel & ſubditis ipſis de diſtrictu Miſſionis Capucinorum fiant oneroſi, lignis ab igne tantummodo demptis, quæ Nos & Succeſſores Noſtri perpetuis futuris Temporibus ad uſum & neceſſitatem Miſſionis Domûs ſuppeditari mandabimus.

Quintò. Deſignabimus ipſis ad peragendum Apoſtolicæ Miſſionis officium totam Præfecturam Werfenſem, cum adjacenti Præfectura in Biſchoffhoven, Præfecturam in Abbatenau cum illa de Golling, quà hæ omnes latè patent quoad temporalem per Nos eorum Præfectis delegatam juriſdictionem.

Sextò. Quia verò Miſſionarii ipſi tam latum, longèque diſſitum diſtrictum peragrare haud poſſent, ſi excurrentes neceſſariis ad ſe alendos pecuniis non fuerint inſtructi, hinc aſſignamus memoratæ Domui Miſſionis annuos florenos centum ex Capitali, Statibus Provinciæ à ſecreta Deputatione noſtra ex mulctis, hæreticis vel de hæreſi ſuſpectis hactenus indictis conflato, & ad quincunces uſuras cum omnimoda immunitate ab omni decimatione, ſteura, aliove excogitabili onere reali, aut perſonali elocato, volentes inſuper, & mandantes, ut, quæ hactenus per inquiſitiones per Capucinorum Miſſiones factas in Præfecturis Werffen, & Radſtatt, tum & in Præfectura Wagrain indictæ fuerunt, nondum tamen exactæ, vel ad Caſſam Miſſionis tranſmiſſæ, aut, quæ in futurum dictabuntur pecuniariæ pœnæ adversùs ſubditos, Miſſioni eorum commiſſos, per præfatam ſecretam deputationem noſtram ſeparentur, denturque ſucceſſivè in cenſum, ut ſupra, eum præcisè in finem, ut Domui Miſſionis prædictæ ad uſum & effectum, de quibus præmiſſum eſt, annui floreni biſcentum ex decurrendis uſuris valeant titulo Eleemoſinæ perſolvi, ubi temporis tractu mox memoratæ indictæ & non exactæ, vel indicendæ infuturum mulctæ aliud Capitale florenorum bis mille conflabunt.

Septimo. Quod verò ipſoſmet PP. Miſſionarios attinet, præſentabuntur Nobis ſemper tum nunc, tum & ſucceſſivis temporibus deſignandi à Patre Provinciali eorum, ubi verò ad Miſſiones noſtras fuerint ab hoc ſe mel delecti, ablegatique, & à Nobis recepti, & approbati, integrum illi haud ſit eos aliter amovere & avocare, quàm & ſervato ordine & forma, ut vel unus ſaltem ſemper adſit, qui jam per integrum biennium Miſſionarii in Domo prædicta Werffen exercuerit munus, habens ſubditorum perſpectos mores, ſitque in re Miſſionum verſatus, & valeat inſtruere noviter advenientes.

Octavò. Erunt autem iſti cum ipſa Domo Miſſionis quoad ea, quæ Miſſionis munus concernunt, in omne ævum immediatè & unicè noſtris, Noſtrorumque Succeſſorum mandatis ſubjecti, directione tamen, & viſitatione P. Provincialis illæsâ, & intactâ relictâ; in ceteris autem Nobis, & Succeſſoribus noſtris ſine ulla contradictione præſtabunt & adimplebunt ea omnia, ad quæ Regulares exempti, juxta præſcriptum Sacri Concilii Tridentini, noſtrarumque Conſtitutionum Synodalium & Provincialium, & Ordinariis locorum aliàs tenentur, ſalva proinde in hac Miſſionis Domo, & quoad Miſſionarios ibidem exiſtentes, Diœceſana & Ordinaria noſtra juriſdictione, jure Principatûs Terræ & Advocatiæ, ſic tamen, ut Nobis, & Succeſſoribus Noſtris dumtaxat, unicè & immediatè, uti præmiſſum eſt, remaneant ſemper etiam quod iſta ſubjecti.

Nonò. Miſſionariorum Officium, finis, atque præcipua, imò unica cura ſit, per Præfecturas, ut dictum eſt, ipſis deſignatas, inceſſanter de loco ad locum, et, ſi neceſſe viſum fuerit, de domo ad domum excurrendo & cathechizando, Miſſionibus continuò vacare, Rudes in Doctrina Chriſtiana inſtruere, dubitantes in veritate noſtræ Fidei confirmare, in hæreticos, vel de hæreſi ſuſpectos, horum Conſultores, Fautores, Receptatores, librorum Acatholicorum detentores, vel detentorum conſcios & non revelantes, eos in Provinciam ferentes & intrudentes, eorumque auxiliatores, conſcios, & participes inquirere atque denuntiare, Verbum Divinum, & Fidei dogmata ubivis, & etiam ex Cathiedrà (ſic tamen, ut Ordinariorum non diſturbentur Eccleſiaſticæ functiones) intra ipſis deſignatum diſtrictum tradere, ſic & pœnitentiæ Sacramentum (ſolâ demptâ Con-

fessione Paschali, si locorum Curiones ultra non annuant) Sacrosanctam verò Eucharistiam in proprio, vel tantùm Missionis Sacello, alibi verò non nisi, quam accedente ipsorum Curionum consensu administrare, item ægris, & moribundis solatium cum auxilio impendere, aliaque peragere omnia, quæ individuum Missionarii Apostolici munus exigit, jure sepolturæ, aliove quocumque Parochiali semper excepto.

Decimò. Et quia de Religione bene sperari non potest, si y, qui Magistratum Ecclesiasticum, vel Civilem sunt assecuti, moribus scandalosi sint, aut vitiis publicè turpes; eapropter teneantur pariter in vitam, & mores non modò subditorum, ipsis quoad Missionis Ministerium commissorum, sed & eorum, quibus ipsi subditi intra designatum districtum per demandatam â Nobis jurisdictionem subsunt, sedulò invigilare, datoque defectu, Religioni directè vel indirectè pernicioso, si fraterna admonitio eum non tollat, Nobis & Successoribus nostris ad proprias aures referre: eâ ipsâ ratione, quâ ê converso nostris Decanis Ruralibus seriò demandabimus, perspectum habendi, an Missionarii ipsi Missionis muneri debitè incumbant, hocque adimpleant ex asse, quidve adversùs has nostras leges, conditiones, & pacta operentur. Quod si prçter spem omnem nostram contrarium daretur, eos ad adimplendum, & his legibus parendum fraternè moneant; ubi verò nec hâc viâ defectus tollantur, & hos similiter Nobis habeant referre. Præcipuè verò curabunt ipsi Missionarii, ut Ecclesiasticus & Civilis Magistratus concordes vivant, utpote qui, cum non sint duo distincta corpora, sed unius corporis distincta membra, sicut concordia eorum totius Reipublicæ unica est Anchora, quâ sublatâ fluctuant omnia, & Religionis contemptus oritur, sic ea servata tutò firmat, & immotam securitatem promittit.

Undecimò. Ablegabuntur eapropter à Patre Provinciali, & Nobis præsentabuntur Viri tum scientia, tum & sanctimonia vitæ clari, simplicitatem cum astutia commixtam habentes, cordati, sagaces, graves, & prudentes, in Polemica & in his, quæ sunt ad bene formandam hæreticæ pravitatis Iuquisitionem, sufficienter versati, robusti, atque gravissimis Missionis laboribus sustinendis idonei, & apti, quique esse debeant, vel à Sancta Sede Apostolica, vel à Sacra Congregatione de Propaganda Fide approbati, id est, necessariis ad Missiones Apostolicas peragendas privilegiis instructi.

Duodecimò. Ut verò penitus â subditis, ministerio Missionis eorum commissis, sint independentes, vetitum sit Missionariis pro celebratione Missarum eleemosynam ab illis accipere, possint verò â Curatis, & Decurionibus locorum, si hi illis dare velint, & abstinebunt insuper ab omni quæstua, seu collectura in prædicto ipsis designato districtu (hâc integrâ illis, qui hactenus eis in locis ea gavisi sunt, penitus remanente) contenti in Domino esculentis, & poculentis illis, quæ pii largitores ad Hospitii Januam ultro liberaliter, & charitativè detulerint, & pro quibus, si ita visum fuerit, sacrificia peragere possint, signanter autem cavebunt ab omnibus commensationibus cum illis de sæpedicto eis designato districtu.

Decimotertiò. Fas insuper sæpe relatis Missionariis haud sit eis designatum egredi districtum, à Nobis vel Successoribus nostris præviâ non obtentâ licentiâ, quam tamen nonnisi ob gravem causam eis sumus denegaturi.

Decimoquartò. Liberum econtra sit semper Nobis & Successoribus nostris, etsi erigenda Domus Apostolicæ Missionis finem principaliter præseferat, alios etiam, cujuscumque Religionis vel Ordinis, in districtum Missionis Capucinorum designatum, ad Missiones mittere, ipsos autem Missionarios Capucinos alibi ad Missiones (ad tempus tamen) ablegare, fundatione Domûs semper firmâ.

Decimoquintò. Quod si verò Capucinorum Religio, Domus hæc Missionis, seu Missionarii futuris perpetuis temporibus adversus prædictas leges, pacta, & conditiones, quidque per recursum, sive dispensationem, Privilegia, per latas, vel ferendas in contrarium sanctiones, seu & demum per aliam quamcumque viam excogitabilem de mundo, de facto, vel de jure attentare, salubremve intentionem hanc nostram, quæ est, ut penitus ê Provincia nostra eliminentur hæreses, invertere, modjficare, vel aliter huic quoquo demum modo derogare præsumpserint, noverint illæ & isti, se Omnipotenti Deo, Nobis, Successoribus, & Venerabili Capitulo Nostro strictissimam rationem reddituros, seque indignationem nostram, Successorum nostrorum, & præfati Venerabilis Capituli incursuros, sine quorum, & hujus expresso consensu, præmissis legibus, pactis, & conditionibus nemo, quâcumque etiam auctoritate fulgeat, unquam poterit derogare; siquidem derogationem aliquam, modificationem, vel commutationem hujusmodi nostræ piæ intentionis non impetrandi, aut aliter per sese, vel alios quidquam in contrarium non attentandi, quin potius verò prædicta omnia & singula perpetuis futuris temporibus pro posse eorum fideliter, & jugiter adimplendi, sæpe memoratus Pater Provincialis, & Definitores proprio eorum, Successorum, & totius Provinciæ nomine, datis in id & Nobis extra-

traditis Reversalibus solenniter, bonaque fide expromiserunt.

In quorum omnium fidem, & robur accedente toties narrati Venerabilis nostri Capituli consensu has fieri, eidemque Patri Provinciali, & Definitoribus extradi jussimus, subscriptione nostra, & appensione Sigilli nostri majoris munitas. Quæ dabantur Salisburgi in Metropoli nostra hac die prima mensis Aprilis 1736.

Leopoldus &c.

§. 7. Nos quoque Dei gratiâ, Andreas Jacobus, Comes de Dietrichftein, Præpositus, Archipresbyter, Leopoldus Ernestus, Liber Baro de Firmian, Divinâ pariter gratiâ Decanus, Franciscus Maximilianus, Comes de Liechtenstein, Senior, totumque Capitulum Metropoliticæ Ecclesiæ Salisburgensis, fatemur & attestamur omnia, quæ in præsentibus literis continentur, nostro consensu peracta, proindeque perpetuis venturis temporibus observanda esse, pro cujus roboratione Sigillum nostrum Capitulare appendimus, & Nos supra dicti Præpositus, Decanus, ac Senior hasce literas manibus propriis subscripsimus. Datæ Salisburgi die vigesima secunda mensis Maji Anno millesimo septingentesimo trigesimo sexto.

Andreas Jacobus, Comes de Dietrichstein, Præpositus Salisburgensis.

Leopoldus Ernestus, Liber Baro de Firmian, Decanus.

Franciscus Maximilianus, Comes de Liechtenstein, Senior.

Pro PP. Capucinis Civitatis Radstadiensis intra Montanam sitæ per totam nominis ejus Præfecturam.

Nos Leopoldus, Dei gratiâ Archiepiscopus, & Princeps Salisburgensis, S. Sedis Apostolicæ Legatus natus, Primas Germaniæ &c.

§. 8. Ferventibus votis in id unicè intendentes, ut hoste nostro (hæreticos, seditiosos subditos nostros intelligimus) Deo opitulante, jam fugato, is deleatur penitus, ne intrent (ut perhorrescimus) post discessionem nostram novi lupi rapaces, gregi non parcentes, neve hæresis, Herculea veluti hydra, utique cum majore Religionis, ac Regionis nostræ periculo, damnisque continuò repullulet, novasque identidem vires reassumere attentet, auctoritate nostrâ Archiepiscopali, & Principali clementer, & insimul seriò Paternitati Tuæ committimus, quatenus, quæ post ultimam hæreticorum emigrationem in Præfectura nostra Radstadiensi per Patres Ordinis tui S. Francisci Capucinorum tam laudabiliter, tantoque animarum fructu inceptæ, & prosecutæ fuêre Cathecheses, & excursiones, sic instituas, ut omni futurâ ætate perdurent. Volumus siquidem, & Tibi, atque Successoribus tuis, hisce nostris expresse injungimus, quod, cum Monasterium Capucinorum in Radtstatt à Prædecessoribus nostris ad repellendas hæreses principaliter fuisse fundatum dignoscatur, duo semper in eo subsistant ad peragendum Apostolicæ Missionis munus in Præfectura mox dicta idonei, & apti &c. Erunt verò illi

§. 9. Primò. Vel à summo Pontifice, vel à Sacra Congregatione de Propaganda, seu ab eo, cui talis delegabitur facultas, approbati, necessariisque ad Missiones Apostolicas Privilegiis instructi, nec sibi, vel Successoribus tuis integrum erit, postquam illi semel fuerint ad Missiones nostras delecti, eos amovere, nisi, ubi primi integrum absolverint annum, subrogatione, & præsentatione subinde, atque successivis perpetuis temporibus ea ratione faciendâ, ut unus, vel alter saltem adsit, qui jam per annum in præmisso Ordini tuo assignato districtu Missionarii exercuerit munus, notos habeat subditorum, & Incolarum mores, sit in re Missionum practicus, potensque instruere noviter advenientes: & quos pro tempore Missionarios quoad ea, quæ Missionis munus concernunt, immediatè, & unicè nostris, nostrorumque Successorum mandatis, quoad disciplinam Monasticam verò Tibi, & Guardiano eorum volumus, & finimus esse subjectos.

Secundò. Horum Missionariorum porro unica cura erit, incessanter intra prædictum Radtstadiensis Præfecturæ districtum, de loco ad locum, &, si necesse fuerit, etiam de domo ad domum excurrendo, Missionis Apostolicæ munus alacriter explere, cathechizando, rudes in Doctrina Christiana instruendo, reducendo dubitantes ad viam Veritatis, hosque in hac confirmando, in hæreticos, seu de hæresi suspectos, horumque Consultores, Fautores, Receptatores, librorum Acatholicorum detentores, vel detentorum conscios, & non revelantes, eos in Provinciam nostram ferentes, seu intrudentes, horumque auxiliatores, conscios, seu participes inquirendo, hosque & alios hujusmodi farinæ homines Nobis, vel, cui per Nos &

Successores nostros demandabitur, sine aliqua personarum acceptatione, omnique seposito humano affectu, denunciando, Verbum Divinum, & Fidei Dogmata ubivis, & etiam ex Cathedra (sic tamen, ut Ordinariorum non disturbentur Ecclesiasticæ Functiones) intra ipsis designatum præmissum districtum tradendo, sic & Pœnitentiæ Sacramentum (solâ dempta Confessione Paschali, si locorum Curiones ultro non annuerent) Sacrosanctam verò Eucharistiam non nisi, quàm in propria eorum Monasterii Ecclesia, vel alibi, habito in id prædictorum Curionum assensu, administrando, ægris, & moribundis solatium cum auxilio impendendo, atque ea omnia demum peragendo, quæ individuum Missionarii Apostolici exigit munus, jure sepulturæ, alioque quocumque Parochiali semper & ubique Ordinariis locorum reservato.

Tertiò. Volumus insuper, quod ipsi Missionarii in vitam & mores non modò subditorum, ipsis intra prædictæ Præfecturæ fines quoad Missionis Ministerium commissorum, sed & eorum, quibus ipsi subditi ex delegata nostra jurisdictione subsunt, sedulò invigilare teneantur, datoque defectu, Religioni directè, vel indirectè pernicioso, si fraterna admonitio illum non tollat, Nobis & Successoribus nostris ad proprias aures deferre, eâ ipsa ratione, qua econtra nostris demandabimus Decanis ruralibus, perspectum habendi, an Missionarii ipsi Missionis munus debitè adimpleant, & assequantur ex asse, quidve operentur adversùs hæc nostra mandata, Nobis defectus, ubi hos, si aliqui præter spem nostram omnem contigerint, fraterna admonitio non dissipet, debitè relaturis.

Quartò. Quare præsentabuntur semper Viri cum scientia, tum & vitæ sanctimonia clari, justi, incorrupti, integri, suaves. & insimul severi, graves, sagaces, tam in Polemica, quàm in iis, quæ ad promovendam hæreticorum Inquisitionem conducunt, bene versati; Nec accipient illi à subditis, quoad Missionis munus eis subjectis, eleemosynas pro Missis, aliave munera, forent licèt esculenta, poculenta, multò minus adhuc collecturas, seu quæstuas instituent, his & illis cæteris de Monasterio Patribus, ut hactenus habuerunt, illæsis retentis: qui Missionarii insuper perdurante Ministerii eorum prædefinito tempore Radtstadiensem Præfecturam egradi non poterunt, à Nobis, vel Successoribus nostris non præhabitâ licentiâ, eis veruntamen non nisi gravi de causa deneganda.

Quintò. Licèt autem Ordini tuo Apostolicæ Missionis munus in prædicta Radtstadiensi Præfectura privativè committamus, liberum tamen Nobis, & Successoribus nostris esse volumus, alios quoque alterius Religionis Viros in Radtstadiensem districtum ad tempus mittere, Missionarios de districtu verò alibi etiam, & extra illum ad Missiones, pariter tamen ad tempus, ablegare, Missione pro Patribus tui Ordinis veruntamen in Radtstadiensi districtu harum tenore semper fixâ, & in suo robore firmâ manente.

Curabit proinde Paternitas Tua, tuique Successores omnes, perpetuis futuris temporibus, ut tam salutare nostrum propositum alacriter exequantur, utque in partem Pastoralis nostræ sollicitudinis vocati ritè, & jugiter expleant hæc nostra mandata; Quod si in adimplendis ex asse omnibus præscriptis, negligentes: incurii, segnesve fueritis, Omnipotenti Deo, Nobis, Successoribus nostris, atque venerabili Capitulo nostro districtam reddituros rationem, vosque nostram, horumque indignationem noveritis incursuros.

Actum Salisburgi in Metropoli nostra hac die 14. mensis Martii Anni 1737.

Leopoldus &c.

Pro Patribus Capucinis Monasterii in Dambsweg, Vallis Lungaviæ, ad confines Carinthiæ, per totam Præfecturam Mosheimensem.

Nos Leopoldus, Dei gratiâ Archiepiscopus, & Princeps Salisburgensis, Sanctæ Sedis Apostolicę Legatus Natus, Primas Germanię &c.

Noverit Paternitas Tua, quàm vesana, proterva, hæretica pravitas caput suum in hac Provincia nostra non ita pridiem extulerit, quàmque insanis conatibus, abjectâ prorsus fronte, emotaque mente contra ipsam Principalem dignitatem nostram damnabiliter insurgere non dubitaverit; & noverit quoque, quanto Pastoralis animi nostro dolore palam jam grassante hæresi, armata etiamnum vi obsistere fuerimus coacti, viginti & ultra ê Provincia pulsis millibus Lutheri, aliorumque hæresiarcharum colluvie, peste simul, & exitio involutis. Quia verò statuimus firmissimè toto virium nisu hostem adhuc latitantem tamdiu persequi, donec, quod Prædecessores nostri voluêre semper, potuêre nunquam, extremâ internecione per Dei gratiam penitus extinxerimus, hinc de tua sollicitudine, vigilantia, & cura concreditas nostras oviculas sub unius Pastoris ovili jugiter continendi clementer confisi, cumque Capucinorum Monasterium in Oppido nostro Dambsweg à Prædecessoribus nostris ad arcendam à Regione

nostra

nostra hæresis luem principaliter fundatum esse dignoscatur, & Patres hujus in participium tam gloriosi operis vocare, eisdemque perpetuum Apostolicæ Missionis munus in Præfectura nostra Lungaviæ, quà hæc latè quoad temporalem jurisdictionem patet, clementissimè committere, tenore præsentium decrevimus. Volumus eapropter, & Paternitati Tuæ seriò mandamus, quatenus.

§.10. Primò. Duo Nobis præsententur Patres de Familia Monasterii in Dambsweg, ad præfatum Apostolicæ Missionis Ministerium ritè obeundum idonei, & Apostolici, vel à summo Pontifice, vel à Sacra Congregatione de Propaganda fide, seu ab eo, cui ab hac talis delegabitur facultas, approbati, necessariisque ad Missiones Apostolicas privilegiis instructi, nec Tibi, Successoribusque tuis integrum sit, postquam illi semel fuerint ad Missiones nostras delecti, eos amovere, nisi, ubi primi integrum absolverint annum, subrogatione, subinde, atque successivis perpetuis temporibus eâ ratione faciendâ, ut unus, vel alter saltem adsit, qui jam per annum in præmisso Ordini tuo assignato districtu Missionarii exercuerit munus, notos habeat subditorum, & Incolarum mores, sit in re Missionum practicus, potensque instruere noviter advenientes: & quos pro tempore Missionarios quoad ea, quæ Missionis munus concernunt, immediatè & unicè nostris, nostrorumque Successorum mandatis, quoad disciplinam monasticam verò Tibi, & Guardiano eorum volumus, & finimus esse subjectos.

Secundò. Horum Missionariorum porro unica cura erit, incessanter intra prædictum Lungaviensis Præfecturæ districtum de loco ad locum, &, si necesse fuerit, etiam de domo ad domum excurrendo, Missionis Apostolicæ munus alacriter explere, cathechizando, rudes in Doctrina Christiana instruendo, reducendo dubitantes ad viam veritatis, hosque in hac confirmando, in hæreticos, seu de hæresi suspectos, horumque consultores, fautores, receptatores, librorum Acatholicorum detentores, vel detentorum conscios, & non revelantes, eos in Provinciam nostram ferentes, seu intrudentes, horumque auxiliatores, conscios, seu participes inquirendo, hosque, & alios hujusmodi farinæ homines, Nobis, vel cui per Nos, & Successores nostros demandabitur, sine aliqua Personarum acceptatione, omnique seposito humano affectu, denunciando, Verbum Divinum, & Fidei Dogmata ubivis, & etiam ex Cathedra (sic tamen, ut Ordinariorum non disturbentur Ecclesiasticæ functiones) intra ipsis designatum præmissum districtum tradendo, sic & Pœnitentiæ Sacramentum (solâ demptâ Confessione Paschali, si locorum Curiones ultro non annuerent) Sacrosanctam verò Eucharistiam, nonnisi, in propria eorum Monasterii Ecclesia, vel alibi, habito in id prædictorum Curionum assensu, administrando, ægris & moribundis solatium cum auxilio impendendo, atque ea omnia demum peragendo, quæ individuum Missionarii Apostolici exigit munus, jure sepulturæ, alioque quocumque Parochiali, semper & ubique Ordinariis locorum reservato.

Tertiò. Volumus insuper, quod ipsi Missionarii in vitam, & mores non modò subditorum, ipsis intra prædictæ Lungaviæ fines quoad Missionis Ministerium commissorum, sed & eorum, quibus ipsi subditi ex delegata nostra jurisdictione subsunt, sedulò invigilare teneantur, datoque defectu, Religioni directè, vel indirectè pernicioso, si fraterna admonitio eum non tollat, Nobis, & Successoribus nostris ad proprias aures deferre; eâ ipsâ ratione, qua econtra nostris demandabimus Decanis ruralibus perspectum habendi, an Missionarii ipsi Missionis munus debitè adimpleant, & assequantur ex asse, quidve operentur adversùs hæc nostra mandata, Nobis defectus, ubi hos, si aliqui præter spem nostram omnem contigerint, fraterna admonitio non dissipet, debitè relaturis.

Quartò. Quare præsentabuntur semper Viri cum scientia, tum & vitæ sanctimonia clari, justi, incorrupti, integri, suaves, & insimul severi, graves, sagaces, tam in Polemica, quàm in iis, quæ ad promovendam hæreticalem Inquisitionem conducunt, bene versati; nec accipient illi à subditis, quoad Missionis munus eis subjectis, eleemosynas pro Missis, aliave munera, forent licèt esculenta, & poculenta, multò minus adhuc collecturas, seu quæstuas instituent, his & illis cæteris de Monasterio Patribus, ut hactenus habuerunt, illæsis retentis; qui Missionarii insuper perdurante Ministerii eorum prædefinito tempore Lungaviensem Præfecturam egredi non poterunt, à Nobis, vel Successoribus nostris non præhabitâ licentiâ, eis veruntamen non nisi gravi de causa denegandâ.

Quintò. Licèt autem Ordini tuo Apostolicæ Missionis munus in prædicta Lungaviensi Præfectura privativè committamus, liberum tamen Nobis, & Successoribus nostris esse volumus, alios quoque alterius Religionis Viros in Lungaviensem districtum ad tempus mittere, Missionarios de districtu verò alibi etiam, & extra illum ad Missiones, pariter tamen ad tempus, ablegare, Missione pro Patribus tui Ordinis veruntamen in Lungavia prædicta, harum tenore semper fixâ, & in suo robore firmâ manente.

Curabit proinde Paternitas tua, tuique Successores omnes, perpetuis futuris temporibus, ut tam salutare nostrum propositum alacriter exe-

exequantur, atque in partem Pastoralis nostræ sollicitudinis vocati, ritè & jugiter expleant hæc nostra mandata. Quod si in adimplendis ex asse omnibus præscriptis negligentes, incurii, segnesve fueritis, Omnipotenti Deo, Nobis, Successoribus nostris, atque venerabili nostro Capitulo districtam reddituros rationem, vosque nostram, horumque indignationem noveritis incursuros. Actum Salisburgi in Metropoli nostra hac die 14. mensis Martii Anni 1737.

Leopoldus.

Præinserta autem Capitula, Regulas, & leges, postquam præfatus Leopoldus Archiepiscopus condidisset, & ad dilectos Filios modernos memorati Ordinis, & Instituti respectivè Superiores, ut admitterent, exciperent, & accepta haberent, proposuisset, iidem moderni Superiores, eâ, quâ par erat, animorum consensione, & obedientiâ, jam accepta, & rata habuerunt, ad Nos etiam transmisit, suppliciter rogans, ut ea approbare, & confirmare dignaremur. Nos verò illa, ut quoad omnes partes prius accuratissimè examinarentur, ad Congregationem Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium negotiis propagandæ Fidei præpositorum remisimus.

Porro Congregatio prædicta tam institutione Missionum prædictarum, quàm Capitulis, regulis, & legibus hujusmodi maturo examine perpensis, ad Nos retulit, æquum esse, ut piis ejusdem Leopoldi Archiepiscopi votis, & precibus obsecundantes, præfata omnia tanquam proficua, & salutaria approbaremus, & Apostolicæ Auctoritatis nostræ munimine roboraremus.

Nos itaque eumdem Leopoldum Archiepiscopum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de ejusdem Congregationis Cardinalium consilio, non solùm Institutionem Missionum, ab ipso Leopoldo Archiepiscopo susceptam, statutamque, verùm etiam præinserta capitula, regulas, & leges, ac signanter omnes, & singulas assignationes ab eodem Leopoldo Archiepiscopo pro Missionum hujusmodi manutentione factas, ut præfertur, & ab Archiepiscopis Salisburgensibus Successoribus suis, perpetuis futuris temporibus omnino servandas, Auctoritate Apostolica, tenore præsentium, perpetuò approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, omnesque, & singulos juris, & facti, ac solemnitatum quarumcumque defectus, si qui desuper in illis quomodolibet intervenerint, dicta auctoritate supplemus, & sanamus,

Insuper Missionarios tam ab ipso Leopoldo Archiepiscopo jam designatos, & nominatos, quàm sive ab ipso etiam, sive suis Successoribus in posterum juxta Capitula, regulas, & leges præinsertas designandos, & nominandos, semper Apostolicos Missionarios dici, vocari, & esse, eadem auctoritate decernimus, eisdemque Missionariis, ut omnibus, & singulis privilegiis, honoribus, prærogativis, & exemptionibus, quibus hujusmodi Apostolici Missionarii tam de jure, usu & consuetudine, quàm aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur, & gaudent, aut uti, frui, & gaudere possunt, & poterunt in futurum, pari modo uti, frui, & gaudere liberè, & licitè possint, & valeant, auctoritate prædicta concedimus, & indulgemus.

Volumus quoque, ut Missionarii sic, ut præmittitur, instituti, ac deinceps in prædicta Dioecesi instituendi, tam eidem Leopoldo moderno, quàm pro tempore existentibus Archiepiscopis Salisburgen quoad regimen & directionem in iis, quæ ad exercitium Missionis pertinent, subjacere, eisque omnino parere debeant, ac necessarias facultates ad Missiones prædictas exercendas ab eisdem Archiepiscopis, juxta eis tributam, & deinceps singulis quinquenniis per organum memoratæ Congregationis Cardinalium renovandam, mediante formulâ tertiâ præfatarum facultatum, auctoritatem, in totum vel in partem, sicut eisdem Archiepiscopis magis in Domino expedire videbitur, recipiant, servatâ semper eorumdem Archiepiscoporum tam circa facultates, quàm circa loca, & tempus easdem exercendi moderatione, nullo verò modo extra fines suæ respectivè Missionis iis uti queant, ad quam donec, & quousque pervenerint, nullâ prorsus exemptione, & privilegio gaudere possint.

Hortamur demum paternè simul, & efficaciter eosdem Archiepiscopos, ne graventur quolibet quinquennio, nempe cum renovari sibi prædictæ formulæ tertiæ facultatem postulabunt, Nos, seu Romanum Pontificem pro tempore existentem per organum ejusdem Congregationis de fructu, & progressu dictarum Missionum certiorare, salvâ tamen in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore

fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, pleniſsimè ſuffragari, & ab eis reſpectivè inviolabiliter obſervari; ſicque in præmiſſis per quoſcumque judices Ordinarios & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, ſublatâ eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari & definiri debere, ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his â quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon Civitatis, & Diœceſis Salisburgenſis, ac prædicti Ordinis, aliiſve quibuſvis, etiam juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XII. Januarii MDCCXXXIX. Pontificatus Noſtri Anno nono.

Ex Bullario Romano Tom. XIV. *Editionis novæ â fol.* 340.

NOTA.

COnſultò, ceu ad rem Capucinam non facientia omiſſa ſunt ea, quæ Miſſiones tum RR. PP. Ordinis Sancti Auguſtini in Præfectura Hallenſi, & Monte Turnberg, â Salinarum Foſſoribus inhabitato, tum RR. PP. Ordinis Sancti Benedicti, in loco Schivarzachii pro Præfecturis ad S. Joannem, Wagrain, Groſſar, Gaſtein, Goldegg, & ad S. Vitum, tum RR. PP. Ordinis S. P. Franciſci, Recollectis nuncupatis in loco Hunſdorff circa Præfecturas Taxenbacenſem, Raurenſem, & Zellenſem, ab eodem altè & ſæpefato Principe Archiepiſcopo conceſſas concernunt, & in iiſdem litteris Apoſtolicis extenſè enarrantur, cum caſu exigente, in citato Bullarii Romani Tomo facili negotio reperiri poſſint.

PRO-

PROVINCIA
B A V A R I C A.

I*Nter alia pietatis monumenta, quibus Serenissima Domus Bavarica praecelsa sua de Ecclesia Dei merita adaugere non cessat, illud minimum censeri haud debet, quod, postquam Sanctis, Anathematum miraculis inclita Templa, & Odea, Episcopia Praelatis, Canonicis Cathedras, Sanctuaria Sacerdotibus, Peregrinis Xenodochia, aegris Nosocomia, miseris Gerontotrophia &c. magnifico sumptu condidit, etiam Religiosis Ordinibus augusta excitaverit Domicilia, ita,* ut tota Regio nil nisi Religio, & unum quoddam gentis Templum, *celebri Bavariae Sanctae auctore Radero, teste & praecone,* videatur. *Habet noster Sacer Ordo piissimae & munificae hujus erga Regulares dignationis palmare exemplum, cum praeter Coenobia extra Boicae terrae limites eidem constructa, & praeter Ecclesias Sacro ornatu, vagâque Supellectile hinc inde adornatas, in ipso Electoralis Ditionis sinu tres Conventus, illum videlicet Monachii, Landishuti, & Straubingae solo suo aere â fundamentis erexerit, & aliorum fabricas liberali dispendio ita adjuverit, ut florentem impraesentiarùm constituant Ordinis Provinciam.*

Nec domos autem, nec Ecclesias, Fratres otiosae asceseos voluêre sibi esse Delubra, in utrisque explent, quod eorum fundationis est scopus. Sunt Ecclesiae illorum felix Sacrarium, in quo praeoccupant faciem Dei in confessione, & in psalmis jubilantes offerunt orationes suas in expiationem populi. Sunt Ecclesiae illorum Evangelica illa Piscina, ad quam infinitus congregatur populus, qui motâ compunctionis aquâ Sacramento regenerationis lavatur, & gratiâ Salutis potitur. Sunt gloriosae Palaestrae, in quibus alii erudiuntur ad Fidem, alii invitantur ad Orationis exercitium, alii in virtutis exercentur officiis. Sunt & illorum Conventus publicum asylum & Jatrion, ubi pusillanimis recipit solatia, miser auxilia, & gens cuncta Charitatis praesidia.

Nec inter angustos Domuum & Ecclesiarum muros clausi laborant, excurrunt Evangelizantium pedibus, sacri lucri avidissimi, in campos, & Missiones, ab aliis ob Incolarum inopiam neglectas excolunt, non quaerentes, quae sua, & turpis lucri sunt, sed quae Jesu Christi. Discurrunt per amplas Electoralis Ditionis Paraecias, & in iis non solùm diebus Dominicis, & Festis, verùm etiam per quadragesimam ex Sacro Ambone Populum erudiunt ad salutem. Tenet Ecclesia Cathedralis Eustadiensis Fratrem, qui Poenitentiarii partes in ea adimplet, & populi conscien-

tiam

tiam ordinariâ provisione moderatur : Videt Nymphenburgum, quod Serenissima Domus Bavarica suum deliciarum locum fixit, Fratres nostros obsequio Aulæ destinatos & præelectos Sacellanos : Respicit ubique Bavaria illos ceu Ministros, missos ad se propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis, & laboriosæ virtutis impendio ita occupatos, ut desideria populi longè superent: Laudat adhuc Monachium, cum aliis Locis zelum Fr. Albani Monacensis, & Pactum Marianum, seu B. V. Mariæ Auxiliatricis ab eo institutum memorat. Opus Fratrum nostrorum esse Confraternitatem de perpetua Sanctissimæ Eucharistiæ adoratione, nuntiat ibi Ecclesia Parochialis S. Petri. Vidit non semel Bavaria Fratrum nostrorum charitatem ita incensam, ut animas suas pro amicis ponere non dubitaverint, vidit novissimè, grassante per Provinciæ viscera bello, & Lue epidemicâ, eos in ægrorum obsequio ita sollicitos, ut intra triennii terminum centum & quinquaginta Fratres gloriosi charitatis Martyres obierint.

Viros dum Ordo Bavariæ dedit Spirituali suo commodo ita intentos, dedit & Bavaria Ordini Viros, tum ipsius Ordinis, tum in Ordine Provinciæ bona curantes: Multiplicavit *ea* quasi Jordanis in tempore messis *Fr. Jordanus Wasserburgensis, dum Provincialis, Consultoris & Definitoris Generalis officia eximiâ virtute gessit, & tum odore Suavitatis, quâ Romæ quiescit, tum Libris, quos publico prælo dedit, celebrem posteris sui memoriam reliquit. Hanc & meruêre FF. Adrianus à Wildenau, & Conradus Monheimensis, quorum primus ex Illustrissima Comitum de Aham Stirpe oriundus, ternâ vice Provinciæ Præfecturam administravit, vitæ suæ seriem ad omnigenæ virtutis amussin duxit,* & timens Dominum in die Defunctionis fuit benedictus : *Alter verò in sæculo publicus Jurium Ingolstadii Doctor, & in Ordine Provincialis, doctrinam eâ pietate conjunxit & prudentiâ, ut, dum in publico thesium certamine paucis suos vincebat antagonistas, victos absque ullo eorum rubore è labyrintho reduceret, & dubium reliquerit, an ex virtute, quâ exemplar fuit, Sanctior, an ex facundia, quâ oraculum audiit, doctior extiterit?*

Concurrunt & ad Provinciæ decus exteri & celebres Ordinis Viri, dum vel suo incolatu vel gubernio eam honestârunt. Diutius in illa perstitit Ven. Dei Servus, Fr. Laurentius à Brundusio, Visitatoris officio fungens, quem Serenissimus Dux Maximilianus, teste prædicto Radero tom. 4. Bavariæ illustr. fol. 169. magnopere suspexit, & coluit, cujus Missæ, ad tertiam nonnunquam horam in crypta nostra protractæ, ipse Princeps inserviit, & à quò Fata de Domo Bavarica à B. V. Maria eidem revelata audivisse traditur, quæ nostra ætas forsan completa esse compatiens conspexit.

Fr. Remigii à Bozzuolo, Monachii Guardiani merita idem Raderus in dicto Tomo fusè describit, & breviter memorat Tomus Bullarii secundus fol. 254.

Nec Serenissima Domus, nec Provincia unquam obliviscentur Fr. Hyacinthi à Casali, dum enim prima, illius operâ, Electorali Dignitate, juxta legenda in Tomo Bullarii tertio fol. 246. decorata, altera ejus exemplo variè ædificata est.

Fr. Marci ab Aviano nomen adhuc ibidem clarescit, & dum Vir Sapiens *illam* benedictionibus *implevit, ij, qui harum prodigia viderunt, illum* laudant incessantes.

Continet Provincia Conventus Fratrum XXVI.
Residentias XI.
Monasterium Monialium I.

Ven. Dei Servum Fr. Laurentium à Brundusio, apud Sereniſſimum Ducem Maximilianum morari, à ſe jam conceſſum eſſe, eidem Duci renuntiat.

A tergo: *Dilecto Filio, Nobili Viro, Maximiliano, Duci Bavariæ.*

PAULUS PAPA V.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

SIcut à Nobis poſtulavit Nobilitas Tua, poteſtatem fecimus dilecto Filio, Laurentio Brunduſino, Ordinis Capucinorum ex Hiſpaniis remeanti, manendi apud Te. Valdè deſideramus in omnibus, quæ cum Domino poſſumus, Tibi gratificari, potiſſimum autem in his rebus, quibus pietatem, & religionem tuam foveri, & adjuvari poſſe exiſtimamus. Dominus Tibi cuncta proſpera, atque ſecunda concedat, & Nos Nobilitati Tuæ peramanter benedicimus.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris PridieIdus Decemb. MDCIX. Pontificatus noſtri Anno quinto.

Petrus Stroza.

Ex Archivo Vaticano ſecreto Regeſto Brevium ad Principes *Menſ. & Anni præd. Epiſt.* 233.

Pietatem Ejuſdem Sereniſſimi Ducis, Fr. Felicis à Cantalicio Beatificationem ſollicitantis commendat.

A tergo. *Dilecto Filio, Nobili Viro, Maximiliano, Duci Bavariæ.*

PAULUS PAPA V.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

ACcepimus litteras Nobilitatis Tuæ, quas de negocio Beatificationis bonæ memoriæ Felicis, Fratris Ordinis S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum ad Nos dediſti, & licèt Tibi gratificari pro tuis ſingularibus meritis, & noſtra in Te paterna charitate magnopere deſideremus, tamen, quoniam negocii gravitas ita poſtulat, cum tanti momenti ſit, quid fieri oporteat, ſedulò conſiderabimus. Interea tuam ſingularem pietatem, & honoris Dei zelum, ut par eſt, commendamus, Deumque precamur, ut pro ſui Nominis gloria tuæ iſti ſollicitudini, Chriſtiano Principe dignæ, omnia Tibi bona retribuat.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die XI. Maii milleſimo ſexcenteſimo decimo octavo, Pontificatus noſtri Anno tertiodecimo.

Petrus Stroza.

Ex Archivo ſecreto Vaticano Regeſto Brevium ad Principes *anni præd. fol.* 355. *à tergo.*

Litteras à Fr. Laurentio à Brunduſio ſibi conſignatas eſſe, eidem Sereniſſimo Duci ſignificat.

A tergo: *Dilecto Filio, Nobili Viro, Maximiliano, Duci Bavariæ.*

PAULUS PAPA V.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

PRo ſingulari amore, quo Nobilitatem Tuam in viſceribus Chriſti proſequimur, gratiſſimum Nobis ſemper accidit, quoties evenit, ut de Te, aut de tuis ſecundis rebus nuncium accipiamus. Quare perjucundus fuit Nobis adventus dilecti Filii, pii, ac prudentis Viri Laurentii Brunduſini, Fratris Ordinis Capucinorum, qui Nobis litteras tuas reddidit, & de tua optima valetudine, deque continuo ſtudio tuo in protegenda Catholica Religione, quæ maxime deſiderabamus, Nobis renunciavit. Te à Nobis unicè diligi ob tuas præſtantiſſimas virtutes, & ob filialem pietatem, & obſervantiam, quam in Te experti ſumus, ut omnino credas, crebròque id à Te in mentem revocari deſideramus, & benedictionem noſtram Apoſtolicam Nobilitati Tuæ peramanter impartimur.

Datum Romæ apud S. Marcum &c. Kal. Junii MDCXIII. Pontificatus noſtri Anno nono.

Ex Arch. prædicto Regeſto 58. *fol.* 112.

In

In negotio à Fr. Alphonso exposito se gratificatum esse, Duci Gulielmo respondet.

A tergo: *Dilecto Filio, Nobili Viro, Gulielmo, Duci Bavariæ.*

PAULUS PAPA V.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, salutem & Apostolicam Benedictionem.

IN hiis, quæ nobiscum egit dilectus Filius Alphonsus, Ordinis S. Francisci Capucinorum, Provinciæ istius Alumnus, ad Nos ablegatus, quantùm cum Domino potuimus, Nobilitati Tuæ gratificati sumus, sicut ex ipso cognosces. Verum quidem est, Nos pro nostra in Te paterna dilectione, tuisque singularibus meritis nihil unquam tuâ causâ facere, quod nostrum Tibi rem gratam agendi desiderium impleat, præsertim cum de tua eximia pietate alenda, atque augenda res est. Dominum Nobilitati Tuæ, tuisque desideriis propitium optamus, ipsumque precamur, ut Te continua cœlestis suæ gratiæ protectione custodiat, & ab omnibus adversitatibus tueatur.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die decima octava Junii millesimo sexcentesimo decimo octavo. Pontificatus nostri Anno tertiodecimo.

Ex Arch. Vaticano secret. Regesto Brev. ad Principes *diversorum annorum fol.* 348.

Apostolicis Litteris, ratione Habitûs ad Fratrum nostrorum favorem emanatis, RR. PP. Ordinis S. P. Francisci Reformatos Bavariæ non affici declaratur.

PRO Fratribus Reformatis S. Francisci de Observantia, Provinciæ Bavariæ petentibus declarari, se non esse comprehensos in literis, in forma Brevis à SS. D. N. super Habitu deferendo per Fratres Reformatos S. Francisci, emanatis sub die x. Januarii MDCXXIV. ad instantiam Fratrum Capucinorum.

Sanctissimus Dominus Noster habitâ relatione, & visis litteris Episcopi Frisingensis, in quibus testatur dictos Fratres Reformatos Provinciæ Bavariæ gestare Habitum distinctum, & diversum à Fratribus Capucinis quoad rotunditatem Capucii, & latitudinem mozzettæ, ac etiam quoad Calcepodia, & quod iidem Fratres barbam non alunt, ac eorum Provincia per similes litteras Sanctitatis Suæ in forma Brevis sub Datum prima Martii præsentis anni fuit erecta similis, & adinstar eorundem Fratrum Reformatorum Discalceatorum nuncupatorum Regnorum Hispaniarum, declaravit præfatos Fratres Reformatos Bavariæ non comprehendi sub dispositione supradictarum literarum in forma Brevis ad instantiam Fratrum Capucinorum emanatarum, dum tamen omnia supradicta narrata vera sint, & ab ipsis Fratribus Reformatis etiam inposterum observentur. Voluit nihilominus Sanctitas Sua per hujusmodi declarationem nullum præjudicium inferri, nec derogatum censeri supradictis litteris in forma Brevis, in favorem eorundem Capucinorum emanatis, nec illarum observantiæ, quoad alios Fratres, in eisdem literis comprehensos Romæ &c. XXII. Junii MDCXXV.

Cardinalis Bandinus.

Exempl. in Arch. generali Ord. Armario Provincia Bavariæ.

Domos seu Conventus Bavariæ à Provincia Tyrolensi separari &c. P. Ministro Generali committit.

CLEMENS PAPA IX.

Dilecte Fili salutem, & Apostolicam Benedictionem.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti Filii, Fratres Provinciæ Tyrolensis &c., *æquè harum Litterarum residuum, ac alias litteras, quibus hujus divisionis executio P. Hyacinto à Casali &c. fuit commissa, vide cum divisionis instrumento supra fol.* 130. 131. *& seq.*

Punctum paritatis votorum, quam Provinciæ in Comitiis Generalibus concedi, Serenissimus Elector Ferdinandus postulavit, maturiùs examinandum, & P. Ministro Generali novas Domos sine recursu ad S. Sedem adinterim recipiendi facultatem à se tribuendam esse, respondet.

A tergo: *Dilecto Filio, Nobili Viro, Ferdinando Mariæ, Duci Bavariæ, S.R.I. Principi Electori.*

CLEMENS PAPA X.

Dilecte Fili, Nobili Vir, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

SEdula officia, quibus Nobilitas Tua Fratribus Capucinis Bavaricæ, ac Tyrolensis Provinciæ suffragatur, illius indices pietatis sunt, quæ præcipuè inter decora, quibus insigniris, jure sibi optimo vindicat principatum. Gratificari quocirca Nobis ipsis reputabimus, precibus, ubi dabitur tuis, indulgere. Hujusce tamen erga Te propensionis nostræ ductum sequi non possumus in præsentia Custodum, suffragiorumque paritatem in divisis Provinciis stabiliendo. Cum enim huic consilio ê directo adversetur nuperum fel. rec. Decessoris nostri Decretum, accurato res examine pensanda Nobis profectò fuerit.

Consulturi verò præjudiciis, quæ Fidei orthodoxæ propagationi evenire fortasse possent ex ratardata novorumConventuum erectione, tuis annuentes votis, prædictorum Capucinorum Generali subjectas sibi Provincias visitaturo facultatem impartiemur, quoties id divino cultui amplificando opportunum duxerit, novas istis in Regionibus sui Ordinis Stationes erigendi, quas scilicet Catholicæ Religionis incremento admodum profuturas eximia in hunc scopum Religionis universæ studia Nobis prorsus pollicentur.

Optatis autem insuper tuis de non adjungendis Provinciæ Tyrolensis Conventibus, eidem Generali, seu alii cuilibet Commissario in Germaniam profecturo, expresse injungemus, ut in hac re, quantùm fieri poterit, Nobilitati Tuæ obtemperare curet. Ut prædictam FF. Capucinorum Religionem continenti patrocinio foveas, ex animo interim cupimus, Tibi, dilecte Fli, Apostolicam Benedictionem ex omni cordis nostri sensu impertientes.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris 1. Augusti MDCLXXI. Pontificatus nostri anno secundo.

Marius Spinula Secret.

Autog. in Secret. Brev. ad Princ. *reg. mens. & anni præd. fol. 55.*

Eodem argumento.

A tergo: *Dilectæ Filiæ in Christo, Nobili Mulieri, Adelaidi, Ducissæ Bavariæ, Ferdinandi Mariæ, Ducis Bavariæ & S. R. I. Principis Electoris Conjugi.*

CLEMENS PAPA X.

Dilecta in Christo Filia, Nobilis Mulier, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

POntificiæ charitatis solatia sunt accuratæ commendationes Nobilitatis Tuæ, rationibus Patrum Capucinorum Bavaricæ, nec nec Tyrolensis Provinciæ suffragantes, in iis enim præclaris expressa votis illius elucet præstantia pietatis, quæ divini cultûs in amplificationem sedulò incumbenti voluntatem Tibi nostram apprimè conciliat. Huic autem, quantùm cum Domino possumus, respondere exoptantes, diligentiori reservantes examini Custodum suffragiorumque paritatem à prædictis Patribus in divisis Provinciis, necnon in dividendis expetitam (nupero scilicet fel. rec. Decessoris nostri in contrarium Decreto id à Nobis prorsus exigente) necessariam in præsentia eorumdem Generali subjectas sibi Provincias visitaturo facultatem impertiemur, ad novos sui Ordinis Conventus, ubi sic ad Orthodoxæ Fidei propagationem opportunum duxerit, absque aliquo Apostolico Diplomate istis in Regionibus erigendos; Te enim adjuvante uberrimam ad Catholicæ Religionis incrementum ab eximiis tantorum in Vinea Domini Operariorum laboribus omnino Nobis messem pollicemur.

Tuis insuper votis de non adjungendis Provinciæ Tyrolensi Conventibus in Bavariæ Provincia existentibus indulturi, prædicti Ordinis Generali, seu Commissario istuc profecturo mandamus, ut in hoc negotio, quò maximè potuerit, Nobilitati Tuæ morem gerere studeant, cui propitium interea, faventemque bonorum omnium Auctorem Deum precamur

camur, atque Apostolicam Benedictionem ex omni cordis nostri sensu impertimur.

Datum Romæ *ut supra*.

Autog. ubi supra fol. 59.

Decretum S. Congregationis de nova Fratrum Domo in Civitate Erdingana fundanda, instante Serenissimo Electore Maximiliano Emanuele confirmat.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

EManavit nuper à Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet = In Causa Frisingen. erectionis novi Conventûs Fratrum Capucinorum S. Francisci, in Civitate Erdingana, ejusdem Diœcesis; Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, ad quam Sanctissimus Dominus noster hujusmodi causæ cognitionem iterum benignè remisit, visis, & accuratè perpensis rationibus ab Ordinario Frisingensi deductis in ejus literis ad Nuntium Coloniæ residentem datis sub die 26. Aprilis proximè præteriti, referente Eminentissimo Acciajolo, censuit, ac decrevit per Ordinariummet deveniendum esse ad fundationem, & erectionem petitam Conventûs dictorum Fratrum Capucinorum; Non obstantibus &c. Romæ 17. Julii 1693. = F. Cardinalis Carpineus. A. Altovitus Secretarius. = Loco ✠ Sigilli.

Cum autem, sicut dilectus Filius, Nobilis Vir, Maximilianus Emanuel, utriusque Bavariæ Dux, Sacri Romani Imperii Princeps Elector, Nobis per dilectum Filium Abbatem Pompejum de Scarlattis, suum Consiliarium intimum statûs, & in Romana Curia Administrum subinde exponi fecit, dictus Maximilianus Emanuel Dux, Decretum hujusmodi, quò firmius subsistat, & servetur exactiùs, Apostolicæ nostræ confirmationis patrocinio communiri plurimùm desideret: Nos ejusdem Maximiliani Emanelis Ducis votis hac in re, quantùm cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque à quibusvis &c. censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum, Auctoritate Apostolica, tenore præsentium approbamus & confirmamus, illique inviolabiiis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salvâ tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium. Decernentes easdem præsentes Litteras firmas, validas & efficaces existere, & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & spectabit in futurum, plenissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari, sicque in præmissis per quoscumq; Judices &c. Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum &c. attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscator., die XXXI. Julii MDCXCIII. Pontificatus nostri Anno tertio.

I. F. Card. Albanus.

Autograph. in Archiv. Secret. Brev. Apost. Reg. mens. & anni præd. fol. 83.

Conventus Franconiæ à Provincia separat, & separationis instrumentum confirmat.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

INjuncti Nobis Divinitùs Sacrosancti Apostolatùs Officii ratio exigit, ut paternam Christi Fidelium, qui è fluctibus sæculi in portum Religionis sub arctioris vitæ instituto confugerunt, curam gerentes, ad ea, per quæ felici, prosperoque illorum regimini, & gubernio consulitur, libenter intendamus, Pastoralisque muneris Nostri partes propensâ desuper charitate interponamus, sicut locorum, Personarum, rerum, & temporum qualitatibus maturè pensatis, ad Omnipotentis Dei gloriam, ac Religionis incrementum expedire in Domino arbitramur.

Exponi siquidem Nobis nuper fecit Dilectus filius modernus Procurator, & Vicarius Generalis, Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupatorum, quod, cum Nos aliàs, nempe anno MDCCIX. negotium petitæ Divisionis Provinciæ Franco-Bavaricæ dicti Ordinis, quæ ex Nationibus Bavarica, Franconicâ, Svevicâ coalescit, & computatis Conventibus, Conventuum fabricis, Hospitiis, ac Missionibus sexdecim in Bavariâ, undecim in Franconia, sex in Svevia, septem

tem in Palatinatu, & unum Eustadii loca habet, ad Capitulum Generale ejusdem Ordinis die XVII. Maji ejusdem anni celebratum examinandum remisissemus, ibique auditis hinc inde Fratrum tam Bavarorum, quàm Francorum super divisione hujusmodi ab eis postulata petitionibus, decretum fuisset, ut Commissarius Generalis ad dictam Provinciam deputaretur, qui super dicta divisione omnes ejusdem Provinciæ Religiosos audiret, Principum, ac populorum sensus exploraret, & divisionis hujusmodi necessitatem examinaret, ac, quatenus ea evitari non posset, illius modum & formam, membraque & confinia, ac omnia ad pacem, charitatemque inter partes divisas servandam conducentia, sedulò discuteret, illorumque relationem cum voto suo consultivo ad hanc Almam Urbem transmitteret, dilectus etiam Filius Antonius à Cramburgo, Provinciæ Styriæ tunc Minister Provincialis, & actualis Definitor Generalis dicti Ordinis, ad ejusmodi Commissarii Generalis munus, utraque parte ipsum unanimiter petente & acceptante, deputatus, ad Provinciam prædictam missus, peractis ibi, quæ ipsi peragenda erant, apertâque super ipsa divisione animi sui sententiâ, eam tum propter dictæ Provinciæ amplitudinem, ob quam illius visitatio toties, quoties â Constitutionibus præscribitur, uni Ministro Provinciali ultra modum difficilis, imò etiam impossibilis redditur, tum ob alias graves, & rationabiles causas non tantùm bonam & utilem, verùm etiam omninò necessariam esse, ideoque utriusque partis tam Bavaricæ, quàm Franconicæ præcipuos Superiores, & Fratres collegialiter congregatos amicabiliter, & concorditèr convenisse, ut præfata Provincia ita in duas dividatur, ut una quidem sub priori, & pristino nomine Bavariæ, ac titulo & Sigillo Beatissimæ Virginis Mariæ Oetinganæ nuncupatæ, quædam nominatim designata & expressa habeat, & retineat Conventus, Hospitia, & Missionum loca, altera verò sub nomine Franconiæ, & titulo, ac Sigillo Sancti Josephi quædam alia, etiam nominatim designata & expressa pariter habeat Conventus, Conventuum fabricas, & Missionum loca. Porro eosdem utriusque Partis Superiores, & Fratres, cum de & aliis Conventibus nimirum Eustadii, Donnawertæ, & Wembdingæ nonnullis obstantibus rationibus, quæ usque ad novum Capitulum Generale ejusdem Ordinis anno proximè futuro celebrandum non obstituræ, seu superandæ sperantur, conveniri, ac decerni non potuerit, cui ex duabus partibus in toto, vel in parte adjudicandi sint, resolutionem hujusmodi ad Definitorium Generale ejusdem novi Capituli Generalis, eisdem tribus Conventibus in eorum statu, & sub priori jurisdictione, & regimine Superiorum dictæ Provinciæ Bavaricæ interea permanentibus, utrinque humiliter remisisse retulit, jamque ea omnia sic designata, & disposita Definitoribus Generalibus dicti Ordinis in dicta Urbe existentibus communicata, & ab eis approbata fuerunt, quæ uberiùs continentur in quadam Scripturâ desuper editâ â præfatis utriusque Partis Superioribus & Fratribus subscriptâ tenoris, qui sequitur, videlicet:

„ In Nomine Domini Amen. Nos infrascripti Patres Ordinis Minorum S. Francisci Capucinorum, Provinciæ Franco-Bavaricæ, ex Nationibus Bavaricâ, Franconicâ, & Svevicâ ab A. R. P. Antonio à Cramburgo ejusdem Ordinis Definitore Generali, & per eandem Provinciam Visitatore, & Commissario Generali in hoc loco nostro Landishuti in Bavariâ Congregati, cum visitatâ jam per eundem A. R. P. Commissarium totâ Provinciâ, & auditâ super ejus divisione omnibus Fratribus, in eamque unanimiter consentientibus, Nobis commiserit, ut tametsi hæc causa divisionis Provinciarum mediante suprema superioritate Religionis spectet ad Summum Pontificem, nihilominus ad omnem meliorem finem & effectum Nos desuper, & super ejus modo, quæ nimirum Monasteria, & loca uni, quæ alteri parti obveniant, inter Nos ipsos prævię, amicè, & charitativè, & tanquam ad modum humillimi projecti conveniremus, Nos igitur benè consideratis utrinque, ac maturè perpensis, & discussis omnibus, nec non auditis ejusdem A. R. P. Commissarii opportunis consiliis, ac dirigentibus monitis, invocatâ Spiritus Sancti gratiâ, & implorato Omnipotentis Dei auxilio, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, dividens singulis, prout vult, inter nos ipsos amicè, & charitativè in hunc modum convenimus, ut, si Sanctissimo placuerit, & supremæ superioritati Religionis benè visum fuerit, Provincia hæc nostra nunc Franco-Bavarica ita in duas dividatur, ut una quidem sub priori & pristino nomine Bavariæ, ac Titulo & Sigillo Beatissimæ Virginis Mariæ Oetinganæ habeat & retineat sequentia Monasteria, Hospitia, & Missionum loca, hic juxta alphabetum posita, videlicet: 1. Ardinga, 2. Brunovium, Burghusium, Deggendorffium, Landishutum, 6. Monachium, 7. Neoforum, 8. Ratisbona, 9. Rieda, 10. Rosenhehemium, 11. Schardinga, 12. Straubinga, 13. SchWandorffium, 14. Traunium, 15. Turckemium, 16. Vilshovium, 17. Wasserburgum, 18. Burglengenfelda, fabrica Mo-

„ Monasterii, 19. Mospurgum, Hospitium, „ 20. Neostadium, Hospitium, 21. Vilsbiburgum, Hospitium, 22. Bergsteinium, Missio, „ 23. Volkenstrusium, Missio, 24. Weida, Missio. Altera verò sub nomine Franconiæ, „ & titulo, ac sigillo S. Josephi, Sponsi Beatissimæ Virginis Mariæ, ac Nutritii Domini, „ habeat Monasteria, fabricas Monasteriorum, & Missionum loca, pariter ordine alphabetico hîc posita, nimirum: 1. Bamberga, 2. Carlostadium, 3. Dinckelspila, „ 4. Gamundia, 5. Herbipolis, 6. Kizinga, „ 7. Mergenthemium, 8. Nicrosulma, 9. Oxovium, 10. Regiscuria, 11. Comburgum, fabrica Monasterii, 12. Höchstadium, fabrica „ Monasterii, 13. Bartensteinium, Missio, 14. „ Türnavium, Missio: Et quia de tribus adhuc „ aliis Monasteriis formalibus, & his non mediocris, & inferioris conditionis, nimirum „ Eustadio, Donawertâ, & Wembdingâ pro „ hîc & nunc conveniri, & cui ex duabus partibus, vel in toto vel in parte adjudicanda „ sint, resolvi non potuit, obstantibus talibus rationibus, quæ nec intra solum Ordinem, nec pro nunc evacuari poterant, evacuandis verò, uti omnino speramus, usque „ ad proximum Capitulum Generale sequenti anno futurum: Hinc dispositionem & resolutionem circa dicta 3. Monasteria Eustadium, Donawertam, & Wembdingam, cui „ videlicet parti, vel in toto vel in parte cedant, ad Rmam Definirionem Generalem „ prædicti proximi Capituli Generalis utrimque humiliter remisimus, sicut defacto remittimus, permanentibus interea iisdem tribus Monasteriis in statu quo, & sub priori „ jurisdictione, & regimine Superiorum Provinciæ Bavaricæ, supplicantes humillimè „ Sanctitati Suæ ad Sanctissimos ejus pedes „ demississimè provoluti, atque supremam „ Superioritatem Religionis humiliter deprecantes, ut hic divisionis modus firmus permaneat, & salvus consistat. Quod pro gratia &c. Quam Deus &c. In quorum fidem &c. „ Datum in Conventu nostro Landishuti in „ Bavariâ die XXI. Aprilis MDCCXI. = Fr. „ Raphäel Gindinganus Capuc. Minister Provincialis indignus. = F. Conradus Monhaimensis Capuc. Diffin., Custos, Guardianus, „ & ex-Provincialis indig. = F. Adrianus Capuc. à Wildenau, Deffinitor, ex-Provincialis „ indig. = F. Elzearius Monacensis Cap. Diffinitor, & Guardianus Brunovii indig. = „ F. Vitalis Neoforensis, Capucinus, Guardianus Monachii, Custos Bavariæ ex-Diffinitor „ indig. = F. Eucharius Stozberg. ex-Lector „ & Custos Franconiæ Capuc. indig. = F. Joseph Oxoviensis Capuc. Concionator, ac „ Guardianus Carlostadii indig. = F. Emanuel Roisensreg. Capucin. Concionator „ Guardianus Dinckelspilæ, & ex-Lector = „ Fr. Wenceslaus Dinckelspilanus Capucin. „ Concionator & Guardianus Gamundianus „ indig. = F. Nicolaus Randersreckeranus „ Capuc. Concionator ex-Lector, & Guardianus Herbipolensis = F. Lucas Rottenfelss. „ Capuc. ex-Lector, Concionator & Guardianus Bamberg. indig. = Locus ✠ Sigilli.

Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, ipse Procurator, & Vicarius Generalis, attentis præmissis dictam divisionem expedire censeat, Nobis propterea tam suo, quàm dictorum Definitorum Generalium, & Ordinis præfati nomine humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportunè providere, &, ut infra, indulgere de Benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ejusdem Procuratoris, & Vicarii Generalis votis hâc in re, quantùm cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pænis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, dicto Antonio ex-Provinciali, Diffinitori, & Commissario Generali supradictam Provinciam Franco-Bavaricam juxta præinsertæ scripturæ designationem, & dispositionem, Auctoritate nostra Apostolica perpetuò dividendi, ac ex Conventibus, Conventuum fabricis, & Missionum locis ab eâ juxta eandem præinsertæ scripturæ designationem, & dispositionem segregandis, & separandis, alteram Provinciam Franconię nuncupandam sub memorato titulo, & Sigillo S. Josephi cum omnibus juribus, privilegiis, & facultatibus, aliis Provinciis dicti Ordinis competentibus, reservatâ, prout in ipsa præinserta scriptura exprimitur, dicto Definitorio Generali proximi futuri Capituli Generalis facultate, & auctoritate, decernendi, cui supradicti 3. Conventus Eustadii, Donawertæ, & Wembdingæ adjudicandi sint, dicta auctoritate itidem perpetuò erigendi, & instituendi, necnon juxta concordata, seu concordanda, ipsis duabus Bavariæ, & Franconiæ Provinciis, & illarum Conventibus prædictis limites, confinia, districtus, & quæstuationes Auctoritate prædicta assignandi, omniaque & singula alia justitię distributivę, charitati, & paci consentanea, dictâ Auctoritate ordinandi, statuendi, & executioni demandari faciendi, quamcumque necessariam, & opportunam facultatem & licentiam eadem auctoritate tribuimus, & impartimur; Decernentes easdem præsentes litteras firmas, validas, & efficaces existere, & fo-

& fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari, sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, si secus super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari; Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Ordinis, & Provinciæ Franco-Bavaricæ, ac illius Conventuum hujusmodi, aliisve quibusvis, etiam juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, Privilegiis quoque indultis; & Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis; quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hâc vice duntaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum in Arce Gandulphi Albanen. Dioecesis sub Annulo Piscatoris, Die XXVI. Junii MDCCXI. Pontificatus nostri Anno undecimo.

F. Card. Oliverius.

Autog. in Secret. Brev. Apostolicor. Regesto mens. & anni præd. f. 75.

N O T A.

Sedulam exactamque Apostolici hujus Brevis executionem firmat & probat instrumentum, à P. Commissario & Definitore Generali editum, sub tenore subjuncto.

In Nomine Sanctissimæ, & Individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, Beatissimæ, & Glorisissimæ Virginis Mariæ Immaculatæ, ac Seraphici Patris Nostri Francisci. Amen.

Deus, cujus Unigenitus, Lapis ille angularis, qui facit utraque unum, cum in substantiâ nostræ carnis apparuit, alto ex Olympi Vertice, ceu Monte desectus lapis Terras in imas decidens, Domûs superna, & infimæ utrumque junxit angulum, tametsi unitatem diligat, dispersa congreget, & congregata conservet, ac plures inhabitare faciat unius moris in domo, exigente tamen naturâ rerum, & varietate temporum, quandoque divisionem amat, dividens singulis, prout vult. Sic à principio divisit aquas ab aquis, dein gentem â gente, & Regnum â Regno: quibus sorte divisit Terram in funiculo distributionis, ut crescerent, & multiplicarentur, & replerent eam: quia in hac magnâ Domo ejus mansiones multæ sunt, & cui vult, dat illas Factor, Creator omnium.

Sicut autem ab initio Creaturæ, ita & nunc, ac evidenter in hâc nostrâ Franco-Bavaricâ Provinciâ, quæ, cum ab ortu nativitatis suæ Provincia Tyrolensis appellaretur, & esset, utpote una, eademque cum illâ, crescente ubertim magnitudine ejus, multiplicatoque Monasteriorum, & locorum numero, instantibus primariis illius Patribus, Anno Domini 1668. Apostolica Auctoritate in duas, Tyrolensem nimirum, & Bavaricam divisa est; assignatis cuique suis distinctis locis, & Monasteriis. Quæ, cum Provinciæ Bavaricæ viginti novem obtigissent, viginti quinque scilicet Monasteria, & quatuor Missionum loca; tractu temporis Benedicente Domino, & currentibus Mundo, & populo Terræ, ac Principibus ejus in odorem unguentorum, quem Capucini suæ bonæ conversationis studio & labore in Vineâ Domini ubique spargebant, eousque crevit, & aucta est, ac magnitudinis & amplitudinis, numerique locorum eò pervenit, ut inter Monasteria, Monasteriorum fabricas, Hospitia, & Missionum loca universim quadraginta & unum numeraret. Quo factum, ut visitatio ejus Ministris Provincialibus toties, quoties â Constitutionibus nostris præscribitur, nedum ultra modum difficilis, sed & impossibilis redderetur, atque adeo inde Regulari Observantiæ, & Claustrali Disciplinæ, quæ ex crebriori debita superiorum Visitatione, quæ custodit Spiritum subditorum, nata est non solùm illæsa conservari, sed etiam incrementum sumere, vel labefactata restitui, non leve præjudicium emergeret. Cumque hæc visitationis difficultas & impossibilitas vel maximè inde procederet, quod Monasteria & loca in Franconiâ nimis procul distarent â Bavaria, ab eaque longiùs separarentur, atque hinc illuc, & inde huc transitus tam prædictis Ministris Provincialibus, quàm aliis Fratribus pro exigentiâ rerum & temporum hinc inde commigrantibus, necessariò per loca Acatholica faciendus esset, cum illorum non levi molestiâ, & aliquando mortificatione.

Hinc ob hanc, & alias, easque plures rationes & difficultates, quæ successivè augebantur, & ingravescebant, tam Patres Superiores Provinciæ, quàm Patres Franconiæ divisionem ejusdem Provinciæ, nominatim separationem Franconicæ â Bavaricâ in binis Capitulis Generalibus, & aliàs, ac alibi instanter & sollicitè deposcebant. Cumque ad hæc etiam preces Principum ad Sanctissimum Dominum Nostrum Papam Clementem XI. accederent, & Sua Sanctitas rem Definitorio Generali in Capitulo Generali anno 1709. celebrato commisisset, factum est, ut ad opus Commissarius Generalis deputaretur, Nobisque, licèt imparibus viribus, id officii munus & onus imponeretur.

Quo, ut pàr est, obedienter suscepto, & acceptis ad hoc ibidem Romæ, ubi post Capitulum Generale etiamnum morabamur, opportunis & necessariis facultatibus, tempore proprio inde nos movimus: Et deposito in transitu per Nostram Provinciam Styriæ, quo ibidem adhuc gravabamur, Provincialatûs onore, munitique

que præterea requisitis Cæsareis clementissimis facultatibus, eâ, quâ fieri potuit, celeritate, ac sollicitudine Nos in hanc Bavaricam Provinciam intulimus. Ubi in primo illius Conventu, Schardingæ, publicatis coram R. P. Provinciali, & totâ illâ ad hoc specialiter in Refectorio congregatâ Familiâ, literis nostris Commissarialibus, ac susceptis Sigillis Provinciæ, notificatoque per litteras ad omnes Conventus missas, Nostro in eam adventu, Monachium properavimus. Ubi Congregatis RR. PP. Provinciali, & Definitoribus, sensum illorum super intentâ divisione Provinciæ, & separatione Franconicæ à Bavaria convenienter exploravimus; quâ divisione & separatione ab ipsis unanimiter non solùm conveniente, sed etiam omnino necessaria judicatâ, hocque sensu suo sub his ipsis terminis Nobis scripto ritè extradito, pro Franconiâ Nos continuò accinximus. Et institutâ Bambergæ alterâ Congregatione ex novem cum suo R. P. Custode magis præcipuis, & senioribus Patribus Franconiæ, eorundem pariter sensum super præfatâ divisione Provinciæ, & separatione Franconiæ â Bavariâ debitè exploravimus. Et invento illo per omnia uniformi cum sensu, & judicio Patrum Bavariæ, quod nimirum divisio Provinciæ, & separatio Franconicæ à Bavaria sit omnino necessaria: hocque sensu suo Nobis similiter sub iisdem terminis scripto ritè extradito, Bambergâ solvimus, & visitationem Provinciæ aggressi sumus.

Quâ Provinciâ per utramque Bavariam, Franconiam, partem Sveviæ, Palatinatum Superiorem, & ad Almonium longè, lateque diffusâ, integrè visitatâ (nisi quod Fratres quorundam paucorum Conventuum à viâ ordinariâ longiùs distantium aliò ad nos vocaverimus) auditisque super ejus divisione omnibus ejus numerosis Fratribus, præterquam junioribus infra quartum Religionis annum, utpote quorum sensus, & judicia vel maximè in hujusmodi gravioribus Religionis rebus, in sensu & judicio Superiorum eminenter continentur, probè reperimus, illos omnes præter solos quatuor, & hos inferioris conditionis & notæ, prius ore, deinde propriæ manûs Chirographo pro dicta divisione sensisse: aliis quidem bonam, aliis verò bonam & utilem, aliis autem, & his plerisque bonam, utilem, & necessariam, aliis tandem omnino, aut maximè necessariam illam judicantibus, & asserentibus, quibusdam nihilominus ex junioribus supra quartum Religionis annum, & aliquibus paucis Fratribus Laicis se in voluntatem Superiorum plenè remissis.

Hoc posito, & exploratâ etiam suis differentibus, propriisque locis & temporibus in eadem divisionis, & separationis causa Principum, ad quos spectabat, aliorumque, quorum interesse videbatur, intentione & voluntate, & reperto, quod ipsi illam nedum non aversentur, sed etiam apprimè desiderent; tum de ejus modo duntaxat solliciti fuimus, & ad id tertiam Congregationem Patrum instituimus.

Qua ex præcipuis Provinciæ Patribus Bavaris, Franconibus, Palatinis, & Svevis (qui & ipsi impræsentiarùm super suæ Nationis Monasteria audiri voluerunt) Landishuti coactâ, in eâ de præfato modo divisionis, seu quæ Monasteria & loca uni, quæ alteri parti obveniant, tractatum est: Et auspicante Deo, qui dat omnibus affluenter, eò brevi inter ipsos amicè, & charitativè deventum, & ita conventum est, sicut ex immediatè antelecto Brevi Pontificio, in quo eadem Conventio ad verbum inserta est, percipere fuit, & infrà per Nos juxta ejusdem Brevis tenorem statuetur, & designabitur. Quâ Conventione dein per Nos, unà cum aliis actibus, & distincta relatione commissionis nostræ Romam ad A. R. P. Vicarium & Procuratorem Generalem missâ, ab eoque ad Sanctissimum supplicatione factâ, inde præfatum Apostolicum divisionis Breve emanavit, Nobisque per eundem A. R. P. Vicarium, & Procuratorem Generalem huc transmissum fuit.

In quo, quia Nobis Apostolica Auctoritate quæcunque necessaria, & opportuna facultas, & licentia tribuitur, hanc de facto Franco-Bavaricam Provinciam juxta supradictæ mutuæ conventionis designationem & dispositionem eadem Apostolica Auctoritate perpetuò dividendi, ac ex Conventibus, Conventuum fabricis, & Missionum locis, ab ea juxta eandem conventionem segregandis, & separandis, alteram Provinciam Franconiæ nuncupandam sub Titulo, & Sigillo S. Josephi cum omnibus juribus, privilegiis & facultatibus, aliis Provinciis Ordinis competentibus, eadem Apostolica Auctoritate itidem perpetuò erigendi, & instituendi: Necnon juxta concordata, seu concordanda ipsis duabus Bavariæ & Franconiæ Provinciis etiam illarum Conventibus limites, confinia, districtus, & quæstuationes assignandi, omniaque & singula alia justitiæ distributivæ, Charitati & paci consentanea eadem Auctoritate statuendi, & executioni demandari faciendi.

Nos Fr. Antonius à Cramburgo, Ordinis Minorum S. Francisci Capucinorum, Definitor Generalis, & Provinciæ Styriæ Ex-Provincialis, necnon in hac Franco Bavarica Provincia Visitator, & Commissarius Apostolicus, prædicto Apostolico Brevi omni demissione, reverentiâ, & respectu debitè obtemperando, ac tenori ejus per omnia inhærendo, convocato de more, nec non ex speciali Ordinatione A. R. P. Procuratoris, & Vicarii Generalis, occasione proximorum Comitiorum Generalium, Capitulo Provinciali hujus Franco-Bavaricæ Provinciæ in hoc loco nostro Monachii, eandem nunc, & de præterito Franco-Bavaricam Provinciam, Apostolicâ Auctoritate Nobis in hac parte, ut supra, concessâ, ita perpetuò in futurum dividimus, & divisam esse dicimus, decernimus, statuimus, & declaramus, ut ipsa ex una parte sub priori & pristino nomine Bavariæ, ac Titulo & Sigillo Beatissimæ V. Mariæ Oetinganæ habeat, & retineat sequentia Monasteria, Hospitia, & Missionum loca, alphabetico ordine hîc posita, nimirum.

1. Ardinga.
2. Brunovium.
3. Burghusium.
4. Deggendorfium.
5. Landishutum.
6. Monachium.
7. Neoforum.
8. Ratisbona.
9. Rieda.
10. Rosenhemium.
11. Schardinga.
12. Straubinga.
13. Schwandorffium.
14. Traunium.
15. Turckemium.
16. Vilshovium.
17. Wasserburgum.
18. Burglengenfelda, fabrica Mon.

19.	*Mospurgum, Hospitium.*	22.	*Bergsteinium, Missio.*
20.	*Meostadium, Hospitium.*	23.	*Vockstrusium, Missio.*
21.	*Visbiburgum, Hospitium.*	24.	*Weida, Missio.*

Ex residuis verò 14. *Monasteriis, Monasteriorum fabricis, & Missionum locis, à prædictâ de præterito Franco Bavaricâ Provincia hoc modo segregatis, & separatis, & in Ducatu, ac Circulo Franconico, & parte Sveviæ sitis, & contentis, atque hic pariter ordine Alphabetico positis, nimirum:*

1.	*Bamberga.*	8.	*Nicrosulma.*
2.	*Carolostadium.*	9.	*Oxovium.*
3.	*Dinckelspila.*	10.	*Regiscuria.*
4.	*Gamundia.*	11.	*Comburgum, fabrica Monast.*
5.	*Herbipolis.*	12.	*Hochstadium, fabrica Monast.*
6.	*Kizinga.*	13.	*Bartensteinium, Missio.*
7.	*Mergenthemium.*	14.	*Turnavium, Missio.*

Alteram Provinciam Franconiæ nuncupatam sub Titulo, & Sigillo S. Josephi, Sponsi B. V. Mariæ, cum omnibus juribus, privilegiis, & facultatibus, aliis Provinciis Ordinis nostri competentibus, eadem Auctoritate Apostolica perpetuò erigimus & instituimus, ac perpetuò erectam & institutam esse dicimus, decernimus, statuimus, & declaramus: assignantes ei supradicta 14. *Monasteria, Monasteriorum fabricas, & Missionum loca, cum reservatione facultatis, & auctoritatis juxta tenorem Brevis Pontificii, & in conformitate conventionis Patrum ad invicem, ut supra, Definitorio Generali proximè futuri Capituli Generalis, decernendi: cui ex ipsis duabus Provinciis residui adhuc* 3. *Conventus, nempe Eustadium, Danuberta, & Wembdinga, adjudicandi sint: reservantes præterea, ac porro Nobis, quid juxta adhuc concordanda circa limites, Confinia, Districtus, & quæstuationes ipsius utriusque Provinciæ, & illarum Conventuum, aliaque omnia, & singula justitiæ distributivæ, Charitati, & paci consentanea alibi distinctim ordinandum, & statuendum sit. Ita dicimus, decernimus, statuimus, declaramus, ordinamus, dividimus, segregamus, separamus, erigimus, instituimus, reservamus, non solùm hoc, sed & omni alio meliori modo. In quorum fidem &c. Datum in Conventu Nostri Monachii die* 11. *Mensis Augusti Anno* 1711.

Ita est, Fr. Antonius à Cramb. Definitor, & Commissarius Generalis.

Definitio Bavarica.

Ego Fr. Vitalis Neoforensis Palatinus, Provinciæ Bavariæ Minister Provincialis, approbo.
Ita Ego Fr. Victor Monacensis, Definitor.
Ita Ego Fr. Conradus Monheimensis, Definitor.
Ita Ego, Fr. Jordanus Wasserburganus, Definitor.
Ita Ego, Fr. Polycarpus Rosenhemianus, Definitor.

Definitio Franconica:

Ego Fr. Lucas Rottenfel. Provinciæ Franconicæ Minister Provincialis, approbo.
Ita ego, Fr. Nicolaus Randersagranus, Definitor.
Ita ego Fr. Emmanuel Wisensleigtanus, Definitor.
Ita Ego, Fr. Bruno Mariæ-Vall., Diffinitor.
Ita Ego Fr. Floridus Lamgheim., Definitor.

Conventus Dinckilspilanum, & Gamundensem à Provincia Franconiæ demembrari, & Bavaricæ cum omnibus juribus re-uniri concedit.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

PAstoralis Officii Nobis divinitùs commissi sollicitudo Nos admonet, ut Religiosorum Virorum Altissimi obsequiis sub suavi Christi jugo mancipatorum quieti, & commodis, quantùm Nobis ex alto conceditur, consulere jugiter studeamus. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus Filius, Joannes Antonius à Florentia, Procurator, & Commissarius Generalis, Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupatorum, tam sui, quàm dilecti pariter Filii Michaelis Angeli à Ragusa, Ministri Generalis dicti Ordinis nomine, quod in divisione Provinciæ Franco-Bavaricæ ejusdem Ordinis in duas Provincias, nempe Bavaricam, & Franconicam per dilectum etiam Filium Antonium à Cramburgo, tunc Ministrum Provincialem Provinciæ Stiriæ, ad hoc munus obeundum, à tunc existente Ministro Generali prædicti Ordinis in Commissarium Generalem speciali-

ter

ter Deputatum factâ, & à Nobis per quasdam nostras litteras desuper in simili forma Brevis, quarum initium est: Injuncti Nobis &c. Die 26. Junii 1711. expeditas confirmatâ, duo Conventus nempe Dinckelspilanus,&Gamundianus ad Circulum, sive Nationem Svevicam spectantes (omnibus utriusque Provinciæ tam Bavaricæ, quàm Franconiæ Superioribus, aliisque interesse habentibus liberè, & amicabiliter consentientibus) eidem Provinciæ Franconiæ adjudicati, seu incorporati fuerunt, & aliàs, prout in præfatis nostris litteris, quarum tenorem præsentibus pro expresso, & inserto haberi volumus, uberiùs continetur.

Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, propter nonnullas difficultates, & rationes exinde exortas, tum Fratres Svevi ad Provinciam Franconicam pertinentes, tum Consules, & Magistratus Imperialium Oppidorum, Civitatum nuncupatarum, Dinckelspilæ, &Gamundiæ,Circuli Svevici,in quarum territorio præfati duoConventus siti reperiuntur, pro illorum â supradicta Franconicâ Provinciâ separatione, & alteri Provinciæ aggregatione pluribus ea de causa scriptis epistolis institerint; Ipse verò Michael Angelus Minister Generalis memoratam Provinciam Franconicam personaliter visitans, separationem prædictorum duorum Conventuum ab illa pro bono pacis, & utriusque Nationis tam Franconicæ,quàm Svevicæ tranquillitate unicè necessariam fieri existimet, jamque ad id Ministri Provinciales, & Definitores, ac Fratres utriusque Provinciæ in Capitulis Provincialibus novissimè celebratis, assistente dicto Michäele Angelo, Ministro Generali,consensum suum præstiterint, ac proinde præfati Michael Angelus Minister Generalis, ac Jo: Antonius Procurator Generalis, & Commissarius opportunè in pręmissis à Nobis provideri, &, ut infra, indulgeri plurimùm desiderent, Nos illorum votis, hac in re, quantùm cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis &c. & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, eidem Michaëli Angelo, Ministro Generali, ut ipsę per se ipsum, vel per Commissarium ad id specialiter ab eo deputandum, pręd ictos duos Conventus, Dinkelspilanum scilicet, & Gamundianum, cum eorum juribus, quęstuationibus, & pertinentiis, necnon eosdem Fratres Svevos á supradicta Provincia Franconica separare, & segregare, eosdemque Conventus, & Fratres Provinciæ Bavaricæ hujusmodi iterum unire, & aggregare respectivè liberè, & licitè, ac validè possit, & valeat, quamcumque necessariam, & opportunam facultatem, & licentiam, Auctoritate Apostolica, tenore præsentium, concedimus, & impertimur. Decernentes easdem præsentes litteras firmas &c. & ab eis respectivè inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores sic judicari, & definiri debere, ac irritum &c. contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, necnon præfatorum Ordinis, Provinciarum, & Conventuum, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica &c. confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo &c. hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, Die prima Decembris MDCCXVII. Pontificatus nostri Anno decimo septimo.

F. Card. Oliverius.

Autographum in Archivo Secretariæ Brevium Apostolicorum Regesto mensis & anni prædictorum fol. 16.

Facultatem erigendi ViamCrucis ad omnia Provinciæ loca in quacunq; Dięcesi existentia ampliat, & Litteris Apostolicis firmat.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

CUM jamdudum sanè dignus & laudabilis in plurimis Christiani Orbis partibus Dominicæ Passionis memoriam pio quodam Exercitio, vulgò Viâ Crucis, seu Calvariæ nuncupato, statutis precibus, locisve recolendi usus inoleverit, & ad præsens, sicut accepimus, in Ecclesiis Fratrum Ordinis Minorum Sancti Francisci Capucinorum nuncupatorum Provinciæ Bavaricæ maximè vigeat: Nos, ut devotio hujusmodi majora in dies acquirat incrementa, eamque cœlestibus Ecclesiæ Thesauris, quorum dispensationem Fidei nostræ commisit Altissimus, confovere, atque excitare volentes, de Omnipotentis Dei misericordia, ac BB. Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, atque supplicationibus dilecti in Christo Filii, Nobilis Viri, Maximiliani Josephi, Bavariæ Ducis, S.R.I. Principis Electoris nomine Nobis super hoc humiliter

ter porrectis inclinati, omnibus, & singulis utriusque sexûs Christifidelibus, qui piam devotionem Viæ Crucis hujusmodi, quoties in aliqua ex Ecclesiis Fratrum Ordinis Minorum Sancti Francisci Capucinorum nuncupatorum, Provinciæ Bavaricæ dumtaxat, Dominicæ Passionis memoriam, ut præfertur, recolendo peregerint, aliaque injuncta pietatis opera, ut moris est, persolverint, easdem Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes, quas fel. record. Innocentius PP. XII., Innocentius XI., aliique Pontifices Prædecessores nostri Christifidelibus, prędictum Viæ Crucis Exercitium in Ecclesiis Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia, & Reformatorum nuncupatorum, ubi erectum reperitur, peragentibus concesserunt, Apostolica Auctoritate, tenore præsentium misericorditer in Domino concedimus. Non obstantibus nostræ, & Cancellariæ Apostolicæ regula de non concedendis Indulgentiis ad instar, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque, præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut præsentium Litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & Sigillo Personę in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, Die XXVI. Martii MDCCXLVI. Pontificatus nostri Anno sexto.

Pro D. Card. Passioneo.

Jo. Florius Substitutus

Breve formatum in Archivo Provincię.

NOTA.

Jam ante emanatas hasce Apostolicas Litteras, Illustrissimo ac Reverendissimo D. JoanneFrancisco Stoppani Archiepiscopo Corinthi, & Nuntio Apostolico apud Augustissimum Imperatorem CarolumVII. residente, tum pietatem populi Bavarici, tum Fratrum nostrorum meritum commendante, gratia fuerat concessa, & jussu Pontificio expedita per litteras Secretariæ Statûs sequentes.

Illustrissime ac Reverendissime Domine.

Relatio, quam Illustrissima Dom. Vestra nobis repetiit de pietate populi Bavariæ, in quo S. Religio Catholica usque modo pura & illibata fuit conservata, etiamsi aliàs tota quasi Germania contagio hæreticali fuerit infecta, eò faciliùs Sanctitatem suam movit ad exaudiendas preces & instantias Dom. Vestræ à PP. Capucinis ibi factas, quò magis annutus & concessio redundat in Spirituale dicti populi commodum. Quamobrem Sanctitas Sua dignata est concedere Ecclesiis PP. Capucinorum Bavariæ desideratam Viam Crucis cum iisdem indulgentiis, & in eadem forma, qua & quibus eam gaudent Ecclesiæ PP. Minorum Observantium Reformatorum. Cum gaudio proin Illustrissimæ Dom. Vestræ hujus concessionis præbeo notitiam, cum per eam memoria tam digni Ministri Apostolici penes populum Bavariæ, apud quem morari illum contigit, perpetuetur. Romæ 3. April. 1745.

Dom. Vestræ Illustrissimæ.

Card. Valenti.

Autographum in Archivo Provinciæ.

Cum autem desuper fuerit æquivocatum, & gratiam nonisi ad Conventus intra Bavariæ limites existentes extendi posse prætensum, instante noviter moderno Serenissimo Electore Maximiliano Josepho gratiam ad omnes Provinciæ Bavaricæ Conventus, seu eorum Ecclesias, sub quacunque jurisdictione Episcopali, & etiam extra Bavariæ Ducatum existentes, eam ampliatam esse, suprà posito Apostolico Brevi fuit declaratum.

PRO-

PROVINCIA
FRANCONIÆ

Etiam à S. Joſepho, B. V. Mariæ Sponſo, cujus cultui palmariter inſiſtit, & larga protectionis dona recipit, nomen tenet. Fundamenta ſua poſuit Wirceburgi in Franconiæ Metropoli, Tyrolenſi Provinciæ cum Bavarica commixta, ſuitque Julius, Sac. Rom. Imperii Princeps, Epiſcopus Wirceburgenſis, & Franconiæ Orientalis Dux, qui Anno milleſimo ſexcenteſimo decimo ſexto primam ibi Fratrum Domum ære ſuo conſtruxit, ſuæqe pietatis rationes ſequenti Diplomate patefecit.

Julius Dei gratia Epiſcopus Herbipolenſis, & Franconiæ Dux.

Magnus Sancti Baſilii teſtimonio Paſtor, & Præſul in Eccleſia habitus eſt Gregorius Neocæſarienſis, & miraculorum patrator, dum ad Pedum paſtorale, Sacramque Infulam vocatus in Civitate Neo-Cæſareæ omnes fermè à Religione Chriſtiana invênit alienos, & moriens ſeptendecim, non plures reliquit Infideles. Sanctiſſimi iſtius Viri præclariſſima veſtigia ſectanda, & imprimenda duximus, quamprimùm ad Clavum Eccleſiæ adhibiti Dioecesin hanc Herbipolenſem accepimus, miſerè deformatam, regendam, ut vix, aut ægrè admodum tam atroci malo remedium, vulneri tam profundo efficax medicina, ac ſalutaris inveniri, & adhiberi poſſe crederetur. Juvit tamen præpotens Deus ſua pro immenſa in Nos bonitate conatus, & ſtudia noſtra, ut illa non ferro, non flamma, ſed paternis cohortationibus ad obſequium rediret Eccleſiæ, & diſcuſſis errorum tenebris, purioris & ſincerioris doctrinæ lucem aſpicere inciperet intra breviſſimum temporis ſpatium; pro quo raro admodum, & eximio beneficio Numini ſupremo debitas nunquam referre poſſumus gratias.

Id

Id potissimum jam Nobis est in voto, ut tam nobilis, & pretiosus inventus thesaurus æternùm conservetur, fidesque Catholica quasi postliminio revocata altiores in dies in animis Fidelium agat radices, idipsum verò quibusnam mediis, quibus rationibus, melioribus & facilioribus consequemur, quàm, ut tam prænobili thesauro Vigiles, & Custodes adhibeamus, Gregi tam numeroso, populo in Fide Novitio Doctores multos, qui eundem in vera susceptæ Religionis sententia quotidie magis confirment.

Ad hanc autem OEconomiæ Ecclesiasticæ procurationem ex universo Ecclesiasticorum Ordine in aptiores, magisque idoneos reperiri non posse censemus, quàm eos, qui jam dudum terrenis, ac perituris rebus nuntium mittentes, Deo se totos, ac saluti animarum promovendæ consecrârunt, quique non tam ore, quàm opere alios ad virtutem erudire, rectâque vivendi normâ, quasi lumine adhibito, certum iter ad coeleſtem gloriam demonstrare didicerunt. Non malè olim Seneca: *plus vocem vivam, quàm orationem prodesse, plus homines oculis, quàm auribus credere.*

Porro, cum inter Religiosos Ordines, eos modò eminere videamus, qui Sancti Francisci æmuli, & Sectatores laudatissimum ejus Institutum severiore vivendi ratione, ad litteram, & genuinum regulæ sensum revocatâ, exprimere conantur, ut eo etiam nomine, quod à prisco S.Patris Habitu discedere ne transversum unguem velint, Capucinorum nomen indepti sint.

Hanc ob causam eos potissimum ad Metropolim nostræ Dioecesis ex Provincia Bavarica, & Tyrolensi evocandos duximus, ut tam sacris ipsorum concionibus, in quo genere præstantes plerumque homines habent, quàm vivo vitæ exemplo Religiosi, Clericique nostri, quorum non exiguus divinâ largiente gratiâ in Civitate nostra Herbipolensi numerus extat, ad integritatem vitæ, & suos mores ad primævum institutum, à quo pravitate temporum deflexerunt, contemplatione normæ directioris efformare studeant. Neque dubitamus, quin Religiosorum, & Clericorum recta sectantium, populus lubenti & prompto animo vestigiis insistere concupiscat; ut idcirco existimemus, à Patribus Capucinis inter cæteros fidos, strenuosque Operarios operam maximè fructuosam Vineæ Dominicæ excolendæ allatum iri, ut, quemadmodum per quietem Innocentio III. visum est, eorum Patrem collabentem Lateranensem Basilicam suis humeris sustinere, sic ipsi Parentis exemplo incitati, restitutam hac in Dioecesi Religionem veram, ac veterem conservare, ac propagare conentur.

Ad hunc finem feliciùs assequendum in loco commodo ac salubri templum, & Monasterium prope Carthusiam, Angelorum hortum nuncupatam, intra Civitatis muros exteriores sitam, prædictis Fratribus Capucinis erigi, & à fundamentis totum ædificari nostris sumptibus curavimus. Confidimus in Patris Luminum misericordia, qui nostris coeptis auctor fuit, & hanc Nobis mentem, ut Religionem Nobis charissimam in nostra Civitate plantaremus, coelitùs inspiravit, quod felici principio feliciorem finem concedet, nostrosque Successores eâdem accendet pietate, ut fundationem nostram non tantùm conservare, & augere, ac crescente Religiosorum numero, ne elemosynæ (quod Deus avertat.) deficiant, advigilare studeant &c. Datum Herbipoli, die XXV. Octobris Anno MDCXVI.

Julius, Episcopus Herbipolensis.

Spei Religiosissimi Principis concordavit subsequæ operationis effectus, quantumvis enim hæc Provincia paucis abhinc annis hoc charactere fuerit insignita, nihilominus jam primò manè, seu Provinciis Tyrolensi & Bavaricæ unita, exiit in Vineam Do-

Domini, & conspicuis semper operariis fœcunda non solùm salutem animarum, sui laboris lucro auxit, verùm etiam Regularis Observantiæ tenax, Spiritu suæ virtutis sibi, ac Ordini acquisivit communis venerationis obsequium.

Hinc, dum Anno 1631. effrœnis Sueciæ miles amœna Herbipolis arva hostili tyrannide invasit, sanguinem sacrum & profanum, Sæcularem & Regularem scelesto ausu commiscuit, & Fr. Leopoldum, ex prænobili prosapia de Gumpenberg ortum, ac Fr. Simonem inter Montis Mariani mœnia dirâ morte peremit, Rex, cœdis hujus conscius residuos adhuc Capucinos ad Monasterium Scotorum, Ordinis S. Benedicti, vocavit, & in eorum præsentia congregato militi ita locutus est: Ecce hos Viros, ubicunque taliter vestiti vobis obviaverint, cavete ab eorum offensa, ego spondeo eis securitatem, & omnimodam prius habitam libertatem.

Conspicitur & hodierno adhuc tempore in Sacello B. V. Mariæ ad forum, Epitaphium, quod Fratrum erga proximum tempore pestis charitatem in ævum commendat his verbis: Jacent in hâc Sancta Æde ante Altare Sanctæ Crucis quinque Fratres, ex Ordine S. Francisci Capucin., quorum nomina sunt, P. Bonaventura Brixiensis Sacerdos, P. Damianus Landishutanus, hujus Ecclesiæ Concionator, P. Romanus Arding. Sacerdos, Fr. Lucas Morspurg. Clericus, Fr. Bartholomæus Grossmull. Laicus. Hi captâ ab hostibus 1631. Urbe, vitam pro Civibus exponentes maxima cum charitate, singulariq; exemplo, concionibus, diuturnæ christianæ explicationi, SS. Sacramentorum administrationi, necnon infirmorum, maximè peste infectorum visitationi diu noctuque strenuè insudârunt: tandem & ipsi piè defuncti, & hîc (cum claustralis eorum sepultura tunc prophanata existeret) sepulti fuére, quibus uti de Ecclesia hac, totaque Civitate bene meritis Magistratus hoc monumentum posuit.

Est & æviterna laude dignum nostri Fr. Stephani Labacensis Opus, insignis videlicet Archiconfraternitas SS. Corporis Christi, quæ in Cathedrali Herbipolensi floret, ab eo sub auspiciis Celsissimi, ac Rmi Principis, & Episcopi Philippi Adolphi ab Ehrenberg instituta, pietate successorum Principum per Diœcesin propagata, & per hodiernum Principem, & Episcopum cum perpetua Sanctissimi adoratione continuata.

Inter alios autem Viros, qui tum à Confessionibus Celsissimorum, ac Reverendissimorum Principum, & Episcoporum fuerunt, tum in officiis Provinciæ claruerunt, tum editis libris sanam, & singularem, ac virtute unctam doctrinam probaverunt, numerat FF. Abrahamum Kizinganum, Edelbertum Rottenselsensem, Eucharium Stocksbergensem, Franciscum Antonium Wirceburgensem, Joannem Casparum Mergentheimensem, Josephum Oxovium, Isaac Oxovium, Lucam Rottenselsensem, Nicolaum ex Randersac, Stanislaum Wirceburgensem, Victorianum Mergentheimensem &c., quorum merita Annales Provinciæ ampliant.

Restringitur ad Conventus XII.

Residentias VIII.

Fran-

Franconiæ Conventuum â Bavarica Provincia divisionem expedire,& ideo pro re ultimanda utriusque partis Domos visitandas esse, Principi Episcopo Herbipolensi reponit.

A tergo: *Venerabili Fratri, Joanni Philippo, Episcopo Herbipolensi.*

CLEMENS PP. XI.

Venerabilis Frater salutem, & Apostolicam Benedictionem.

FRetas, ac communitas Fraternitatis tuæ Officiis preces per nonnullos Religiosos Viros,Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Capucinorum nuncupatorum, qui ex istis partibus Romam ad Generalia sui Ordinis Comitia nuper convenerunt, Nobis oblatas pro obtinendâ separatione Conventuum Provinciæ Franconicæ â Bavaricâ omni charitate complexi, mandavimus rem in ipsis Comitiis, auditis Provinciali, ac Custodibus Bavariæ, diligenter expendi. Cum verò ex deliberatione eâ occasione communiter habitâ, ac Nobis explicata constare videatur, utriusque Provinciæ tranquillitati expedire, ut ad hujusmodi separationem deveniatur; nihil jam superest, nisi, ut per Commissarium Generalem ex eodem Ordine deligendum utraque Provincia lustretur, & media, ope ac consilio eorum, qui plurimùm in rem sua auctoritate conferre possunt, tuoque inprimis, per eum proponantur Superioribus ejusdem Ordinis Romæ commorantibus, quatenus Nos, his auditis, ac omnibus ritè perpensis, statuere, prout secundùm Deum judicabimus, opportunè valeamus. Quæ omnia Tibi significanda esse duximus, ut congruam à Nobis officiorum tuorum rationem à Nobis habitam fuisse intelligat Fraternitas Tua, cui in pignus benevolentiæ Nostræ Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXII. Junii MDCCIX. Pontificatus Nostri Anno nono.

Ulysses Jos. Card. Corradinus.

Autog. in Secret. Brev. ad Principes *regesto mens. & anni præd.*

Facultatem, Franconiæ Conventus â Provincia Bavariæ separandi, â se jam concessam esse, Archiepiscopo & Electori Moguntino significat.

A tergo: *Venerabili Fratri, Lothario Francisco, Archiepiscopo Moguntino, S. R. I. Principi Electori.*

CLEMENS PP. XI.

Venerabilis Frater salutem & Apostolicam Benedictionem.

PRæviâ, maturâ, sedulâque eorum omnium discussione, quæ dudum exposita Nobis fuerunt à Dilecto Filio, Vicario Generali Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupatorum, benignè annuendum duximus humili, enixæque ejus supplicationi, ut Conventus ejusdem Ordinis in Provincia Franconiæ constituti, â superioritate, ac jurisdictione dilecti itidem Filii, moderni Provincialis Ministri, ac pro tempore existentis Provinciæ Franco-Bavaricæ, cui hactenus subjecti fuerunt, eximerentur, ac segregarentur, & ex ipsis alia Provincia, Franconiæ deinceps nuncupanda, cum omnibus juribus, privilegiis, & prærogativis, quibus cœteræ dicti Ordinis Provinciæ gaudent, erigeretur. Id porro ipsum ut primo quoque tempore perficiatur, aliis Nostris in simili forma Brevis literis die 26. Junii nuper elapsi datis, dilecto etiam Filio, Antonio à Cramburgo Exprovinciali Provinciæ Stiriæ, & actuali prædicti Ordinis Definitori Generali opportunam attribuimus facultatem. Gratum profectò, ac jucundum admodum Nobis fuit Fraternitatis quoque Tuæ votis ea in re satisfacere potuisse, cui cæteroquin assidua, & luculentiora paternæ nostræ voluntatis argumenta exhibere præter modum cupimus. Tibique interea, Venerabilis Frater, uberem bonorum omnium copiam ab eorum largitore Deo ex animo precamur, & Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXI. Augusti MDCCXI. Pontificatûs Nostri Anno undecimo.

Joannes Christophorus Battellus
Secret.

Autog. in Secret. Brev. ad Principes *regesto mens. & anni præd. fol.* 28.

Idem

Idem ipſum Principi Epiſcopo Herbipolenſi ſignificat.

A tergo: *Venerabili Fratri, Epiſcopo Herbipolenſi.*

CLEMENS PP. XI.

Venerabilis Frater ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

COgnitâ æquitate ſupplicationis Dilectorum Filiorum Fratrum Minorum, Ordinis Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum, Provinciæ Franconiæ, libenti planè animo indulſimus, ut eorum Conventus à ſuperioritate, ac juriſdictione pro tempore exiſtentis Miniſtri Provincialis Provinciæ Franco-Bavaricæ, cui antea ſuberant, eximerentur, ac ſepararentur, &, ex ipſis alia peculiaris Provincia, Franconiæ deinceps nuncupanda, cum omnibus juribus, privilegiis, & prærogativis, quibus cœteræ dicti Ordinis Provinciæ potiuntur, erigeretur, quemadmodum aliis noſtris, in ſimili forma Brevis die vigeſimâ ſextâ Junii nuper elapſi datis litteris, quibus dilecto itidem Filio, Antonio à Cramburgo, Exprovinciali Provinciæ Stiriæ, & actuali prædicti Ordinis Definitori generali, amplam ad id tribuimus facultatem, uberiùs continetur. Optatis porro Fraternitatis tuæ ea in re ſatisfeciſſe magnopere gaviſi ſumus, qui opportunitates omnes propenſam admodum voluntatem erga Te noſtram declarandi libenter amplectimur. Ejus interea ſolidum argumentum Tibi, Venerabilis Frater, Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXI. Auguſti MDCCXI. Pontificatus Noſtri Anno undecimo.

Joannes Chriſtophorus Battellus
Secretarius.

Autograph. loco ſuprà citato fol. 29.

EPISTOLA.

Eminentiſſimi Cardinalis, Summo Pontifici â Secretis, de eodem dato erigendæ Provinciæ Franconiæ mandato Fratres informantur.

Admodum Reverendi Patres.

QUod à Vobis diu optatum fuit, tantoque ſtudio & ſollicitudine poſtulaviſtis, ut ex Franconia, atque Svevia una conſtitueretur Provincia cum iiſdem juribus omnibus, ac reliquæ Ordinis veſtri habent Provinciæ, id Sanctiſſimum Dominum Noſtrum indulſiſſe, Vobis compertum erit ex Ejuſdem litteris, in forma Brevis die 26. ſuperioris Iunii, datis ad P. Antonium de Cramburgo, cui voluntatis ſuæ exequendæ munus demandavit. Fecit hoc tum de conſilio Eminentiſſimi Cardinalis Acciajoli, in cujus clientela eſt Ordo veſter, tum audito Vicario Generali ejuſdem Ordinis, tum demum, ut precum, quas illi porrexiſtis, rationem haberet, Voſque hoc beneficio pro ſua in Ordinem & Nationem veſtram ſingulari benevolentia atque amore proſequeretur. Id tamen Sanctitas ſua enixè cupit, ut, quod veſtris rationibus, atque utilitati futurum eſt, id magis Inſtituto veſtro, & regularis diſciplinæ obſervantiæ bene vertat, ita, ut majori ex commodo atque concordia, quam nova Vobis affert Provincia, animos ſumentes, magis atque magis vitæ morumque ſanctitati operam detis impoſterum. Idcirco, quemadmodum ad litteras veſtras reſcribere, ſic id ſignificare me juſſit Sanctitas Sua, quæ Paternam Vobis omnibus Benedictionem elargitur, & veſtris precibus ſe, Eccleſiamque, tot undique malorum fluctibus agitatam commendat, atque Ego PP. Veſtris à Deo omnia fauſta precor. Romæ 29. Auguſti 1711.

Paternitatum Veſtrarum.

F. Card. Paulutius.

Autogr. in Archivo Provinciæ.

Conventus Franconiæ à Provincia Bavariæ ſeparari & in Provinciam erigi concedit.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

INjuncti Nobis divinitus Sacroſancti Apoſtolatûs Officii ratio exigit, ut paternam Chriſti. *Reſiduum cum Separationis inſtrumento vide ſupra fol.* 157.

Domos Dunckelſpilanam & Gamundianam â Provincia ſeparari, & Provinciæ Bavariæ uniri confirmat.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

PAſtoralis Officii Nobis divinitus commiſſi ſollicitudo Nos admonet, ut Religioſorum Virorum. *Reſiduum vide pariter ſupra fol.*162. *Inter ipſa Bavariæ Documenta f.*155. *reperies & locum, in quo litteræ Apoſtolicæ primæ diviſionis, ſeu Conventuum Bavariæ æquè, ac Franconiæ à Provincia Tyrolenſi ſegregationis extenduntur.*

DECRETO

S. Congregationis Rituum

Electio S. Joſephi, Sponſi B. V. Mariæ, in Patronum Provinciæ confimatur.

Ordinis Capucinorum Provinciæ Franconiæ.

AD humillimas preces Fratris Lucæ Rottenfelſenſis, Miniſtri Provincialis Provinciæ Franconiæ, nomine etiam Definitorum, & Fratrum ejuſdem Provinciæ, Ordinis Capucinorum, nuper Auctoritate Apoſtolica à Provincia Bavariæ diviſæ, Sac. Rituum Congregationi pro approbatione electionis in Patronum principalem S. Joſephi ab ipſis factæ humillimè ſupplicantium, Sacra eadem Congregatio Rituum, audita prius relatione P. Procuratoris Generalis prædicti Ordinis, attento, quod hujuſmodi electio, ſervatis ſervandis, & juxta formam Decreti Generalis S. M. Urbani Papæ VIII. die 23. Martii 1630. editi facta fuerit, eamdem electionem approbavit, & S. Joſepho prædicto, ut præfertur, ſic in Patronum electo, prærogativas omnes Patronis Principalibus competentes attribuit, atque conceſſit, Die 20. Novembris 1717.

F. Card. de Abdua Præſ.

Autographum in Archivo Secretariæ Congreg. menſ. & anni præd. f. 214.

NOTA.

DEcretum Generale, quod ſuprà adducitur, ordine Urbani Papæ VIII. de Electione Sanctorum in Patronos emanatum, fuit & eſt tenoris, qui ſequitur:

Sacra Rituum Congregatio, annuente SS. D. N. in Electione Patronorum mandavit infraſcripta in poſterum ſervari debere, declarans, quod aliter facta electio nulla ſit ipſo jure.

Primò. Quod eligi poſſint in Patronos ii ſolùm, qui ab Eccleſia univerſali titulo Sanctorum coluntur, non autem Beatificati duntaxat.

Secundò. Quod de Patrono Civitatis electio fieri debeat per ſecreta ſuffragia à Populo, mediante Conſilio generali illius Civitatis & Loci; non autem ab Officialibus ſolùm, &, quod accedere debeat conſenſus Epiſcopi, & Cleri illus Loci. Idemque ſervari debeat in Patrono Regni, qui pariter eligi debeat per ſecreta ſuffragia à populo ſingularum Civitatum Provinciæ. Et quod Repræſentantibus Regnum, Civitatem, Provinciam, nulla competat facultas eligendi Patronos, niſi ad hoc habeant ſpeciale mandatum: & ulterius interveniat conſenſus Epiſcopi, & Cleri dictarum Civitatum.

Et tertiò. Quod cauſæ electionis novorum Patronorum debeant in S. Congregatione deduci, & ab ea examinari, ac demum cauſa cognita ab eadem Congregatione approbari, & confirmari.

Et ne præmiſſorum ignorantia ullo unquam tempore poſſit allegari, eadem S. Rituum Congregatio ſupradictum Decretum imprimi, & publicari mandavit. Romæ 23. *Martii* 1630.

Joan. Baptiſta Card. Detus.

Autog. in Secret. Congreg. menſ. & anni præd.

PROVINCIA BOEMICA

EA est veræ Virtutis conditio, ut opere consummata non pereat, sed fœcundo semper semine pariat fructum felicem, sui exemplum; nec inter actionis locum coerceatur, sed famâ duce ad exteras quoque oras propagetur, ibique incendat cupidinem ejusdem quærendi usuram. Talis fuit Virtus à Fratribus nostris per Galliam, Hispaniam, Germaniam, & Italiam sata, dum horum Regnorum & Nationum cancellos egressa, & per exteras terras prævolo plausu translata, etiam in Civitate Pragæ eoipso tempore, quo Celsissimus, & Reverendissimus Archiepiscopus & Princeps Zbigneus, ex Comitibus de Berka à Lippa, & Duba nobiliorem Ecclesiæ suæ partem sævo hæreseos exitio correptam & corruptam altiùs ingemuit, feliciter personuit, Eundemque ad Fratres nostros Pragæ stabiliendos incitavit.

Quàm ardens in Eo fuerit deducendi ad opus sui consilii studium, elucet ex Litteris, quibus ad P. Hieronymum de Sorbo, tunc Ordinis Ministrum Generalem datis, Fratrum nostrorum subsidium poposcit, quæque in suo autographo ita sonant:

Reverende Pater:

Quanta fuerit olim in hoc Bohemiæ Regno, jam inde post ipsius conversionem, & multis deinceps temporibus, Fidei & Catholicæ Religionis sinceritas; quantus hominum ardor in complectendo, & modis omnibns amplificando cultu divino, frequentes adhuc Ecclesiæ, & Monasteria, in quibus Homines Religiosi Deo assiduè serviebant, magnis sumptibus & ædificiis constructa facilè testantur, quæ tametsi pleraque postmodum refrigescente charitatis fervore, & supervenientibus propter hæreses instinctu introductas, bellaque, animorum dissidiis, dignitatem & eximium suum splendorem amiserint, nihil tamen Nobis accideret optabilius, quàm, si nostro etiam tempore, dum hac pascendi gregem Domini curâ (licèt indigni) fungimur, videremus pristinam hîc iterum pietatem restitui, ac florescere. Quod equidem sperare possemus, dummodo in tam copiosa & abundanti messe, qualis in hoc Regno conspicitur, plures existerent Operarii, qui bonæ vitæ exemplo, & convenientibus mediis ea, quæ injuriâ temporum interciderunt, denuo paulatim erigant, devios, & hæresum erroribus implicatos ad rectam Catholicæ Fidei semitam iterum reducant, & Po-

pulum hujus Patriæ ad ſequenda Majorum ſuorum veſtigia, qui Catholicam Fidem firmiſſimè amplectebantur, & inter quos etiam Sancti Patroni Wenceslaus, & Adelbertus, quorum hîc ſepulchra, & Sacras Reliquias quotidie veneramur, præcipuum locum obtinent, ſeriò & cum efficacia cohortentur.

Hinc, dum ex commiſſo Nobis officio, mentis noſtræ aciem eò intendimus, unde hominum malitiâ, quæ calamitoſo hoc ſæculo plus nimiùm invaleſcit & augetur, decreſcens pietas, Religio, Catholicæ Fidei fervor, ac ſtudium in animis hominum ſuccreſcere, ac hæreſes radicitus exſtirpari poſſint, inter cætera media, quæ ad id efficiendum Nobis occurrunt, hoc vel maximè idoneum fore judicamus, ſi à Nobis Patres Ord. Min. S. Franciſci Capucini huc ex Italia invitentur, & perducantur; de quorum integritate & innocentia vitæ cum minimè ambigi ſoleat, cum hoc apud omnes certum et compertum, eoſdem, ubicunque morantur, ea præſtare charitatis & pietatis officia, quibus Eccleſia Dei plurimùm juvatur, & magna bonorum hominum piis cohortationibus, & exemplis ab iiſdem adductorum fieri ſolet acceſſio. Cupientes proinde id, quod apud Nos deliberavimus, in effectum pervenire, & paternum erga eoſdem Fratres animum declarare, Reverendam Paternitatem veſtram enixè rogatam volumus, ut ſex vel quinque Perſonas de numero ſui Ordinis Fratrum deligere, eoſque ad Nos Pragam, ut iidem pro conceſſo ſibi talento fructum in Bohemia faciant & animas, hæreticorum fraude ſeductas, Deo lucrentur, ablegare velit: nam Sacræ etiam Cæſareæ Majeſtatis, ſub cujus protectione ipſis vivendum erit, ad id conſenſum jam obtinuimus, & ejuſdem Majeſtatis benigniſſimam voluntatem & deſiderium, ut iidem Fratres huc mittantur, perſpeximus. Aliàs ipſis de habitatione commoda, quam unà cum Templo & horto jam deſignavimus, cæteriſque omnibus neceſſariis opportunè proſpicietur. Cum etiam intelligamus aliquos inter eoſdem eſſe, qui Germanicam linguam in uſu habeant, tales Paternitas Veſtra huc ordinabit, qui germanicè concionari, cum hominibus loqui & tractare poſſint.

Quod ſi hæc juſta, & ſolò Dei gloriam propagandi ſtudio profecta requiſitio noſtra locum apud Paternitatem Veſtram invenerit, prout minimè dubitamus, poterit eadem Nobis reſcribere. Qui Patres, poſteaquam venerint, Nobis erunt gratiſſimi & acceptiſſimi, paternoque amore noſtro ita fovebuntur, ac eorundem numerum Deo volente brevî etiam hîc augebimus, Nos ipſius devotis Orationibus commendantes. Pragæ 10. Februarii Anno 1597.

Zbigneus Archiep. Pragenſis.

Utque hujus petitionis effectus certiùs ſubſequeretur, officia Illuſt. DD. Cardinalium Camerini, & Paravicini, Litteris ſubſequentibus interpellavit: quorum primæ ad primum datæ, ita ſonabant.

Illuſtriſſime & Reverendiſſime Dom. Domine.

Etſi Dominus Fenzonius, quoties mihi ſcribit, non intermittat de candido Illuſtriſſimæ & Reverendiſſimæ Dominationis Veſtræ erga me animo facere mentionem, tamen hoc ipſum pergatum omnino per ſe, etiam multò gratiùs accidere ſolet, ſi propriis Illuſtriſſimæ ac Reverendiſſimæ Dominationis Veſtræ literis ad me perferatur, quas cum nuper ex Comitiis Principum & Ordinum

Sile-

Silesiæ, quò Sacra Cæsarea Majestas me ablegaverat, domum reversus benevolentiæ plenas accepissem, volebam, uti conveniebat, statim ad easdem respondere, sed infirmitate corporis hucusque præpeditus, cogebar differre scriptionis officium, prout Illustrissimæ ac Reverendissimæ Dominationi Vestræ ab eodem Domino Fenzonio jam innotuisse arbitror. Quod verò intellectâ de Capucinis huc inducendis petitione meâ, Illustrissima & Reverendissima Dominatio Vestra non destiterit, unà cum Illustrissimo & Reverendissimo Domino meo observandissimo Cardinale Paravicino apud Sanctissimum Dominum Nostrum de eadem verba facere, est certè, quod magnas pro eo gratias agam, cum præsertim desiderium hoc meum Sua Sanctitas benignè approbârit, sed nihilominus scire cupiat, quamnam Ecclesiam, & quo præcipuè in istius Civitatis loco huic rei destinaverim? de quo, quamvis nunc nihil nominatim à me perscribi possit (sunt enim hîc Pragæ aliæ quoque Ecclesiæ & loca, quæ Illustrissimi & Reverendissimi Domini Nuntii Apostolici, & Excellentissimi Domini Aldobrandini inspectione, atque judicio pro iisdem Capucinis percommoda fore putantur) tamen, si certò intelligerem eosdem esse huc mittendos, adhibito Illustrissimi Domini Nuntii consilio, ex iis locis commodissimum deligerem, vel etiam ipsimet Capucini, posteaquam venirent, sibi habitationem, quam crederent maximè opportunam, deligere possent. Interim sibi Dominatio Vestra persuadere velit, iisdem, qui plurimùm exoptantur, & magnum in hac Provincia fructum facturi videntur, tam de Ecclesia, quàm omnibus aliis rebus necessariis, accedente præsertim Suæ Majestatis Cæsareæ clementissimâ voluntate ac ordinatione, opportunè provisum iri. Si quid aliud obstat circa hoc negotium, id quoque superari posse arbitror, dummodo Illustrissima & Reverendissima Dominatio Vestra hanc mihi gratiam faceret, ut apud Sanctitatem Suam, & Illustrissimum Cardinalem Sanctæ Severinæ, vel, ubi aliàs necessum fuerit, pro iisdem Capucinis huc mittendis intercedere & tractare non desistat.

Quod reliquum est, Illustrissimæ Dominationi Vestræ officia mea addictissima studiosè defero, meque ipsius solito amori reverenter commendo, quam Deus salvam & incolumen conservet, ac bonis omnibus augeat.

Pragæ die 4. Maii Anno 1597.

Zbigneus Archiepiscopus Pragensis.

Aliæ autem ad D. Cardinalem Paravicinum datæ, erant tenoris sequentis.

Illustrissime ac Revendissime Dom. Domine Colendissime.

Cum nuper intellexissem Illustrissimam & Reverendissimam Dominationem Vestram, cognitâ petitione meâ pro Fratribus aliquot Capucinis, quos huc mitti desiderarem, unà cum Illustrissimo & Reverendissimo Domino meo Colendissimo Cardinale Camerino de hujusmodi desiderio meo apud Sanctissimum Dominum Nostrum verba fecisse, accidit hoc mihi imprimis gratum, quod inde ipsius erga me propensionem in juvandis hujus Ecclesiæ rebus promptam voluntatem non obscurè perspiciam. Etsi quidem Sanctitas Sua, ut accepi, desiderium istud benignè quidem approbavit, verùm nihilominus respon-

pondit, se scire velle, quamnam Ecclesiam, & quo præcipue in istius Civitatis loco huic rei destinaverim? Hisce Illustrissimæ & Reverendissimæ Dominationi Vestræ significare volui, me nunc de certo pro iisdem Capucinis loco non posse nominatim perscribere, sed tamen hîc Pragæ aliquot Ecclesias & loca reperiri, quæ etiam Illustrissimi Nuntii Apostolici, & Excellentissimi Domini Aldobrandini inspectione atque judicio percommoda Capucinorum habitationi fore putantur, ex quibus accedente Suæ Cæsareæ Majestatis clementissima voluntate, & Illustrissimi Domini Nuntii Apostolici consilio, locus commodissimus eligeretur, vel ipsimet Capucini, posteaquam venirent, sibi habitationem, quam crederent maximè opportunam, eligere possent. Interim, ut sibi Illustrissima & Reverendissima Dominatio Vestra negotium istud ad propagandam Dei gloriam imprimis expediens, commendatum habere velit, & apud Sanctissimum Dominum Nostrum, & Illustrissimum Cardinalem S. Severinæ, vel, ubi aliàs necessum fuerit, quò iidem Capucini huc mittantur, intercedere & agere dignetur, obnixè rogo. Pragæ 4. Maij Anno 1597.

Zbigneus Archi. Episcopus Pragensis.

Ipsa operis gravitas, illud quidem accelerari suasit, modus tamen suavioris & felicioris executionis id usque ad tempus Capituli Generalis differri monuit. Hoc, Anno millesimo quingentesimo nonagesimo nono, feliciter exacto, novam in Bohemia Coloniam plantari, jubente Summo Pontifice Clemente VIII. sancitum, & duodecim Fratres sub Duce, & Præfecto Ven. Dei Servo, Fr. Laurentio à Brundusio, tunc Ordinis Definitore Generali Pragam Operarii ablegati sunt. In horum appulsu percrebuêre illico exaltationes Dei in gutture Catholici Populi, quibus Viris in subsidium Fidei à Deo missis applaudebat; visi sunt indefessi eorum labores & studia, quibus declives à veritate oves ad vias rectas reduxerunt, jacta fundamenta Provinciæ, ad imitationem Civitatis Apocalypticæ, ex duodecim Fratribus, ceu lapidibus pretiosis constructæ, per Bohemiam, Austriam, & Styriam diffusæ, ac in Diœcesi Olomucensi peculiari, & sequenti Diplomate firmatæ;

Franciscus, miseratione Divinâ S.R.E. Tit. S. Silvestri Presbyter Cardinalis à Dietrichstein, Episcopus Olomucensis, Princeps, Regalis Capellæ Boemiæ Comes, Sacræ Cæsareæ Majestatis Consiliarius, ejusdemque Regnorum, ac ditionum Hereditariarum Protector.

Dilectis Nobis in Christo Venerabilibus, & Religiosis Fratribus, Commissario Generali, ac cæteris Sacri Ordinis Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupatorum salutem in Domino.

Cum nuper à Nobis enixè petieritis, ut de nostra ordinaria authoritate Vobis & vestro Ordini licentiam & facultatem concederemus, manendi & commorandi in nostra hac Diœcesi Olomucensi, & ea omnia exercendi, quæ ex institutis vestris ad Dei Opt. Max. gloriam & fidelium ædificationem & salutem pertinent. Hinc pro nostra erga Gregem Dominicum cura, & sollicitudine, Nobis

bis licet immeritis commissâ; ac pro eo desiderio, quo quærimus, ut oves, quæ ex caula Domini descivêre, ad S. Matris Ecclesiæ sinum redeant, & pro devotione & amore, quo Ordinem vestrum prosequimur, de ejusdem Domini auxilio confisi, & de pietate, ac sedula vestra opera in iisdem ovibus verbo, & exemplo vestro reducendis plurimùm Nobis pollicentes, Vos, præfatum Commissarium Generalem & ejusdem Ordinis Fratres, tenore præsentium libentissimo animo complectimur, admittimus, ac recipimus, Vobisque prædictam licentiam & facultatem in Spiritualibus planè damus, atque concedimus, dummodo in temporalibus à Superiorum temporalium potestate & authoritate (quantùm ad temporalia pertinet) facultatem & licentiam obtineatis, & recipiatis. Omnibus & singulis Reverendis, Nobilibus, Eximiis, Venerabilibus in Christo Nobis charissimis, hujus nostræ Diæcesis Clericis, tam Sæcularibus, quàm Regularibus, cujuscunq; Ordinis, statûs, ac præeminentiæ existant, seriò in virtute Sanctæ, obedientiæ mandantes, ut in Spiritualibus non solùm vos recipiant, sed ad prædicta omnia & singula munia obeunda Vos, & à vobis legitimè missos recipiant, admittant, & charitativè tractent; à Domino Nostro Jesu Christo mercedem habituri, & à Nobis gratiam & benevolentiam auctiorem promerituri. In cujus facultatis, licentiæ, admissionis, & receptionis in Spiritualibus robur, fidem, ac testimonium præsentes has nostras litteras manu & Sigillo nostro munivimus. Datum Brunæ ex Ædibus solitæ Nostræ Residentiæ Episcopalis 26. Martii Anno 1604.

F. Cardinalis à Dietrichstein Episcopus Olomucensis.

Fuit autem, & est adhuc tum certum Divinæ Providentiæ beneficium, tum singularis ipsius Provinciæ prærogativa, quod inter Acatholicos plantata, ea sumpserit gloriæ incrementa, ut Verbi Dei prædicatione primas & plures Cathedras annuâ & ordinariâ provisione administret, potior Pœnitentium confluxus in eorum Ecclesiis videatur, plures Acatholici annuatim illorum doctrinam pro sua conversione implorent, populus in iis innocentis pænitentiæ exemplum pio affectu revereatur, & Proceres Regni passim Domicilia iis erigere mutuâ æmulatione contenderint.

Ædificârunt enim Cardinalis & Princeps Ernestus de Dietrichstein Conventum Nicolspurgensem cum Domo Lauretanâ, & Viscoviensem, quorum primo Principes Successores, & secundo Principes & Episcopi Olomucenses largâ charitate prospiciunt.

Principes de Liechtenstein, Conventum Rumbergensem cum Domo Lauretana.

Comites de Waldstein Conventum Hradistiensem in Bohemia, & Trebitiensem in Moravia.

Comites de Nostiz, Conventum Falkonoviensem in Bohemia, & Swidnicensem in Silesia.

Comites de Trautmansdorff Conventum Teinicensem.

Comites de Würben Fulnecensem, cum Domo Lauretanâ.

Comites de Colloredo Oppoczensem.

Amplior autem debetur Principibus de Lobkovitz benedictio, cum non solùm Supremus Regni Cancellarius Zdenko de Lobkovitz decretatam jam Fratrum è Regno expulsionem impediverit, & in memoriam gratiæ, quâ ad preces Ven. Dei Servi, Laurentii prædicti, Stemmatis sui propagationem à Deo impetravit, Conventum Raudnicii fundaverit, verùm etiam alii Lobkovitzienses Bilinenses, & Montferratenses Domum nostram Pontensem amplâ charitatis stipe sustentent, & Pragæ celeberrimam Domum Lauretanam, cujus bona Princeps de Lobkovitz Major natu, ceu Rector, & Patronus semper curat, spirituali Fra-

trum obsequio commiserint. Affectus excelsæ hujus Familiæ ut noscatur illustrior, non solùm in Ecclesia nostri Conventûs Raudnicensis, extorum seu funerum suorum quietem elegit, verùm etiam à tempore, quo Princeps Franciscus in minorenni cœlibatu defunctus, cœlesti suasu Habitum Capucinum Cadaveris sui tegumentum esse voluit, omnes Principes Successores ad illius exemplum in eodem Habitu sepeliri amant.

Debet Provincia hunc Procerum, Populique affectum Viris, quos à suis incunabulis habuit virtute præstantes, & Regularis observantiæ Zelatores.

Præclara Virtus Ven. Dei Servi, Fr. Laurentii à Brundusio, quem Provinciam suum Lapidem angularem noscit, in ipsa Causa, quæ de illius Apotheosi agitatur, satis superque micat.

Fr. Joannes à Venetiis, qui bina vice, ceu Commissarius Generalis habenas novellæ Custodiæ tenuit, ac eam ita tum legibus formavit, tum Domibus ampliavit, ut Secundi Fundatoris titulum retineat, zelo Fidei dilatandæ, & Regularis observantiæ mirè excelluit, hinc, dum ob primam dignus habitus est contumeliam pati, & varia subire pericula, ob secundam ad Definitoratum Generalem fuit promotus, Anno 1618. Comitia Generalia, ceu Custos Bohemiæ accedens.

Fr. Samuel Plsnensis, seu (ut alii scribunt) à Pilsenburgo, Bohemus, nobilem ortum, quem de Nobilibus Greiffenselsiis traxit, virtute, qua inter nos adolevit, longè excessit. Atlas Provinciæ *dictus, cum tempore, quo Saxonica persecutio, sacra & prophana sacrilego ausu commiscuit, onus Provincialis gubernii portaverit magnanimus, & providâ prudentiâ, hæreseos molimina feliciter contuderit. Quarta vice Provincialis, & quarta vice ad Comitia Ordinis Generalia missus, Definitor Generalis proclamatus, & deffinito aliàs hujus officii tempore non expleto, beatæ æternitatis metam octavo Julii 1664. Raudnicii attigit.*

Fr. Valerianum ex Comitibus de Magnis hîc inter Viros illustres nudè & obiter recensuisse sufficiat, gesta enim ejus effusè referet redux de eo memoria, Pontificiis Litteris, quæ ejus vitam commendant, immixta.

Fr. Alexius Burgundus, spiritu intelligentiæ repletus, Brunensem ad S. Jacobum Cathedram per plurium annorum spatium post suppressum Acatholicorum insultum eo spiritu curavit, ut Cardinalis de Dietrichstein, Brunæ existens, neglectis etiam Marchionatûs Moraviæ negotiis ad audiendam vocem sermonum ejus properaret, & Illmus D. Comes à Kauniz, præcipuus Moraviæ Dynasta, potius se à cibo, quàm à Concione P. Alexii abstinere velle assereret. Dumque Civitas Styrensis Apostolico Alexii labore sese à personatæ hæreseos zizaniis plenè purgatam esse publicis tabulis firmat, Pragensis econtra, in prælibata Saxonicæ impietatis calamitate, qua cum afflictis quondam Hebræis, Sanctificationem desertam, & Altare profanatum, portas exustas, *& Pastores veros in muneris sui exercitio, aut impeditos, aut depositos, aut cum Regularibus expulsos, mœsta ingemuit, ab eodem Alexio nec minas, nec illata verbera timente, sese à lue servatam grata confitetur. Fuit & ille primus, qui in Ecclesia S. Thomæ apud RR. PP. Augustinianos Evangelicum Ambonem, frustra frendente hæreticâ Hydrâ, conscendit; expulsis è Civitate RR. PP. Societatis Jesu, Lectiones Theologicas in Universitate Episcopali, binâ vice quotidie è Conventu Hradschinensi descendens, continuavit, Hæreticos ad publicum de rebus fidei certamen vocavit, ac pauperum, egenorumque in tempore tribulationis paternam gessit curam, ita ut non sit delenda illius memoria, sicut nec illa*

Fr. Marquardi Halberstadiensis, qui ejuratâ, in qua natus erat, hæresi, & de Ecclesia & de Provincia bene meruit; de illa, dum illius commoda indefesso studio quæsivit, de hac verò, dum bis eam peculiari Regulæ, ac claustralis Observantiæ zelo gubernavit, & angustum Conventum Pragæ in Hradschin cum Bibliotheca in augustiorem reduxit formam. Sicut Eaergumenos haud parum solatus est, proterviam Spiritûs

nequam

nequam Sacro exorcismo compescens, ita quoque anno 1680. dum pestis acerbiùs sævìit, & quinquaginta quinque Fratres in obsequio charitatis rapuit, in Domo Lauretana infectos assiduâ curâ adjuvit.

Complectitur Conventus Fratrum. xxx.

Residentia. VII.

Capucinos jussu Pontificio Pragam destinatos, & itineri jam accinctos esse, Principi Archiepiscopo nuntiatur.

Perillustris, ac Reverendissime Domine.

DE introducendis in istam Civitatem Pragensem Religiosis illis Viris, qui Ordinem & institutum, quod vulgò Capucinorum dicitur, profitentur, assequetur propediem Reverendissima Dominatio Vestra Superis benè faventibus id, quod piè admodum visa est hactenus expetere, siquidem de Mandato Sanctissimi Domini nostri jamjam itineri se accingunt ex ea Familia selecti Patres duodecim, ut se ad Vos recipiant, Vobiscumque morentur. Vestræ autem pietatis erit, eorum curam suscipere, omninoque prospicere, ne quid ipsis in itinere desit, prçsertim trans Oenipontum, ubi nullæ sunt Domus, seu Conventus hujus instituti, in quibus illi excipi, ac diversari possint. Hos igitur charitati vestræ magnopere commendat Sua Sanctitas, ego verò pluribus ad hoc Rmam Dominationem Vestram hortari desino, quippe qui planè persuasum habeam Ipsam ad id, quod est suarum partium, cumulatè præstandum, suâ sponte satis esse propensam. Itaque non omittet, ut aliqua in re iis defuisse videri possit, quos hinc accersendos putavit. Quod reliquum est ipsi Reverendissimç Dominationi Vestræ omnia studia, atque officia defero, Deum O. M. precaturus, ut eam quàm diutissimè incolumen tueatur. Romæ die 7. Julii 1698.

Perillustris ac Rmæ Dom. Vestræ.

Amicus, & uti Frater Studiosissimus.

Cinthius Card. S. Georgii.

Exemp. auth. in Arch. Provinciæ.

Statuta Confraternitatis sub titulo Passionis Domini Nostri Jesu Christi in Ecclesia Fratrum Pragæ in Hradschin, sub Regula Tertii Ordinis S. P. Francisci institutæ confirmat, eidemque speciales indulgentias largitur, quoad Confratres in perpetuum, & quoad alios Christifideles ad decennium duraturas.

PAULUS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

PIas Christifidelium Societates canonicè institutas, ac pietatis & charitatis operibus sollicitè incumbentes, ut in ejusmodi piorum operum exercitio magis confoveantur, & eorum animarum salus augeatur, specialibus favoribus & gratiis, ac cçlestium munerum donis libenter prosequimur, prout in Domino salubriter conspicimus expedire. Cum itaque, sicut accepimus, in Civitate Pragensi, una utriusque Sexûs Christifidelium Confraternitas sub invocatione Disciplinantium Passionis Domini Nostri Jesu Christi ordinariâ authoritate canonicè instituta existat, cujus Confratres in diversis pietatis & charitatis operibus se exercete consuevetunt, & inter cætera soleant Feria V. in Cçna Domini ex eorum Ecclesia, seu Oratorio Processionaliter per Civitatem procedere, seque disciplinare magna cum Catholicorum ædificatione; Cumque pro ipsius Confraternitatis prospera directione infrascripta Capitula ediderint, quæ à Venerabili Fratre Zbigneo, Archi-Episcopo Pragensi, confirmata & approbata fuerunt, eaque nunc pro majori eorum firmitate cupiant Apostolicæ nostræ confirmationis robore communiri. Nos illorum pio desiderio favorabiliter annuere, ac illis specialem gratiam facere volentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, infrà posita Capitula cum omnibus & singulis in illis contentis, Auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium perpetuò confirmamus, & appro-

approbamus, illisque perpetuæ, & inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos tam juris quàm facti defectus, si qui in eisdem intervenerint, supplemus. Tenor autem Capitulorum positorum est, qui sequitur:

In nomine Sanctissimæ Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen. Benedictus Deus, qui nunquam cessat Fideles suos animare cælesti inspiratione ad securam, & directam viam salutis, dignatus est anno elapso millesimo sexcentesimo tertio infigere cordibus quorundam Nobilium, & aliarum Personarum hìc Pragæ in Aula Sacræ CæsareæMajestatis degentium, ardentes sui amoris stimulos, & acerbissimæ Passionis Filii sui, Redemptoris nostri, ex quo condolentes multis doloribus in amarissima passione perpessis, præcipuè verò in dira & crudeli ejus flagellatione, concluserunt die Veneris Sancto vesperi devotam supplicationem instituere, & pro memoria prædictæ Passionis Domini nostri Jesu Christi usque ad sanguinem se flagellare. Ad cujus rei memoriam quidam induti cappis de tela alba, more Disciplinantium, aliisque comitantibus accensis cereis longâ veste de tela nigra indutis, omnesque facie coopertâ transegerunt suum bonum, & sanctum desiderium. Iidem hoc anno millesimo sexcentesimo quarto magis in tali opere accensi, & inflammati, crescente numero primario Personarum devotarum, & Deum timentium, necnon Dominorum præcipuorum prioris anni numerum superantium, eandemProcessionem publicè die Veneris Sancti vesperi singulari ędificatione, & utriusque sexûs populi compunctione, qui magna frequentia ad hanc devotionem concurrerat, exhibuerunt. Ubi divinitus à Deo inspirati Sodalitatem Disciplinantium determinârunt fundare, quæ Confraternitatis, seu Sodalitatis Passionis nomine nuncuparetur. Quod, ut meliori modo, & ordine fieret, cogitaverunt hanc suam novam Sodalitatem Archi-Confraternitati Romanæ conjungere pro participandis gratiis, & indulgentiis concessis iis Confratribus à diversis Summis Pontificibus. Et pro felicioris salutis via unicè convenerunt, in hac Sodalitate Regulam Tertii Ordinis observare, & à S. Patre Francisco institutam, & à Nicolao IV. Pontifice anno secundo sui Pontificatus, & à Leone X. anno millesimo quingentesimo vigesimo primo multis gratiis, & indulgentiis confirmatam, quæ ad sequentia novem capita reducitur.

De conditionibus eorum, qui ad hanc Sodalitatem adscribentur.

CAPUT I.

Nemo in hanc Sodalitatem recipietur, qui non fuerit bonus Catholicus, & obediens Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, bonique nominis ac famæ coram populo. Quod si quis receptus fuerit, qui occultè hæresi infectus, aut aliqua infamia notatus esset, talis subitò, atque convictus fuerit, à Sodalitate amovebitur.

De Ministro Sodalitatis, deque suo officio.

CAPUT II.

Hæc Sodalitas semper habebit Ministrum, & Superiorem, qui sit unus ex Sodalibus, omnium secretis suffragiis electus, qui tamen quovis anno mutabitur. Officium porro Ministri erit pręscribere ordinem rebus necessariis pro observanda Regula, amanter Sodales corrigere, qui notabiliter delinquerent in officio boni Christiani, & si quis scandalosè viveret, nec post tertiam admonitionem se emendaret, talem debebit à Sodalitate excludere. Eligentur præterea aliqui ex Sodalibus, qui deputabuntur pro Consiliariis, & Coadjutoribus Ministri. Ii curam habebunt operum misericordiæ, quæ exercenda erunt Sodalibus ægrotis, & egenis, tum etiam aliis pauperibus, ad Sodalitatem non spectantibus, prout charitas postulat Christiana.

De Habitu Sodalium.

CAPUT III.

Sodales hujus Congregationis utentur vestimentis coloris subcinericei, aut nigri, sed honestis absque curiositate, aut vanitate confectis: providebunt etiam, ut ea vestimenta sint viliora pro conditione statûs eorum. Cingentur cingulo S. Francisci. Verùm in Processionibus, quæ fient die Veneris Sancti, aut, quæ ordinabuntur à Ministro aliis opportunitatibus, observabunt modum priùs jam inceptum, nempe ut ii, qui se flagellabunt, induantur cappis de alba tela viliori, cincti fune simplici sive crasso. Ii verò, qui hos cum facibus comitabuntur, utentur cappis de nigra tela, omnes tamen habebunt facies contectas, & insigne super eas cappas *Imago Crucifixi.*

De abstinentia, & jejunio Sodalium.

CAPUT IV.

Sodales hujus Congregationis abstinebunt ab esu carnium omni die Mercurii, per annum jejunabunt verò quolibet die Veneris in memoriam Passionis Domini nostri Jesu Christi, pręterquam hi fuerint ægroti, aut in itinere. Priusquam incipient cibum sumere,

re, dicent Benedictionem mensæ, post refectionem verò agent Deo debitas gratias: quod si quis prætermiserit, dicet pro pœnitentia tribus vicibus Pater noster, & Ave Maria; postmodum à festo Omnium Sanctorum usque ad Pascha, præter dies Veneris, jejunabunt etiam diebus Mercurii, dummodo legitimè non impediantur. Jejunium Quadragesimale inchoabunt post Dominicam Quinquagesimæ immediatè. Erit insuper semper & ubique locorum Sodalium cibus & potus moderatus, conformis illi, de quo Salvator ait: attendite, ne corda vestra graventur crapulâ, & ebrietate.

De Confessione, & Communione Sodalium.

CAPUT V.

Singuli Sodales ex instituto Summorum Pontificum Nicolai IV., ac Leonis X. tenebuntur confiteri, & communicare ad minus ter in anno v. g. in festo Nativ. Domini nostri Jesu Christi, Paschatis & Pentecostes: Multò tamen melius esset, si quilibet præter eas vices confiteretur, & Sacram Communionem perciperet omnibus festis Salvatoris nostri, Beatæ Virginis, & in præcipuis Solemnitatibus Sanctorum Religionis S. Patris Francisci, pro consequendis multis indulgentiis, concessis à Sixto Pontifice Maximo iis, qui gestant cingulum S. Francisci, præterquam quod debeant etiam communicare in festo Portiunculæ, quod cadit in diem 2. Augusti, pro consequendo magno illo jubilæo Asisiensi.

De officio à Sodalibus recitando.

CAPUT VI.

Ii, qui poterunt recitare horas Canonicas more Romano, recitent, qui verò non poterunt, dicent ad minus quotidie duodecim Pater noster, & Ave Maria pro Matutino, addendo in fine cujuslibet precationis Gloria Patri &c. Sed ante inceptionem Primæ, & Completorii dicent etiam Credo &c. Psalmum Miserere, si tamen non sint recitaturi officium parvum de Pasione Domini, quod habetur adjunctum in officio parvo B. Virginis, siquidem hæc Sodalitas appellatur Pasionis.

De iis rebus, quas Sodales devitare tenebuntur.

CAPUT VII.

Cavebunt Sodales à conviviis parum honestis, & ubi immoderatè cibus & potus sumitur. Nec intersint Comediis & spectaculis, vel nugis histrionum, & fugiant tales mundanas vanitates tanquam non convenientes hominibus pœnitentiam amantibus. Sed præcipuè caveat quisque à juramento, nisi fuerit necessitate constrictus. Et quoties quis levi de causa juraverit, faciens quolibet vespere examen suæ conscientiæ, de hoc doleat, & pro pœnitentia ter Pater, & Ave Maria dicat, toties quoties juraverit. Cavebunt insuper à contentionibus & rixis, tam inter se, quàm inter alios, solventes cuilibet, quantum debent.

De audiendo Sacro, & Conventione Sodalium.

CAPUT VIII.

Singuli Sodales dabunt operam, ut quotidie Sacrum audiant; & semel in Mense omnes simul in Oratorio convenient, ubi quilibet faciet aliquam eleemosynam conformem statui suo, quam Minister collectam cum consilio Sodalium in juvandis Sodalibus infirmis, & egenis, & pro aliis rebus necessariis distribuet; quoties verò simul convenire volent, providebunt sibi de aliquo Concionatore, qui ad eos exhortationem de pœnitentia habeat, quò meliùs in incepta via salutis progrediantur.

De Sodalibus infirmis & defunctis.

CAPUT IX.

Ubi quis Sodalinm infirmitate aliquâ correptus fuerit, tenebitur Minister illum personaliter visitare (si tamen integrum ei fuerit) ad miuus semel in hebdomada, sitque sollicitus, & procuret, ut quotidie aliquis ex Consiliariis & Coadjutoribus suis eundem infirmum accedat, & procuret, ut illi omnia necessaria tam animæ quàm corporis in bona charitate suppeditentur, &, ubi contingat ægrotum vitâ discedere, de eo omnibus Sodalibus indicabitur, qui pro ordine Ministri funus devotè ad sepulturam processionaliter comitabuntur, & pio affectu exequiis intererunt, ac Officiis divinis, donec sepeliatur: & quilibet Sodalium (si Sacerdos sit) pro anima defuncti unam Missam celebrabit: Sæculares verò quinquaginta psalmos recitabunt, addendo in fine cujuslibet Requiem æternam &c. vel, si legere nesciunt, centum Pater noster recitabunt, pariter in fine cujusque subjungendo Requiem &c. In fine anni, priusquam Minister officium resignet, Anniversarium curabit pro animabus omnium Sodalium defunctorum, cui aderunt frequentes Sodales, & quilibet eorum vel dicat Missam (si Sacerdos

dos sit) vel Psalterium recitabit CL. Psalm. vel CCC. Pater noster & Ave Maria orabit, addens in fine Requiem &c. ut suprà. Demum omnibus Sodalibus manifestatur, ea, quæ in Regula continentur, consilia solùm esse pro faciliori via salutis, & majori commoditate ad Patriam cælestem perveniendi, neque obligare ad peccatum sive mortale, sive veniale, ultraquam alii Cristiani à lege divina obligantur. Unde si quis negligeret aut omnes, aut aliquas istarum rerum observare, peccatum nullum committeret, licèt in earum observatione magnum coram Deo meritum comparetur, & multæ Indulgentiæ acquiri possint, quas diversi Summi Pontifices omnibus observantibus Regulam Tertii Ordinis de pœnitentia à S. Patre Francisco institutam concesserunt.

Ptæterea, ut Confraternitas prædicta majora in dies suscipiat incrementa, de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus utriusque sexûs Christifidelibus, qui dictam Confraternitatem de cætero ingredientur, die primo eorum ingressùs, si verè pœnitentes & confessi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, Plenariam; Ac tam ipsis nunc & pro tempore describendis, quàm descriptis in dicta Confraternitate Confratribus, in cujuslibet eorum mortis articulo, si pariter verè pœnitentes & confessi, Sacraque communione refecti, vel, quatenus id facere nequiverint, saltem verè contriti nomen Jesu ore, si potuerint, sin autem, corde devotè invocaverint, etiam plenariam; Ac tam ipsis nunc & pro tempore Confratribus, quàm aliis utriusque sexûs Christifidelibus, & verè pœnitentibus & confessis, ac Sacra communione refectis, qui Superiorem Ecclesiam, vel inferiorem Capellam, seu Oratorium, ubi dicta Confraternitas est instituta, in Feria V. in Cœna Domini, ac prima Dominica Mensis Martii singulis annis devotè visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum exstirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die prædictotum id egerint, quoad Confratres præfatos Plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam & remissionem misericorditer in Domino concedimus; quò verò ad alios, non Confratres, decem annos & totidem quadragenas de injunctis eis, seu aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxamus. Insuper dictis Confratribus similiter verè pœnitentibus & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui superiorem Ecclesiam seu Capellam inferiorem, vel Oratorium, ubi dicta Confraternitas instituta existit, in Nativitatis Domini nostri Iesu Christi, ac Inventionis Sanctæ Crucis, ac Pentecostes, & Assumptionis B. V. Mariæ Festivitatibus piè visitaverint, & oraverint, ut præfertur, decem annos & totidem quadragenas. Quoties verò prædicti Confratres, saltem contriti, Missis & aliis divinis Officiis in dicta Ecclesia, vel Capella, seu Oratorio pro tempore celebrandis, & recitandis, seu Congregationibus publicis, vel privatis dictæ Confraternitatis ubivis faciendis interfuerint, aut pauperes hospitio susceperint, vel pacem cum inimicis propriis vel alterius composuerint, seu componi fecerint vel procuraverint: nec non etiam, qui corpora defunctorum tam Confratrum, quàm aliorum ad Ecclesiasticam sepulturam associaverint, Sanctissimumque Eucharistiæ Sacramentum tam in Processionibus quàm ad infirmos, aut aliàs, ubicunque & quomodocunque deferatur, pro tempore comitati fuerint, aut, si impediti, campanæ ad id signo dato, semel Orationem Dominicam, & salutationem Angelicam dixerint, aut etiam quinquies Orationem Dominicam, & toties salutationem Angelicam pro animabus defunctorum dictæ Confraternitatis Confratrum recitaverint, aut devium aliquem ad viam salutis reduxerint, & ignorantes ea præcepta, quæ ad salutem sunt, docuerint, aut quandocunque aliud pietatis & charitatis opus exercuerint, toties pro quolibet prædictorum operum sexaginta dies de injunctis eis pœnitentiis relaxamus. Præsentibus pro Christi fidelibus, non Confratribus, ad decennium duntaxat, in reliquis verò perpetuò valituris. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXVIII. Ianuarii Anno MDCIV. Pontificatus Nostri Anno primo.

M. Vestrius Barbianus.

Breve formatum in Archivo Provinciæ.

Con-

Confraternitati prædictæ ultra indulgentias, jam concessas, ad instantias Joannis Stephani, Nuntii Apostolici, alias impertitur.

PAULUS PAPA V.

Universis Christifidelibus præsentes literas inspecturis salutem, & Apostolicam benedictionem.

AD augendam fidelium Religionem, & animarum salutem, Cœlestibus Ecclesiæ thesauris piâ charitate intenti, supplicationibus quoque Venerabilis Fratris, Joannis Stephani, Episcopi Vercellensis, nostri & Sedis Apostolicæ ad Rudolphum II. in Imperatorem Romanorum electum, Nuntii, Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus & singulis utriusque sexûs Christifidelibus verè pœnitentibus, & confessis, ac sacra Communione refectis, qui Ecclesiam superiorem, vel Oratorium inferius Confraternitatis Passionis Domini nostri Jesu Christi, in Civitate Pragensi canonicè, ut accepimus, erectæ, in festo Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, à primis Vesperis usque ad occasum solis cjusdem diei singulis annis devotè visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quoad Confratres dictæ Confraternitatis, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus; quoad alios verò Christifideles decem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, seu aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxamus. Insuper iisdem Christifidelibus, & verè pœnitentibus, & confessis, ac sacra Communione refectis, qui præfatam Ecclesiam, seu Oratorium in singulis Dominicis Adventûs, necnon in Dominica Passionis, & Dominica Palmarum, piè, ut prædicitur, visitaverint, & oraverint: quoad Confratres in singulis Adventus, ac Passionis, & Palmarum Dominicis præfatis quindecim: quoad alios verò non Confratres in tribus ultimis Adventûs tantùm decem annos, & totidem quadragenas, ut præfertur, relaxamus. Ac postremò ipsis Confratribus dumtaxat, similiter verè pœnitentibus, & confessis, ac sacra Communione refectis, qui quovis modo pro hæreticorum conversione operam suam piè contulerint: quoties id egerint, quindecim annos, & totidem quadragenas de injunctis, seu aliàs, ut supra, relaxamus. Præsentibus pro Confratribus præfatis perpetuò, pro aliis verò Christifidelibus ad decennium dumtaxat valituris. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris XV. Februarii MDCIV. Pontificatus nostri anno primo.

M. Vestrius Barbianus.

Breve formatum in Archivo Conventûs in Hradschin.

A Fr. Valeriano Magno litteras sibi redditas, & motiva novi Ordinis Militaris instituendi relata fuisse, Sigismundo, Poloniæ & Sveciæ Regi significat.

A tergo: *Charissimo in Christo Filio Nostro, Sigismundo, Poloniæ & Sveciæ Regi Illustri.*

PAULUS PAPA V.

Charissime in Christo Fili noster salutem, & Apostolicam Benedictionem.

NON sine nostra spirituali lætitia legimus litteras Majestatis tuæ, à Dilecto Filio, Valeriano, Ordinis Minorum Sancti Francisci Capucinorum nuncupatorum Religioso, Nobis redditas, & quæ ipse præterea Nobis enarravit de causis, quæ Te inducunt ad novam Ordinis militaris promovendam erectionem, solam divini Nominis gloriam, & Catholicæ Fidei utilitatem spectantem, in quo, sicut aliis nostris litteris Majestati tuæ indicavimus, tua singularis, ac satis perspecta pietas, & Religionis zelus maximè elucet. Nec potest non magnopere commendari consilium tuum; quod ut confirmet Deus, suppliciter precamur. Nos quidem, cum opus tam bonum, ac tam laudabile sit, quando eò res perducta fuerit, ut modis, conditionibus, & formâ ex more hujus Sanctæ Sedis in confirmandis militaribus Ordinibus hujusmodi requisitis confirmari possit, Majestati tuæ promptè, libenterque gratificabimur. Tribuat Tibi Dominus tam pia desideria cordis tui, Teque continuâ cœlestis suæ gratiæ protectione custodiat, & Nos Apostolicam Majestati tuæ benedictionem nostram amantissimè impartimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die XVII. Aprilis MDCXVII. Pontificatus nostri anno duodecimo.

Ex Archivo Vaticano secreto Regesto Brevium ad Principes *anni prædicti fol.*202.

Ab

Ab eodem Fr. Valeriano & litteras accipiendas, & alia oretenus percipienda esse, Adolpho Comiti de Althan rescribit.

Dilecto Filio, Nobili Viro, Adolpho de Althan.

PAULUS PAPA V.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

ALiis Nostris litteris nostram paternam in Te voluntatem, &, quæ de laudabili consilio tuo res ferebat, significavimus, redeunte verò istuc Dilecto Filio, Valeriano, Ordinis Minorum Sancti Francisci Capucinorum nuncupatorum Religioso, voluimus iterum Te nostris litteris salutare, & Apostolicam benedictionem Tibi impartiri. Quæ ad rem sunt, Charissimo in Christo Filio nostro, Sigismundo, Poloniæ, ac Sveciæ Regi scribimus. Ea igitur, ex ejus Majestate, & ex ipso Valeriano cognosces. Dominus tua bene cœpta secundet, tuumque eximium Catholicæ Religionis zelum cœlesti favore prosequatur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XVII. Aprilis MDCXVII. Pontificatus nostri anno duodecimo.

Ex Archivo & loco prædictis fol. 305.

DECRETO

S. Congregationis de Propaganda Fide habitæ die 20. Aprilis 1626.

Regi Poloniæ, Fr. Valerianum in illud Regnum mitti non posse scribi, & se excusari jubetur.

SIgnificante Apostolico Poloniæ Nuntio, Regem non solùm introductionem Fatrum Capucinorum in illud Regnum approbare, sed etiam summopere illam exoptare, petereque, ut inter primos Capucinos illuc mittendos Fr. Valerianus Magnus, Bohemiæ Provincialis, annumeretur, Sacra Congregatio ad relationem Illustrissimi Cardinalis Bandini decrevit, ut sequitur:

Primò. Quod agatur cum Procuratore Generali Capucinorum, ut Fratres sui Ordinis doctrinâ, moribus, prudentia, & disciplina regulari præstantes, quot necessarios esse judicaverit, eligat, eosque in Poloniam ad unum vel plures Conventus fundandos, ubi prædicto Regi placuerit, quamprimum mittat.

Secundò. Quod inter eos, qui mittentur, dictus Fr. Valerianus non connumeretur, quia ipse juxta Decreta, aliàs facta, pro Fidei Catholicæ propagatione in Bohemia Illustrissimo Domino Cardinali de Harrach, Pragensi Archiepiscopo, qui ejus opera, & consilio indiget, assistere debet.

Tertiò. Quod scribatur Nuntio Poloniæ, ut apud Regem S. Congregationem excuset, si, donec Fr. Valeriani opera necessaria est in Bohemia, ejus desiderio satisfacere nequit, Eundemque Regem certiorem reddat, quod Superiores Capucinorum mandatis S. Congregationis obtemperantes, Religiosos optimos, & prædicto Fr. Valeriano non inferiores, illuc sint missuri.

Card. Ludovisius Præfectus.

Ex Archivo S. Congreg. mens. & anni præd.

DECRETO

Ejusdem S. Congregationis de Propaganda Fide habitæ 21. Julii 1628.

Fr. Valerianum â Provincialatu eximi, & Archiepiscopo Pragensi in Fidei negotiis assistere sancitur.

SAcra Congregatio, Sanctissimo Domino nostro approbante, mandavit Illustrissimo Domino Cardinali Ludovisio, ut cum Generali Capucinorum agat, de abdicatione Provincialatûs Bohemiæ â Persona Fratris Valeriani Magni, ut is ab onere illius officii liberatus possit in gravissimis Bohemiæ negotiis, ad fidem Catholicam in eo Regno propagandam pertinentibus, Archiepiscopo Pragensi assistere, illique consilio & opera inservire.

Ex Arch. Secret. S. Congreg. mensis, & anni prædictorum.

DE-

DECRETO

Ejusdem S. Congregationis.

Fr. Valerianus Missionarius Apostolicus per Bohemiam, & Germaniam Superiorem instituitur.

Sanctissimus in Christo Pater, & D. N. D. Urbanus, Divina Providentiâ Papa VIII.

OMnium hominum saluti pro suo Apostolico munere providere cupiens, Te Patrem Valerianum Magnum, Mediolanensem, Capucinum, unà cum Sociis, â P. Procuratore tui Ordinis Tibi assignandis ad Regnum Bohemiæ mittere decrevit, & mittit, ut in eo cum facultatibus Tibi per alias litteras concedendis, consensu tamen Ordinarii priùs requisitò, Evangelium D. N. Jesu Christi annunties, & gentes illas doceas servare, quæcumque S. Mater Ecclesia Catholica Apostolica Romana præcipit, & præsertim, ut Judicium universale eisdem contesteris. Tu itaque rei magnitudinem, & Apostolici muneris tibi commissi gravitatem seriò perpendens, in primis cave, ne ad hæreticorum conciones, aut ritus quoslibet, quovis prætextu vel causa accedas: deinde omnem adhibe curam, ut ministerium tuum dignè, ac fideliter, etiam cum sanguinis effusione, ac morte ipsa, si opus fuerit, implens, ut immarcessibilem Coronam à Patre Luminum recipere merearis. Datum Romæ ex Sac. Congreg. de Prop. Fide die 23. Martii millessimo sexcentesimo vigesimo nono Pontificatus ejusdem Sanctissimi D. N. Anno sexto.

Oct. Episcopus Ostien. Card. Bandinus.

Franciscus Ingolus Secr.

Ex Archivo prædicto.

DECRETO

Ejusdem S. Congregationis habitæ die, & anno prædicto varia circa Missionis circumstantias præscribuntur.

1. REferente Illmo D.Card.S.Sixti, Sacra Congregatio de Propaganda Fide, decrevit Patri Valeriano Magno, Mediolanensi, Ordinis Capucinorum, Missionario Apostolico concedendas esse litteras Patentes Missionis in Bohemiæ Regnum cum facultatibus aliàs à Sancto Officio obtentis, item alias similes litteras ad Germaniam Superiorem, cum facultatibus ei communicandis à Nuncio Coloniæ, ad restituendam in ijs Provinciis Catholicam Fidem destinato.

2. Præcipiendum esse Procuratori Generali Capucinorum, ut eidem Patri ultra Fratrem Laicum duos alios Sacerdotes ejusdem Ordinis assignet, qui ei in prædictis Missionibus Socii sint individui.

3. Declaravit eundem Patrem, ac ejus tres Socios non esse per hujusmodi Missiones exemptos à jurisdictione, ac potestate Superiorum ejusdem Ordinis quoad disciplinam regularem, salvis tamen infrà decernendis, sed tantummodò quoad negotia quomodolibet ad Missiones prædictas spectantia, & in eisdem ab eodem Patre, ac Sociis de mandato Sanctissimi D. N. vel Sac. Congregationis pertractanda, in illis enim Illustrissimi Patres decreverunt, eundem Patrem, ac Socios immediatè subjiciendos esse potestati, jurisdictioni, & directioni ejusdem Sanctissimi D.N. vel Sac. Congregationis tantùm.

4. Censuit, concedendum esse eidem Patri Valeriano, ac uni ex Sociis per eum assumendo, usum currus, equi, aut alterius generis jumenti ad iter peragendum apti, in duobus tamen casibus tantùm, videlicet necessitatis suæ valetudinis, vel necessitatis negotii, expediendi pro Fidei Catholicæ propagatione, & animarum salute, donec in præfatis negotiis fuerit occupatus.

5. Inhibendum, ac præcipiendum esse Superioribus Localibus Religionis Capucinorum, cæterisque Ecclesiasticis Personis, sive Sæcularibus, etiam in Ecclesiastica dignitate constitutis, sive Regularibus, cujuscumque Ordinis, Religionis, Congregationis, aut Instituti, & quocunque nomine nuncupentur, ne eundem Patrem Valerianum, ejusque Socios conjunctim, vel divisim, quovis quæsito colore, vel prætextu, aut aliàs quomodocumque in negotiis ad Missiones prædictas quomodolibet spectantibus impedire, molestare, aut inquietare audeant sub pœna indignationis Sanctissimi D. N., & pro tempore Romani Pontificis.

Et postremò, ut meritum ex obedientia, ultra illud, quod ex operibus bonis provenit Christi Domini Operariis, idem Pater Valerianus, ac ejus Socii consequi valeant, Sac. Congregatio censuit, præcipiendum esse eidem Patri, ut omni diligentia, ac studio in præfatis Missionibus, ac in negotiis ad eas spectantibus cum Sociis assumendis strenuè laboret, & Sanctum ejusdem Christi Domini Evangelium Populis Bohemiæ, ac illis Germaniæ Superioris, ad quos à præfato Nuncio Coloniæ dirigetur, & præsertim eorumdem Populorum Principibus, & Dominis libera

bera voce proponat, ac prædicet, & Catholicam Fidem, eâ,quâ decet Apostolicum Missionarium, prudentiâ, zelo, ac dexteritate promoveat, ut, quemadmodum hactenus non sine insigni sua laude, ac erga hanc Sedem Apostolicam meritis in Regno Bohemiæ id præstitit, ad Dominum Vineæ, qui est ejusdem Christi Domini Vicarius in terris, non vacuus, sed cum ingenti fructu, Spiritûs S. gratiâ proveniente, & cooperante revertatur, non obstantibus &c.

Eodem die Sanctissimus Dominus Noster decretum Sacræ Congregationis confirmavit, & approbavit, & per R.P.D. Ciampolum Breve expediri mandavit, ad eundem Patrem Valerianum, in quo facta mentione de ejus Missione, juxta ejusdem Sac. Congr. decretum, illum sedulò moneat,& hortetur ad tanti muneris prosecutionem,& executionem.

Oct. Episcopus Ostien. Card. Bandinus.

Ex Archivo prædicto.

Eundem Fr. Valerianum ex Sapientia & pietate laudat, Eumque ad munus Missionarii Apostolici in Boemia & Germania superiore strenuè obeundum, stimulat.

A tergo: *Dilecto Filio, Valeriano Magno, Sacerdoti Capucino.*

URBANUS PAPA VIII.

Dilecte Fili salutem, & Apostolicam Benedictionem.

EXperta planè feliciter hactenus est Ecclesia progigni ex sapientia & pietate tua fructus salutis populis, panem Angelorum esurientibus. Quæ autem officia sollicitudinis tuæ in Boemia habuerunt Deum authorem & suffragantes Coelites, non caruerunt certè Romæ plausu & Pontificiæ authoritatis commendatione. Quare Nos & Sacra Congregatio, propagandæ fidei negotia curans, decrevit virtutem tuam Regnis salutarem ex umbra religiosæ Cellæ educandam in lucem gentium, atque Aulas Dominantium. Cum igitur Te charitate Apostolica complexi simus, & Regni cœlestis negotia disserentem libentissimè audiverimus, volumus, Te benedictione nostra armatum ad ea castra redire, in quibus pugnans adversùs Principes tenebrarum extollere potes trophæum Crucis Christi. Proinde Angelis custodientibus, & comitantibus virtutibus progredere Missionarius Apostolicus in Bohemiam, & Germaniam superiorem, iis privilegiis munitus, quæ sacræ Congregationis Diplomate declarantur. Scimus alienis admonitionibus non egere perspectam charitatem tuam, in cujus meditatione exardescit ignis Divini amoris, cujus conatu progigni solet fœlicitas animarum. Voluimus tamen Te Apostolicarum literarum voce non tam moneri, quàm decorari, ut, qui bonæ conscientiæ theatro, & videntis Dei judicio contentus, insanias falsas ambitiosi fastûs posthabuisti doctrinæ Crucifixi Domini, consolari aliquando possis labores tuos, tum difficultatibus, tum laboribus oppugnatos, luculentâ hac Pontificiæ benevolentiæ testificatione. Custodiat Te Dominus in omnibus viis tuis. Nos certè eum orabimus, ut in semitis non solùm Divinæ legis, sed etiam Christianæ fœlicitatis pulchri sint pedes evangelizantium pacem.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die VI. Aprilis MDCXXIX. Pontificatus Nostri Anno sexto.

Joannes Ciampolus Secr.

Autog. in Secret. Brev. ad Princ. *reg. mens. & anni præd. fol.* 28.

Eundem Fr. Valerianum, â Duce Mechelburgi Romam ablegatum, ceu facundum litterarum Interpretem, & dignum commissi negotii Curatorem à se auditum esse, Eidem Duci nuntiat.

A tergo: *Dilecto Filio, Nobili Viro, Duci Mechelburgi.*

URBANUS PAPA VIII.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

VOta & consilia Nobilitatis tuæ dum propagare conantur Religionis Imperium, digna sunt, quæ triumphent in conciliis justorum, & armentur patrocinio Bellatoris Omnipotentis. Dextera Domini faciat virtutem in dextera Nobilitatis tuæ, per quam fulmina Divinæ ultionis in perfidiam impiorum Ecclesia gaudet contorqueri. Nos certè benedicimus Tibi, cupientes tanto Duci gratulari victorias, quibus hæresis exarmetur & deterreatur Barbaries. Accepimus literas tanti negotii indices, & libentissimè audivimus, qui

qui eas detulit, dilectum Filium, Valerianum, Capucinum, facundum tuę mentis interpretem, dignum tantæ causæ curatorem. Ex eodem, quid sentiamus, cognoscet Nobilitas tua, cujus sublimi ingenio, cogitanti beneficia Christianitatis, cupimus plausus terrarum & Cœli diademata deberi.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die XVII. Julii MDCXXXII. Pontificatus nostri Anno nono.

Autog. in Arc. Secr. Brev. ad Principes *reg. mens. & anni præd. f.* 147.

Eundem F. Valerianum ad partes Poloniæ secedere, ibique Religionis negotia curare, ad Litteras Imperatoris Ferdinandi consentit.

A tergo: *Charissimo in Christo Filio Nostro, Ferdinando, Hungariæ & Boemiæ Regi illustri, in Romanorum Imperatorem electo.*

URBANUS PAPA VIII.

Charissime in Christo Fili Noster, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

QUod dilectum Filium, Patrem Valerianum Magnum, ex Ordine Capucinorum à tuis negotiis, quibus hic tenebatur, expeditum & liberum esse vis, ut in Poloniam, quo illum Charissimus Filius Noster, Uladislaus Rex vocat, quantocius proficiscatur, quodque à Nobis petis, ut ipsi eò se conferendi potestatem faciamus, libenter assentimur Majestâti tuæ, cum præsertim agatur de Divina gloria, quacum Poloniæ Regis negotia, quæ per Religiosos Viros transiguntur, conjuncta esse solent. Itineri igitur primo quoque tempore se committet, paternam nostram charitatem erga Te ac Poloniæ Regem, Sororis tuæ Filium, ubique testaturus: Majestati tuæ Apostolicam Benedictionem amantissimè impertimur.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris III. Julii MDCXXXIV. Pontificatus nostri Anno undecimo.

Autog. in Secret. Brev. ad Principes *regesto mens. & anni præd. f.* 193.

Eundem F. Valerianum ad partes Poloniæ rursus mittendum, Regi Uladislao intimat.

A tergo: *Charissimo in Christo Filio Nostro, Uladislao, Poloniæ, & Sveciæ Regi Illustri.*

URBANUS PAPA VIII.

Charissime in Christo Fili noster salutem, & Apostolicam Benedictionem.

POstulatis tuis, quantùm par est, suffragantes, Religioso Viro, Valeriano Magno, ex Ordine Capucinorum S. Francisci, potestatem facimus, ut ad Majestatem tuam proficiscatur, atque isthic per annum immorari possit; ita tamen, ut pro eo temporis spatio jurisdictioni & obedientiæ Superiorum ejusdem Ordinis subjectus remaneat. Sanè cum tuis desideriis singulari desiderio indulgeamus, dubitandum Tibi non est, ne in posterum quoque eorum, ubi opportunitas postulaverit, præcipuam rationem habeamus. Interim Altissimum precamur, ut Te, atque istud Regnum Divino suo præsidio clementer tueatur, & Majestati tuæ Apostolicam Benedictionem amantissimè impertimur.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXX. Ianuarii MDCCXXXVIII. Pontificatus Nostri Anno quintodecimo.

Julius Rospigliosus Secret.

Autog. in Secret. Brev. ad Principes *Regesto mens. & anni præd. fol.* 56.

Facultates concessæ à SS. D. N. Innocentio X. eidem Fr. Valeriano, Missionario in Saxoniam Electoralem, Marchiam Brandenburgicam, Hassiam, & Dantiscum deputato.

1. ADministrandi omnia Sacramenta, etiam Parochialia, Ordine & Confirmatione exceptis, & quoad Parochialia in Diœcesibus, ubi non erunt Episcopi, vel Ordinarii, vel eorum Vicarii, vel in Parochiis, ubi non erunt Parochi, vel, ubi erunt, de eorum licentia.

2. Absolvendi ab hæresi & Apostasia à Fide, & à Schismate quoscunque, etiam Ecclesiasticos tam Sæculares, quàm Regulares, non tamen eos, qui ex locis fuerint, ubi Sanctum Officium exercetur, nisi in locis Missionum, in quibus impunè grassantur hæreses,

deliquerint: nec illos, qui judicialiter abjuraverint, nisi isti nati sint, ubi impunè grassantur hæreses, & post judicialem abjurationem, illuc reversi fuerint relapsi, & hos in foro conscientiæ tantùm.

3. Absolvendi ab omnibus casibus Sedi Apostolicæ reservatis, etiam in Bulla Cænæ Domini contentis.

4. Absolvendi & dispensandi à Simonia, non tamen reali, nisi dimissis beneficiis, & fructibus ex eis malè perceptis, arbitrio Sanctitatis Suæ restitutis, si facilis erit recursus ad Sedem Apostolicam: si verò difficilis, vel ob distantiam locorum, aut alias causas, etiam in reali, dimissis beneficiis, & super fructibus malè perceptis, injunctâ aliquâ elemosynâ, vel pœnitentiâ salutari, arbitrio dispensantis: vel etiam retentis beneficiis, si fuerint Parochialia, & non desint, qui Parochiis præfici possint.

5. Tenendi & legendi, non tamen aliis concedendi, libros hæreticorum, vel Infidelium, de eorum Religione tractantium, ad effectum eos impugnandi, & alios quomodolibet prohibitos, præter opera Caroli Molinei, Nicolai Machiavelli, & libros de Astrologia Judiciaria principaliter vel incidenter, vel alios quovis modo de ea tractantes, ita tamen, ut libri ex illis Provinciis non efferantur.

6. Celebrandi Missam quocunque loco decenti, etiam sub dio, sub terra, unâ horâ ante auroram, & alia post meridiem, bis in die, si necessitas cogat, si tamen in prima Missa non sumpserit ablutionem, & super Altari portatili, etiam fracto aut læso, & sine Sanctorum Reliquiis, & præsentibus Hæreticis, aliisque excommunicatis, si aliter celebrari non possit, & non sit periculum sacrilegii, dummodo inserviens Missæ non sit hæreticus, vel excommunicatus.

7. Dispensandi, vel commutandi vota simplicia, etiam castitatis, ex rationabili causa in alia pia opera, non tamen Religionis.

8. Dispensandi in foro conscientiæ super irregularitate ex delicto occulto proveniente, & non deducto ad forum contentiosum, non tamen ex homicidio voluntario, aut bigamia.

9. Dispensandi in tertio, & quarto gradu consanguinitatis, & affinitatis simplici & mixto, & in secundo, tertio, & quarto mixtis, non tamen in secundo solo, quoad futura Matrimonia, quo verò ad præterita, etiam in secundo solo cum his, qui ab hæresi vel infidelitate convertuntur ad Fidem Catholicam, & in prædictis casibus Prolem susceptam declarandi legitimam.

10. Dispensandi super impedimento criminis, neutro tamen Conjugum machinante: ac restituendi jus petendi debitum amissum.

11. Dispensandi super impedimento publicæ honestatis justitiæ ex sponsalibus proveniente.

12. Dispensandi in impedimento cognationis spiritualis, præterquam inter levantem & levatum.

13. Hæ verò dispensationes Matrimoniales ultimæ, nona, decima, undecima & duodecima, non concedantur, nisi de consensu Episcoporum, si ibi erunt, & cum clausula, dummodo mulier rapta non fuerit, in potestate raptoris non existat, & in dispensatione tenor hujusmodi facultatum inseratur cum expressione temporis, ad quod fuerint concessæ.

14. Dispensandi cum Gentilibus, & infidelibus, plures uxores habentibus, ut post conversionem, & Baptismum, quam ex illis maluerint, si tamen ipsa fidelis fiat, retinere possint, nisi prima noluerit converti.

15. Concedendi Indulgentiam Plenariam primò conversis ab hæresi, atque etiam fidelibus quibuscunque in articulo mortis, saltem contritis, si confiteri non poterunt.

16. Concedendi Indulgentiam Plenariam in Oratione quadraginta horarum, ter in anno de consensu Episcoporum, si ibi erunt, indicenda diebus benevisis, contritis, & confessis, & Sacra Communione refectis, si tamen ex concursu Populi, vel expositione SS. Sacramenti nulla probabilis suspicio sit sacrilegii ab Hæreticis, Infidelibus, aut Magistratum offensum iri.

17. Concedendi singulis Dominicis, & aliis diebus festivis decem annorum indulgentiam iis, qui ejus concionibus intervenerint, & plenariam iis, qui prævia Sacramentali peccatorum suorum confessione Sacram Eucharistiam sument in festis Natalis Domini, Paschatis, & Assumptionis B.V. Mariæ.

18. Lucrandi sibi easdem Indulgentias.

19. Singulis secundis feriis non impeditis officio novem lectionum, vel eis impeditis, die immediatè sequenti celebrando Missam de Requiem in quocunque Altari, etiam portatili, liberandi Animam secundùm ejus intentionem à Purgatorii pœnis, per modum suffragii.

20. Deferendi Sanctissimum Sacramentum occultè ad Infirmos sine lumine, illudque sine eodem retinendi pro eisdem infirmis, in loco tamen decenti, si ab hæreticis aut infidelibus sit periculum sacrilegii.

21. Induendi vestibus sæcularibus, si aliter vel transire, vel permanere non poterit, in locis Missionum.

22. Recitandi Rosarium, vel alias preces, si Breviarium secum deferre non poterit, vel Divinum Officium recitare non valeat.

23. Benedicendi paramenta, & alia utensilia ad Missæ Sacrificium necessaria, ubi non inter-

intervenit unctio, & reconciliandi Ecclesias pollutas, aquâ ab Episcopo benedictâ, & in casu necessitatis, etiam aquâ non benedictâ ab Episcopo.

24. Communicandi supradictas facultates sociis suis in Missione.

25. Utendi eisdem facultatibus in locis suæ Missionis tantùm, & gratis utantur.

Feriâ quintâ, die prima Junii 1645. In Congregatione Generali S. Romanæ & Universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico, Montis Quirinalis, Sanctissimus Dominus Noster Innocentius Papa X. prædictus, concessit supradictas facultates præfato Fratri Valeriano Mediolanensi, Ordinis Capucinorum Missionario in Saxoniam Electoralem, Marchiam Brandenburgicam, Hassiam & Dantiscum ad Septennium proximè futurum.

Cardinalis Barberinus.

Jo. Antonius Thomasius, S. R. & Universalis Inquisitionis Notarius.

Ex Archivo S. Officii Inquisitionis.

NOTA.

AB Opitergio, Fori Julii Oppido, Dominos de Magnis, stemmatis sui initia trahere, tradunt Genealogi, &, Attila Hunnorum Rege, Italiam igne ferroque devastante, & Opitergio in cineres redacto, eos in varias Regiones fuisse dispersos, adjungunt illius ætatis Historiographi; metu enim persecutionis alii ad Lacunas Venetas, alii ad Regnum Neapolitanum, alii ad partes Germaniæ, alii Mediolanum secesserunt, domicilia ibi figentes. Ortus est ex his ultimis sæpe enunciatus Fr. Valerianus, habuitq; Constantinum de Magnis, & Octaviam Carcassulam Parentes, quorum Matrimonio Deus quinque masculæ prolis forte benedixit, trinâ Mediolani, & alia binâ Pragæ susceptâ: ad hanc enim Boemiæ Regiam Constantinus cum sua Familia sub Rudolpho II. se contulit, repetiturus ibi notabilem pecuniarum summam, Maximiliano Imperatori II. mutuò datam, & bello Hungarico consumptam. Negotii moras facilè capit, aularum morem qui callet. Ex iis quoque evênit, ut stabilia bona, quibus in Ducatu Mediolanensi gaudebat amplis, sensim vel consumerentur, vel ob lites Regio Fisco addicerentur, ita ut Familia (prisco licèt splendore semper retento) egestate non parum premi cœperit. Sublato è vivis Constantino, Franciscus Filius natu minimus ob præclara gesta, & eximia militaris peritiæ argumenta, non solùm bona confiscata reacquisivit, verùm etiam à Ferdinando II. & III. variis honoribus fuit insignitus, primò quidem in S. Rom. Imp. Equitem, mox in Baronem, ac tandem in Comitem creatus. Dum autem post Patris mortem Maximilianus, tertiò & Mediolani genitus (noster postmodum Valerianus) sub cura Matris hæsit, speciali eum præ aliis hæc complectebatur amore; dum enim aliorum aut vivacior, aut morbis affecta natura plures ei pariebat molestias, quiêta econtra Maximiliani indoles fuit illi continua gaudii occasio. Sagax hujus ingenium, & nativa docilitas otiô ne torperet, Pallade eam inter Scholas excoluit, in hisque eos fecit progressus, quibus & Fratres & Condiscipulos anteivit. Interno quodam motu Capucinos adire, & Ven. Dei Servum, Fr. Laurentium à Brundusio, tunc Pragæ concionantem, audire gestiit, exinde statûs religiosi animum concepit, huncque post lectum de quatuor novissimis librum, selectu nostri Instituti firmavit, ac par pietatis consilium Fratri suo Jo: Baptistæ, quo familiariùs uti consueverat, facilè suggessit.

Interea dum Carolus de Magnis, Maximiliani Patruus, à Rodulpho Imperatore in Poloniam ablegatus, de liberatione Archiducis Maximiliani, qui à parte Procerum ad coronam vocatus, in prælio contra Sigismundum III. Jagellonium infeliciter inito, captus fuerat, sollicitè egit, cum Apostolico ibi Nuntio, Hyppolito Aldobrandino, postea sub nomine Clementis VIII. ad solium D. Petri evecto, familiarem consuetudinem iniit, & cum eo unum ex Constantini defuncti Filiis Romam ad studia & sortem destinari conclusit. Fuit Maximilianus ob excellentes, quæ in eo fulgebant, dotes selectus, qui autem paratis ad iter omnibus, constitutis famulis, aptatâ supellectile, dieque discessûs jam indicto, vocationis suæ memor, cum Fratre Jo: Baptista paternam Domum reliquit, & ad Capucinos se contulit, in ipsa jam via Sathanæ technas expertus; nam dum trajectâ, quæ Pragam intersecat, Moldaviâ, Montem, quo ad Capucinos itur, ascendit, marsupium pecuniis refertum reperit, &, ne has & alias lusui &c opportunas negligeret, internè suadentem audivit: curiosè quidem Maximilianus crumenam lustravit, ex primo autem, quem extraxit, nummo aureo, dolum inferni agnovit: datis inde Famulo pecuniis in pauperes erogandis, lotisq; manibus iter absolvit, & inter Sacros cum Fratre clausus nostri Conventûs muros, die Mysterio Marianæ Annuntiationis sacro, uterque Habitu donatur, nomine præhabito juxta Religionis morem deposito, & illo Jo: Baptistæ in Tiburtium & alio Maximiliani in Valerianum commutato. Fuit quidem unus, & idem in utroque religiosi propositi zelus, dispar tamen exitus; Tiburtius enim morbo correptus, ex Medicorum consilio ad patrios regressus est lares, & recuperatâ salute in pugna, in qua partes Ducis strenuè gessit, glande percussus occubuit: constans econtra in stadio suo cucurrit Valerianus, novâ semper arte à Dœmone tentatus: auro dum illum excæcare non potuit, blanditias Matris adhibuit. Hæc teneriore affectu erga Filium mota, ut severioris Instituti semitam linqueret, suasit, pectus autem adamante firmatum in Filio dum reperit, confusa Domum repetiit.

Contra nova tentamina Valerianus ut se muniret, & Patrum sectaretur exempla, dirius cum corpore agere cœpit, vigiliis, flagris, siti, fale &c. illud ita extenuando, ut flavo colore obtectum, tabescere cœperit. Cogitârunt jam Patres de illo dimittendo, dum autem Medicus excessum austeritatis, morbi causam esse reperit, fervor interdictus est mortificationis. Absoluto probationis anno vota Deo nuncupavit, ætate quidem nedum completâ, per piam autem Epichejam à Patribus remissâ, noscentibus, quod gratia Dei *properaret educere illum de medio iniquitatum.*

Viennam postmodum missus est, ut, quos ibi Novitios Fr. Romanus Laudensis, Magister, verbis ad virtutem stimulavit, Valerianus suo exemplo ad eandem alliceret, & cœptæ pietatis fundamenta in se per triennium exercitio crebrioris mortificationis perficeret. Hoc dum plenè, & in humilitate, ac modestia summa exequitur, etiam infirmis & peste infectis mirâ charitate inserviit, & linteamina, quibus illorum ulcera mundabantur, heroâ manu lavare non horruit Anno 1605. Pragam ad studia eum regredi oportuit, Fr. Antonio Viennensi ei in socium dato. Reddidit illa tempestate vias tum hæreticorum protervia, etiam ipsi Cæsari infesta, tum militis Cæsarei sine ordine in Hungariam properantis libertas, periculis plenas. Hinc, vix Valerianus ex Saar, RR. PP. Cistercienfium Monasterio in Moravia sito, discesserat, in confertos incidit milites, qui variâ petulentiâ itinerantes vexârunt, obsoniumque abstulerunt, Viro, qui illud portabat, & qui itineris dux esse debebat, fugâ sibi consulente. Ignari proin viarum incesserunt, prout providentia iis dictavit: & dum charybdim se vitâsse gestiebant, in scyllam se lapsos conspexêre; illico enim alii effrœnes comparuêre milites, qui Capucinorum Habitum, adhuc in illa Regione rarum videntes, eos ex cœtu Incendiariorum esse opinabantur, quos Stephanus Bozkey turcico præsidio fultus, & Hungariam invadens ad Pagos & Civitates emiserat frequentes. Inde in publicam coquinam ducti fuêre, ubi alii admoto ad pectus gladio mortem minabantur, alii autem contumeliis & cachinnis eos afficiebant, usque dum orta inter ipsos milites rixa, iis discedendi reddidit occasionem. Parùm progressos duo alii milites concitato gressu invadunt, pecunias ab illis exigentes, at, dum ex regula harum usum sibi prohibitum afferunt, violenter æquè, ac inverecundè illas inquirunt, & nihil invenientes, Valerianum novo, quod habuit, pallio spoliant, & utrumque dimittunt.

Sicut Czeslavia eo tempore fuit turpis hæreticorum sentina, ita novo aperiebatur ibi persecutionis scena, in Valerianum enim eminùs visum, & ad mortem sese jam parantem, Sclopetarius miles bombardam dirigit, pulvere autem tormentario ignem non concipiente, & pecuniis, quas quærebat miles, non repertis, illæsum abire permisit.

Superârunt tandem opitulante Cœlo feliciter tot pericula, quibus quidem uterque semper fuit expositus, diriùs tamen habitus Valerianus, ut *portaret jugum Jesu Christi ab adolescentia, disceretque propter verba labiorum ejus custodire vias duras.*

Pragæ studio addictus illicò vasti ingenii sui dedit specimina, & subtili mentis acumine abstrusa Philosophiæ, & Theologiæ paradoxa feliciter, & ad stuporem usque attigit. Lectio Librorum fuerat ei continua, & memoria ita felix, ut, quæ legeret, vel audiret, radicata teneret. Cursu studii exacto, Concionatorium munus incepit, annuntiando juxta S. Regulæ præscriptum populo vitia, & virtutes, pœnam & gloriam, neglecto, qui dispergit, quæsitæ orationis fastu: nec aliud, præter S. Scripturæ textus, & Patrum sententias notare seu scribere consueverat, facundiâ, quam ei dederat natura miram, cœtera supplente: inde quoque uberrimus visus est salutis fructus, ubicunque eum concionari contigerat.

Laxavit Angelus iræ phialas suas anno millesimo sexcentesimo decimo tertio, & effuso pestifero tabo Viennam infecit. Saluti Valeriani ut consuleretur, Nicolspurgum secedere cum aliis jussus est. In via ad arcem Wilderfdorff, quæ Principem Gundackerum de Liechtenstein, non ita pridem operâ P. Valeriani ad Fidem Catholicam conversum, Patronum & Dominum coluit, divertunt, & in ea, quadragenariæ contumaciæ leges servant, vitam claustralem extra Claustrum ducentes. Hâc terminatâ, Nicolspurgum tendunt, quo Valerianus Linzium ad Imperatorem Mathiam & ejus Conjugem Annam vocatur, Cæsareæ concionaturus Aulæ, quod & solitâ facundiâ, & verè Apostolico explevit zelo. Ad finem anni dum Viennam cum duobus Sociis pergit, nova vitæ discrimina subit. Cremblii enim sereno cœlo navem mercibus onustam conscendit, cum spe eodem die Viennam attingendi. Navi de littore vix solutâ, mutatur cœli facies, invalescunt venti, fluctus Danubii æstuant, & glacie coacervatâ, & aquæ incumbente navis ita cingitur ut, dum de vita actum esse omnes timebant, eam salvare omnes (Nauclero excepto) niterentur. Durum hoc iis non accidit, qui calceati & ocreati erant, ita acerbum autem erat Valeriano & Sociis, ut, dum nudipedes per fruteta glacie cooperta penetrare non poterant, ad navim regredi cogerentur: timere quidem cœli t: num non debebant, at præ frigore sese noctu morituros existimabant. Tabellarius, qui cum iis è navi egressus erat, miseram eorum conditionem animo volvens, puero, ut cum igniario bene dispofito, celeri pede Capucinos inquireret, mandavit. Adfuit & hic iis tempore, quo præ frigore vix non rigebant; fuitque miserentis Dei beneficium, dum ad desertam Insulam in medio Danubii sitam redacti, ex acervo aridi ligni gelata membra, jam per duos dies jejuni refecêre, panis micis, quas in navi dispersas reperêre, contenti. Nocte ad ignem inter divinas laudes consumptâ, læti ad navim regrediuntur, quæ quidem remo usque ad pagum Trebensem feliciter fuit acta, at tandem glacie in medio Danubii ita obsessa, ut nec pergere, nec retrocedere amplius posset. In manifesto vitæ periculo omnes vota Deo nuncupant, ejus gratiæ animam precibus commendant, asseresque, quibus navis tecta erat, dissolvunt, structuri super glaciem pontem, dum interim dicti pagi Incolæ non sine compassione, & submersionis periculum, & rei exitum ad littus intuebantur. Viso ab eorum quodam acuminato Capucio, illico quosdam de nostris Religiosis in illo discrimine constitutos esse, intulit, & quatuor Piscatoribus, ut posthabito omni periculo in eorum præsidium properarent, commisit. Est & hoc actum feliciter, cum navis piscatoria impositos Fratres ad littus duxerit. Concreto frigore & triduano jejunio languentes illico Matrona ad Hospitium vocavit, & eâ charitate refecit, quæ præteritum duræ conditionis & languoris statum adæquavit. Inde dum illi se per ignem & aquam transivisse, & in refrigerium eductos fuisse, grati Matronæ afferunt, hæc somnium suum adimpletum, & à se tria Lumina in cœlo visa, & post hæc tres Religiosos ex Danubii procella evadentes, in hypocausto suo visa & visos esse Valeriano narravit.

Salvus divinâ virtute anno millesimo sexcentesimo decimo quârto Concionator Italicus, & Lector Viennæ designatur; biennio tamen necdum completo, lecturam deserere & ad Sigismundum III., Poloniæ Regem, anno millesimo sexcentesimo decimo sexto se conferre jussus est. Statuerat Hic in Podolia, fertili quidem Poloniæ ad plagam Orientalem Provincia, à Tartaris autem & Turcis penitus devastata, quasdam erigere Colonias, quæ forent veluti valida contra horum incursiones propugnacula, ab Equitibus Immaculatæ Conceptionis, ad hunc finem institutis, custodienda. Exceptum Regiâ benevolentiâ Valerianum, & de consilio plenè instructum Rex Romam, ut Pontificiæ auctoritatis accessu rei acceleretur effectus, ablegavit. Telam hic inceptam inopina rupit irruptio, qua Gustavus Adolphus, Rex Sveciæ, Regnum Poloniæ invasit.

vasit. Hinc & Valerianus fine legationis non confecto, Viennam regressus, lecturam re-assumpsit, quam tamen nec hac vice prosequi & terminare ei datum fuit, cum varia Religionis negotia tractare eum oportuerit. Concepêre exin contra eum Hæretici Vatinianum odium, calumniis & agnomine *Longi Monachi* (procera enim erat staturæ) oneravêre, ac de verbis, anno millesimo sexcentesimo decimo octavo transivêre ad verbera: Visitatori enim Generali, Fr. Claudio ex Sacile, ipso die Dominico, in cujus Missa Evangelium de homine descendente ab Jerusalem in Jerico, & in Latrones incidente lectum fuerat, obviam euntem & ad crepusculum Lincium introeuntem, congregati in Suburbio, & in loco, ubi restiones suos torquere solebant funes, hæretici, primò conviciis impetivêre, ac postmodum arreptis fulcris invaserunt. Declinare quidem voluit abjectæ plebis insultus, transiliendo autem obvium septum, impegit in unum ex insequentibus, & cum eo lapsus est in foveam. Supervenêre interim alii, qui Valerianum, ita cum hæretico luctantem, fustibus dirè, & triplici fatali vulnere percusserunt.

Concitato interim per Suburbium à Sociis Fratribus adjutorii clamore, percussores *plagis impositis abjerunt*. Valeriano, *semivivo relicto*, & ad vicinam Domum potiùs reptante, quàm eunte. Hujus Paterfamilias, quamtumque hæreticus, *videns eum*, cruore undequaque manantem, *misericordia motus est & appropians alligavit vulnera ejus*, arreptoque gladio insecutus est percussores, portato interea Valeriano à Fratribus ad Monasterium, ubi Chirurgus, pariter hæreticus (alius enim in Suburbio non erat, nec alius ob civitatem noctu clausam vocari poterat) sollicitâ cura ei medebatur.

Convaluit citiùs, quàm creditum fuerat, & anno millesimo sexcentesimo decimo nono Lincii Guardianus, & Novitiorum Magister renuntiatus, evasit noviter insidias, ab hæreticis contra eum cusas; dum enim illum inito inter eos consilio captivum Lincio abducere machinabantur, monitus ille, suo per montes & devia secessu Passavium, dolum elusit. Redux Lincium utrumque suum officium omnibus numeris explevit, & altioris dignus, Definitorum consessui anno millesimo sexcentesimo vigesimo primo adjunctus est. Eo ipso tempore, cum Domum Austriacam inter et Galliam acriora circa Vallis Tellinæ jura vigerent dissidia, ex consilio Ferdinandi Imperatoris II. & Maximiliani Bavariæ Ducis Lutetias Parisiorum missus est. Stupuit ibi, acutâ indole dotata Natio aciem intellectûs, quâ pacis negotium duxit, stupuit, dum illum in Scholis circa arcana Scientiarum perorantem, in conciliis de vera Religione contra Hugenottos disputantem, & in aulis de Statûs ratione discurrentem audivit, & nomen ejus *Magnum* usque in hodiernum diem servavit. In Germaniam revocatus reliquit pacis tractatum in spe certioris successûs, fuitque jussu Pontificio ultima illius conclusio Apostolico ibi Nuntio commissa, ita tamen, ut à cœpto Valeriani consilio & viâ non deflecteret. Seriem autem & filum dissecuit Parca, dum gl. m. Gregorius Papa XV. Sacrum diadema cum homine deposuit, & fatale naturæ pensum solvit.

Redux Viennam, Definitor, Pragæ Guardianus, & Philosophiæ Lector anno 1623. constituitur, ubi, dum Familiæ præfuit exemplo virtutis, & Scholis profuit disciplinâ doctrinæ, Illustrissimus & Reverendissimus D. Ernestus Adelbertus ab Harrach, Archipræsul Pragensis, & postmodum S.R.E. Cardinalis, Eum sibi à Confessionibus, & Theologum selegit, & in intricato Carolinæ, seu Carolo Ferdinandinæ Universitatis transferendæ negotio, consiliis illius & operâ, uti alibi fusius referetur, plurimùm utebatur. Electus anno millesimo sexcentesimo vigesimo quarto Minister Provincialis negotia fori linquere, & ad iter Romam pro Comitiis Generalibus instituendum, se convertere debuit, ubi & anno millesimo sexcentesimo vigesimo quinto memoriam, aliàs jam in Alma Urbe præclarè gestorum, & rari suæ ingenii laudem renovavit.

Conscriptum in reditu ad Provinciam Capitulum grassans pestis, quæ Pragæ viginti duo millia hominum consumpserat, impedivit, inde dimisso Provincialatûs munere, Sacræ Congregationis jussu, anno 1626. Pragam se conferre debuit, quatenus assumpto Missionarii charactere intentam ab Eminen. D. Cardinale Archiepiscopo Religionis reformationem coadjuvaret. Animo timido hanc spartam suscepit, cum Carolinæ Universitatis negotium involveret: eam enim ad RR. PP. Societatis Jesu transferri, & fundationi & libertati obstare credidit, & tum sibi, tum suis ex contradictione certum odium imminere prævidit. Quapropter ut cautè incederet, inducias evicit, & eodem anno cum Eminentissimo D. Cardinale Viennam ad Cæsarem pro melius stabiliendo Reformationis & Universitatis articulo se contulit. In consilii partes ibi vocati Reverendissimus D. Antonius, Cremiphanensis Monasterii Abbas, & postea Viennensis Ecclesiæ Præsul, quatuor intimi Imperatoris Consiliarii, & quatuor puncta sequentia discussa sunt. Primò, de modo Pragensem Civitatem, totumque Bohemiæ Regnum, hæresi infectum expurgandi. Secundò, de modo Religionem Catholicam in eo solidandi. Tertiò de restitutione bonorum Ecclesiasticorum, ad manus alienas jam raptorum. Quartò demum, de modo Universitatem Carolinam, seu à Carolo Imperatore IV. fundatam, ad antiquam libertatem reducendi. Fuitque ad primum resolutum, quod à modo coactivo, ceu mansuetudini Christi minùs congruo, eo magis deberet abstineri, quod Fides vera esset Donum Dei, & per adhibitam hucusque militum vim nemo sine periculo reditûs ad vomitum posset compelli. Prædicantes tamen è toto Regno exules Pastoribus Catholicis supplendi forent, Civitasque Pragensis in distinctos districtus, quibus pro Incolarum numero Operariis Regularibus providendum esset, deberet dividi.

Ad secundum. Quod, cum in tam vasto regno unicus Archiepiscopus seu Pastor innumero gregi pascendo par non foret, ei quatuor alii Episcopi adjungi (fundatis in 4. regni circulis tot Episcopatibus) & in Civitate Pragensi (præter Archiepiscopale) duo alia Seminaria erigi deberent.

Ad tertium. Quod bona Archiepiscopatûs, quorum restitutionem facta jam alienatio reddidisset moraliter impossibilem, à pientissimo Imperatore ex annuo Salis proventu compensanda, & annuatim dictis 4. Episcopiis ac Seminariis ex eo certa pecuniarum summa foret pendenda.

Quartum Universitatis punctum tenuit in statera suspensum, prævisum, felici successu certius præjudicium.

Fuêre quidem Regulares nonnulli, qui totam Reformationis machinam absque aliorum consortio in se suscipere, & ex pecuniis & bonis à Regia Camera in compensationem supradictam aliàs erogandis, tot Collegia & Seminaria erigere spondebant; at, dum exin (præter alia incommoda) Episcopatuum erectionem supprimi Valerianus advertebat, fortis restitit, articulisque, à Sacr. Congregatione de propaganda Fide ratihabitis, cum eodem Eminentissimo Cardinale Pragam reversus est. Sedulò hic & feliciter Ministerio suo Apostolico incubuit, & interprete Reverendissimo D. Joanne Ernesto Platisio, tunc Ecclesiæ Cathedralis Olomucensis Canonico, & postea ejus Episcopo, nec non & aliis Viris Religiosis concurrentibus, plurimos ad Orthodoxæ fidei amplexum duxit: Edidit & ibi publico typo anno 1628. celebrem *de absurda Acatho-*

lico.

licorum credendi Regula Tractatum, ab Heterodoxis passim quidem impugnatum, à nullo tamen expugnatum, & quem additis alterâ parte de Catholicorum credendi regulâ, responsisque ad adversariæ partis argumenta datis adauctum, novus typus per orbem non sine magno animarum lucro dispersit. Celebre de his reliquit testimonium Ardinghellus in appendice congeminatæ Vocis Turturis ostensione 4. ita loquens: *In reformationis negotio (scilicet Germaniæ) insudat unus in hac re præcipuus Adm.R. P. Magnus Valerianus, Capucinus, Fidei Catholicæ propugnator acerrimus, qui variis congressibus Ministros Sathanæ Synagogæ confutavit, edito de Acatholicorum credendi regula judicio, qui & alia monumenta digna ejus calamo scripsit. Cujus studiis, pientissimisque laboribus quidquid attentatum, suasumque pro avita Religione retinenda, & morum reformatione tuenda, tribuendum est, nimirum circa prætensiones Ecclesiarum inter Pontificem & Cæsarem, bonorum Ecclesiasticorum alienationem, quatuor Episcopatuum in Bohemia erectionem, disciplinæ & jurisdictionis Ecclesiasticæ in eo Regno introductionem.* Majoris inter hæc & ponderis & difficultatis fuit negotium novæ Episcopatuum institutionis, ita ut denuo Valerianum Romam anno 1628. secedere oportuerit. Solitâ hîc prudentia in Purpuratorum Patrum conspectu de rei Episcopalis commodo peroravit, & suppressionem noviter in Ecclesia exorti perniciosi Fœminei instituti coadjuvit. In reditu suo, quantùm causam Ecclesiæ in Boemia feliciter procedere applausit, tantùm econtra Italiam diriore Marte convelli indoluit, Mantua enim à Cæsarianis expugnata, & Monferratum obsidione ab iis cinctum ex una, & ex altera parte Pinarolium à Gallis Duci Sabaudiæ direptum, magnam Christiani Sanguinis minabantur profusionem. Curâ tandem Urbani Papæ VIII. suspensus est armorum tumultus, & tractandæ pacis indictus congressus; pro Gallorum parte hunc accessit Emin. Cardinalis de Richelieu, nostro Fr. Josepho à Tremblay, ipsi adjuncto, & pro Ferdinandi II. parte illi & interfuit Fr. Valerianus, qui Taurino Pinarolium ad Gallos, & Pinarolio Taurinum ad Cæsarianos discurrens sensa primorum, circa Pinarolii retentionem ita exploravit, ut Cæsarem, in Comitiis Ratisbonæ agentem, de mittendo in Italiam validiore milite moneret. Vario quidem Ministri Galli usi sunt artificio, ut Valerianum ad suas partes traherent, Stetit ille in suo testamento fidelis, & velut murus æneus commoda Domûs Austriacæ, cui se tot titulis devinctum noverat, incorrupto quæsivit studio.

Functus sua legatione, Viennam, Pragam, & tandem Ratisbonam concessit, ubi dum candidum Cæsaris animum ex restituta Duci suo Mantuâ æquis laudibus extulit, omen suum de Pinarolio à Gallis ad speciem restituto, & postmodum novo emptionis motivo ab iis prætenso, adimpletum audivit. Solutis Ratisbonæ Comitiis, & Walsteinio supremam belli Præfecturam abdicante, aperta est nova & Germaniæ Catholicæ fatalis Scena, cum Saxoniæ Dux, occupatâ Pragâ, varia rei Catholicæ paraverit detrimenta, & Neophytos periculo regresſûs ad aratrum exposuerit.

Ex fuga Procerum, & illorum, quos Fidei zelus retinere debuisset, adauctum est malum, eò infelicius, quod medium, quò latiùs serpens illius cursus inhiberetur, haud afforet. Solus Valerianus memor verborum, quibus Missionis munus à S.Congregatione ei fuit collatum, & quibus *omnem curam Ministerium dignè, & fideliter, etiam cum effusione Sanguinis, ac morte ipsa adimplendi adhibere* monitus fuit, surrexit velut alter Pontifex Mattathias, & cum Fratribus sociis, violatam Ecclesiæ Legem â servitute potentiæ eximere, constitutosque in periculo Pragenses ab exitio salvare decrevit. Hinc, dum Socii tum concionibus, tum functionibus Parochialibus, tum publicis disputationibus periclitanti rei Catholicæ diu noctuque invigilârunt, infectum jam populum, aut coactum, ab accessu ad Scholas & Ecclesias Acatholicorum arcentes, Valerianus negotia Episcopatûs assiduo curâvit studio, Heterodoxos Theologos ad publicum Fidei certamen frequentiùs provocavit, eosque ut comparere juberet, ipsum Saxoniæ Ducem, qui cum Magnatibus illius virtutem cum metu æstimavit, enixè semper, incassum tamen, rogavit. Ita dum spe Martyrii, quod anhelavit ardentiùs, in laboribus desudavit, instante apud Electorem D. Comite Terska Pragâ liber dimissus est, cum Emin. Archiepiscopo Romam iturus. Quietè dum Znoymæ in Moravia, ubi Walsteinius reassumpto Generalatûs officio novum conduxit militem, ad iter se præparat, Regnum Poloniæ bellico tumultu involvitur, Sceptrum ex morte Sigismundi III. viduum, utroque hujus Filio Uladislao, & Casimiro potenter ambiente. Major Procerum pars Uladislao tum ob jus antiannitatis, tum ob præclara bellica gesta suffragabatur, obstitit autem falsa aliorum suspicio, qua illum hæreticis favere spargebant, & ideo Casimirum, virtute & merito Fratri non secundum, cum Clero ad thronum sublimari contendebant. Valerianus, cui regia indoles & illibata Uladislai conscientia perspecta erat, eum sceptro sine palmari injuria privari non posse, Walsteinio aperit, de hujus consilio Viennam ad Cæsarem pergit, eique partes Uladislai, & meritum commendat. Accedit Fidei Valeriani Imperator, & necdum suum patrocinium apud Proceres Regni pro Uladislao adpollicetur, sed etiam Valeriano Romam cum Emin. Cardinale de Harrach profecturo, ut ibi Pontificem ad partes Uladislai moveret, opportunè suggessit. Feliciter hoc factum, & Uladislaus Pontificio Cæsareoque officio munitus, Coronam adeptus est. Hanc Valeriano se debere Rex memor, voluit eum gaudii sui participem, adeoque ad Coronationis suæ solemnia Cracoviam invitavit. In suo appulsu contra spem omnia denuo susque, deque versa reperit, Schismaticis, nisi prævia iis juxta pacta daretur satisfactio, homagium præstare renuentibus. Valerianus, ut motum sopiret, nihil intentatum reliquit, edoctusque à Rege & Clero de præjudicio, Religioni Catholicæ, & Poloniæ ex Schismaticis à Regni obedientia separatis impendente, congressum, in quo negotium, in duas partes scissum, à Doctoribus Theologis maturiùs discuteretur, indici consuluit. Omnes, paucis exceptis, sensui Valeriani in hoc contradicunt, veritate rei per clamorem suppressâ, ac ipsemet, quasi magis ad Regis beneplacitum, quàm ad rei veritatem propenderet, cum Rege ceu Schismaticus traducitur. Soluto infeliciter congressu, alioque in alium diem indicto, Valerianus autographum Theologo-Politicum attentiore studio examinat, priorem mentem suam validâ ratione firmat, ac eam contra quemcunque à se propugnandam esse, ingeniâ libertate proponit. Factum est ad hæc silentium, res cum Schismaticis cum ingenti Religionis emolumento composita, & Rex summo acclamantis populi jubilo diademate regio insignitus.

Gemuit interim Smolenskum, Lithuaniæ Urbs, ad Boristhenem sita, sub sæviore obsidione à Moschis ad plures jam menses protracta, eapropter felicia redditurus Regni sui primordia Rex copiosum instruit militem, quo, exemplo Regis ad pugnam accenso, angustiatam Urbem, magna hostium jactura, majore proprii valoris gloriâ, & maximo Regni decore, feliciter liberavit. Inter applausus, quibus Redux excipiebatur, ille cogitatum suum ad Deum, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum originat, & qui de

Re-

Regum & Regnorum forte disponit, convertit, & æquum justumque judicavit, tum, ut de parta victoria Ei digna laudum munia persolveret, tum, ut illius in terris Vicario, summo Pontifici Regiæ submissionis præstaret obsequia. Eapropter dum in Ecclesiis varias Eucharisticas Orationes indixit, & in præfata Civitate Episcopatum instituit, ad Urbanum Papam VIII. Georgium Ossoliensem, S. Rom. Imperii Principem, & Magnum Regni Cancellarium ablegavit Oratorem. Renuntiavit hic devotum Regis erga S. Sedem Romanam animum, & immutabile Fidei Catholicæ propagandæ studium, simulque Valerianum, Cardinalitiâ purpurâ honorari, regio nomine institit.

Eo ipso tempore, quo Valeriani laudes per plateas Romæ personabant, comparuit & ex Germania manus scribentis contra eum iniqua, inde dum Polonia eum petit promoveri ad purpuram, Roma illum vocat ad judicium. Lætus illuc tendit in nomine Domini, & solo suæ Innocentiæ clypeo munitus, recusatâ, quam Ferdinandus II. spontè ei obtulit, Cæsarea protectione. Detectæ autem illico fuêre in illius appulsu dolosæ technæ, & tela iniquè cusa in calumniatorem retorta, ita ut palinodiam canere ab ipsis sui Ordinis Superioribus fuerit jussus. Cæterùm, dum Papa Valerianum è Polonia non oriundum esse meminit Regis voto annuere noluit, qui & ipse tunc à petitione destitit, ne Regiæ suæ nominationi præjudicium accederet.

Hæc dum in Alma Urbe, & in Polonia acta sunt, exspiravit sexennale armistitium Polonos inter et Svecos eo fine conclusum, ut, an bellum gerere, an pace inter se frui vellent, utrinque deliberarent: Sveci ad pacem se propensos monstrabant, ne vires eorum distrahi, collectosque per Germaniam belli fructus minui contingeret: inter pacem & bellum fluctuavit econtra Regnum Poloniæ, & quamvis pacem à Svecis optima conditione oblatam, sibi proficuam censeret, gloriæ tamen cupidum, bellum Cæsaris, & Catholici in Germania fœderis subsidio munitum rejicere noluit: Rex econtra ad arma contra Svecos capienda tentabatur, ratus, quod ita facili negotio hæreditarium Sveciæ Regnum sibi vel Poloniæ subderetur, hinc & subdolam Svecorum mentem, pacisque optionem non nisi eorum, qui Domui Austriacæ infensi essent, prætextum esse, Cæsari à Valeriano significari jussit.

Imperator, qui post tot bellorum fluctus Germaniam nonnisi paulisper quiescere voluit, Valeriani consilium neglexit, & dum Polonos cum Svecis pacturos esse, cum Aulæ Ministris non credidit, adfuit Veredarius, qui pacem cum Svecis initam nuntiavit. Turbatur de novitate rei Cæsar, & illico quatuor ex intimis suis Consiliariis ad Valerianum ablegat, desperatæ rei remedium ab eo petituros. Hic, sicuti hujusmodi difficultates solvendi singulari dono pollebat, ita Cæsari suggessit, ut per eundem Veredarium à Rege, ne Comitia solvat, nec pacis pacta subscribat, requirat, fœdusque ab ipso cum Polonia concludendum, & Oratorem illuc mittendum, adpolliceatur. Consilium & factum eodem quasi momento confluxêre, & Valerianus, quem Cæsar, & Regi, & Regni Proceribus charissimum meminerat, è vestigio ad Legationem fuit selectus. Expeditis jam, quas Credentiales vocant, litteris, & fixo ad posterum diem discessu, rediit ex superiore Austria ad Cæsaream Aulam intimus Consiliarius, & Episcopus Viennensis, Vir aliàs singularis meriti & integræ Fidei, qui pacis rumorem, nonnisi commentum esse, quo Poloni Cæsarem ad suas partes traherent, & novo bello implicare quærerent, verbosiùs contendit: hinc inde dum disceptatum est, alius Veredarius pacem cum Svecis jam publicatam, & Comitia soluta retulit. Extulit ad Cœlum oculos Imperator ad fatalem nuntium, & Valeriani consilium à se neglectum altiore suspirio, indignatione commixto, conquestus est.

Acuêre dolorem Cæsareum Uladislai litteræ, quibus opem pro recuperando hæreditario Sveciæ Regno à Cæsare negatam, fœdusque cum Polonia rejectum exprobravit, acriore stylo exaratæ; quibus cum responsum Cæsareum concordâsset, mansit utriusque animus non parum irritatus. Agitatur ad hæc Valerianus, nocivasque sequelas exin pro Domo Austriaca timens, Medlingam, ceu ad locum solitarium secessit. Diu non poterat ibi quiete frui, cum Imperator voluerit eum lateri suo assistentem. Inde dum facta mutari, bellumque cum Svecis evitari non posse prævidit, militem Germaniæ stipendiarium, à Polonis necdum dimissum, à Cæsare conduci consuluit, exaggerato moræ periculo, & adjuncto omine, quod Sveci aliàs illum suo militi essent commixturi.

Cæsari, penuriam ærarii alleganti, media quidem Valerianus dictavit, & semetipsum pro conquirendo ære Mediatorem obtulit, at nullus erat inter Aulæ Ministros, qui hæc intelligeret, iique, qui se Sapientes dixerunt, *consilium inopis confuderunt, & ab ipso declinantes inutiles facti sunt*, & infelices testes completi ominis Valeriani, Germano milite à Polonis dimisso, avidissimè à Svecis ad sua stipendia assumpto, cujus & abusu Germaniam invasêre, illamque eâ ferociâ, quam posteritatis memoria adhuc horret, velut ex antris emissi venti devastârunt.

Nec malorum finis: aversio, quæ animo Uladislai contra Domum Austriacam diutius otiosa inhæsit, in apertam tandem vindictam degeneravit; in Conjugem enim, Elisabetham, Comitis Palatini Filiam, omnibus quidem regii animi dotibus, si Religionem Catholicam exceperis, ornatam, seligere statuit, fueruntque hymenæi ignes in illius corde jam ita accensi, ut publicas amoris scintillas vibrarent. Haud leviter æquo piissimum Cæsarem Regia hæc propensio perculit, tum, quod Rex Catholicus, sibi sanguine junctus, thalamum acatholico consortio contaminare cogitaret, tum, quod Eam sibi decerneret, quę esset jurati & infensissimi sui hostis filia. Quæsivit quidem, quibus connubium hoc impediret, in Aula media, at, dum, qui ea suggereret, non adfuit, ad Valerianum, ab adulatoribus offensum, & neglectum, denuo ad Regem ablegandum, suum volvit cogitatum, & selectum. Ex ęquo Spartam hanc odiosam alienare à se debuisset, curaturus tamen æquè Catholicæ Religionis, ac Domûs Austriacę commoda, Varsaviam se contulit, Cæsaris nomine conceptum dissuasurus connubium. Ibi dum Cæsareas litteras Regi consignavit, faciem hujus contra morem ad seriam majestatem compositam, & ad rugas, ubi de Cæsare agebatur sermo, contractam advertit. Ubi autem & Valerianum, seposito Oratoris charactere, adesse meminit, Rex severitate in clementiam, & ridentis affectûs leporem conversâ, in verba prorupit: *ergone adest, & meus Valerianus?* & vario Regiæ benevolentiæ munere eum est complexus. Ex quo viam negotii tractandi aptam sibi apertam esse ratus, præprimis sensum enuntiatarum Litterarum Cæsarearum mitiùs interpretari, vinculum mutuæ inter utrumque Principem stabiliendæ harmonię suadere, & præjudicia Matrimonii, cum Acatholica concludendi, cumulatâ ratione exponere cœpit. Spopondit extemplo Rex amicitiæ renovationem, recessum autem à Matrimonio ob Regii verbi fidem, impossibilem esse reposuit, subridensque Principissæ Palatinæ effigiem, in tabula expressam monstravit, quatenus ex hac

visa

visa æquitatem Regis inferret, & ulterius de Connubii dissolutione illum non molestaret. Siluit prudenter Valerianus usque ad tempus, quo Rex illum sui itineris Borussiam & Lithuaniam comitem esse voluit. Variam in hoc cum Rege familiariùs agendi occasionem nactus, sensim ad Matrimonii articulum rediit, Regique & calumnias, quibus ante regiam electionem ceu fautor Schismaticorum traductus erat, in memoriam revocavit, easque per Matrimonium vel resuscitandas vel firmandas, ac certam Summi Pontificis & Cæsaris offensam, & Catholicorum Principum crisim cum probabili seditionis periculo secuturam allegavit, eâ prudentiæ energiâ, ut Rex & ratione & pietate convictus, Palatinæ, si Romanam fidem amplecti renueret, se nunquam nupturum declararet. Conditionem vix hæc scivit, se in sua fide perseveranter mansuram reposuit, à Matre persuasa. Ex quo Matrimonium dum dissolutum nonnulli audivère, astutè, ne Austriacam Rex duceret, laborârunt, ipsum quoque Valerianum in partes suas sub Cardinalitiæ purpuræ promisso trahere molientes. Rubuit candidus illius animus ad speciosum hoc tentamen, fidesque, qua Domûs Austriacæ partes, rei Catholicæ bono connexas, semper suffulsit, astum elusit, & inverso conatu Regi ut Cæsaris Filiam, Cæciliam Renatam, in Sponsam sibi decerneret, suasit, & obtinuit. Tanto hæc novitas Regem Hispaniarum affecit gaudio, ut per Oratores suos Comites de Seneterra, & d'Ognat, quorum primus in Polono-Regia, alter verò in Cæsarea aula resederat, Valeriano ampla gratiarum actione de glorioso sui conaminis exitu applaudi jusserit, Regemque Poloniæ, ut in proposito cum ad Cardinalatum evehendi constans persisteret, iteratò sollicitaverit.

Ampliora in dies suæ erga Gentem Austriacam fidei daturus monumenta, pariterque restitutæ hanc inter-et Poloniæ Regem amicitiæ nexum fortiùs juncturus, huic de Oratore, à Ferdinando II. ad Regni Proceres pro suæ electionis favore ablegato memoriam refricavit, &, ut par pari referret, & Legatum ad S.R. Imp. Electores Ratisbonæ congregatos mitteret, suo concursu electionem Ferdinandi III. in Imperatorem curaturum, suasit. Æquum censuit Rex Valeriani consilium, & altefatum Supremum Regni Cancellarium Ratisbonam destinavit, eo successu munus ibi suum explentem, ut in Sacri Romani Imperii Principem fuerit evectus.

Hisce omnibus tam prudenter æquè, quàm feliciter in Polonia actis, Valerianus & ipse Ratisbonam secessit, daturus Neo electo Imperatori suæ Legationis rationem: gratiam, quà neo Cæsar illum excepit, hic memorare supervacaneum est, cum ipsa Valeriani gesta ad votum Aulæ eam innuant, scivisse sat sit, quod, cum paratos honores humilitas illius respueret, ejus Familia iis fuerit decorata, & titulo Comitum de Magnis insignita.

Gedanum, seu Dantiscum, celebre ad Vistulam Emporium, quo Valerianum cum Rege Poloniæ ad initium anni millesimi sexcentesimi trigesimi sexti ire contigit, novum explicuit gloriæ theatrum ex disputatione, Valerianum inter et Bartholomæum Nigrinum, magnæ notæ Calvinistam, & fatæ Civitatis Pastorem inita. Vulgaverat typis Lipsiæ anno 1631. Joannes Botsacus, tunc Theologiæ Licentiatus, & postmodum Lutherani Gymnasii Gedanensis Rector Librum, quem ante Valerianum nuncupavit, opus Valeriani de Acatholicorum credendi regula prædictum impugnantem, & per illum molem Valeriani ædificii è fundamentis concussam & excussam credidit. Inde ante victoriam triunphum præcinens, Valerianum ad sua argumenta in proscenio Ecclesiæ solvenda audacior quàm doctior provocavit. Opportunè & forsan contra Botsaci opinionem Valerianus de hujus Libro æquè, ac garrulâ libertate instructus, cum Aula Regis comparuit, quin Botsacum, variâ arte Theologicam arenam declinantem, invenerit. Adiit inde ipsa Gymnasii penetralia, & quò blandiùs inter consuetas Theologorum disputationes Botsacum lacessivit, eò astutius ille tela vitavit. Nigrinus inde, tum caducum Botsaci metum indicaturus, tum resonantes jam in Valeriani gloriam applausus sopiturus, cum illo congredi statuit. Fortuitò quoque illum in ædibus D. Comitis Gerhardi Denhoff Calvinistæ invênit, ibique usque ad horam, quâ ad Regem fuit vocatus, familiariùs egit, indicto jam ad posterum diem in iisdem ædibus congressu privato. Tantum autem effecit Valerianus, ut transiret in publicum, ad statutamque horam non solùm Cives, sed & Aulici, & inter Magnates, Regis Galliarum Orator, supremus Regni Poloniæ Cancellarius, aliique tum Catholici, tum Acatholici Proceres fuerint invitati, materiâ de Acatholicorum credendi regula, quam Valerianus in suo opere absurdam notavit, & Nigrinus Libro typis edito à nota impicta vindicare quæsivit, in disputationis argumentum selectâ & fixâ, in Theologicæ Monomachiæ Patrinos constitutis, pro parte quidem Valeriani, Principe Georgio Ossoliensi, & pro parte Nigrini prædicto D. Comite Denhoff, Notarioque uno ad omnia, quæ uterque voce dictaret, ex conventione typis finita disputatione edenda, calamo excipienda rogato. Incepit argumentum Valerianus, Nigrinus respondit, & sessione terminatâ ea, quæ dictata fuêre, utriusque Patrini annulo signata, in Scrinio fuêre clausa. Ad 6. vel 5. dies protracta est disputatio, totidem quoque horis pro qualibet sessione consumptis. Cumque inter disputantes mira eniteret modestia, & non triumphus, sed veritas quæreretur, tale fuit totius consessûs silentium, ut, qui proximum alloqueretur, non videretur. Tandem Valerianus eo angustiarum Antagonistam adegit, ut argumentum, ex concessis à Valeriano illatum perpendens, moram responsi posceret: elapso tamen, quod concessum erat, dimidiæ horæ spatio, vox Nigrini adhuc faucibus hæsit, & contra veritatem pugnari non posse, in Concilio Magnatum, muto fassus est ore. Dejectum Pastoris confusi animum cum testimonio justitiæ erecturus surrexit & Valerianus, ad Auditoresque conversus dixit: mutum ad argumenta mea Nigrinum non miremini, succubuit ille, non, quod scientiâ me non longè superet, sed, quod causam de se caducam defenderit: à me victus ille non est, sed à veritate, quæ semper triumphat: illum contristatum gaudeo, non ideo, quod contristatus sit, sed quod contristatus sit ad salutem. Fremuit quidem ad hæc dentibus Acatholicus consessus, jubilante econtra voce Catholicus & Valeriano & sibi applausit, Valeriani quidem de gratia, qua ei, de testimoniis Domini in conspectu populi ad ædificationem loqui datum fuerat, sibi autem de voluptate, quâ veritatem Fidei contra falsa dogmata vindicatam audivit. Placuit eousque Regis Christianissimi Oratori modestia colloquii, & conjuncta argumentorum emphasis, ut, si illud, vel simile repeti contingeret, se Parisiis, etiam Gedanum, nec viæ incommodis, nec expensis attentis reversurum assereret. Splenduit & victoriæ decor ex socio conversionis fructu: regius enim Ephœbus Acatholicus, dum ex Nigrini silentio sectæ suæ falsitatem concluderet, Fidei Catholicæ veritatem selegit, à RR. PP. Dominicanis instructus.

A ter-

Rex quoque felicem pro Ecclesia pugnam præmio dignam censens, Victori Athletæ Purpuram Ecclesiæ decerni noviter, & sequenti institerit epistola:

A tergo: *Sanctissimo, ac Beatissimo in Christo Patri, ac Domino D. Urbano Divinâ Providentia Papæ Octavo, Sacrosanctæ Romanæ, & Universalis Ecclesiæ Pontifici Maximo, Domino Clementissimo.*

Sanctissime, & Beatissime in Christo Pater, Domine, Domine Clementissime.

Post oscula beatorum pedum Sanctitatis Vestræ, mei meorumque Regnorum humillimam commendationem. Non est Regium, Beatissime Pater, à me susceptam virtutis promotionem, verti nonnullorum livore in vitii argumentum. Postulavi à Sanctitate Vestra, ut Fratrem Valerianum Capucinum donaret Cardinalitiâ dignitate; ea res exacuit odia multorum, qui propterea Viri innocentis claram æstimationem in summum discrimen adducere conabantur, imò nec fuisset satis cautum vitæ ipsius, si admotis machinis non obstetisset & innocentia, & imperterritum Viri pectus. Post hæc publicè ille tandem præoptavit, ut ipso postulante recederem à cœpto consilio: at ego eâ ratione nec satis cautum illius laudibus à malevolis, nec ita consultum duxi Ecclesiæ Christi, ut eâ promotione desisterem. Adjecit ille & quidem vehementer, cùm me crederet urgeri, necessitati magis consultum iri rationibus meis, si alia Persona præiret in illa dignitate. Demum ex multis difficultatibus, quibus ea promotio præpeditur, unam delegit, cui suo judicio acquiescerem: hæc quidem ille: Et tamen antiqua merita tanti Viri, & reverentia hæc, moderati animi argumenta, prohibere non potuerunt, quin non quorumdam occultis artibus, & Vestra Sanctitas, & alii plures nonnihil de eximio favore, quo hactenus hunc hominem prosequebantur, remiserint. At ego existimo maculam Regiæ dignitatis, si Regia laus, Regiusque favor, & notam inusserit, & periculum paraverit illi, quem eousque Prælatum cupit. Quapropter hisce litteris ita expono rationes, quibus adducor, ut sperem eas probandas esse Urbi & Orbi, nedum Sanctitati Vestræ.

Cumprimis autem, Pater Beatissime, ego satis intelligo ac perpendo, quid debeant Regibus, Principibus Christianis, seu Catholicis, & Ecclesiæ, quam Regum mamilla lactavit, & Summi Pontifices, quos Sanctorum pedum Regia oscula (ut alia sileam) summè venerabiles asserunt. Neque me latet Regum Poloniæ prærogativa, quam pensare debent, qui Christianum moderantur Orbem: sceptrô nostrô regimus populos & nationes illas, quæ militarem & asperam inclementiore Cœlo vitam ducunt, quò faciliùs compescant maximos, ac potentissimos Christiani Nominis hostes, Tartaros, Turcas, adeo, ut Polonorum sanguine & potentiâ plurimum pacis & tranquilitatis Orbi Christiano accedat. Neque duntaxat antiqua monumenta recolo: Ego ipse, vix inauguratus Rex, armatum pectus unacum subjectis Populis objeci Moscis, Turcis, Tartaris, ac Svecis illo effectu, quem Orbis non ignorat. Itaque, Beatissime Pater, probè scio, quàm honestè aveam, vel unum ex Orbe Virum, me humiliter petente, universaliori Ecclesiastico Regimini à Vestra Sanctitate admoveri, modò intelligat hunc ferre posse eam dignitatem animô incorruptô. Quapropter horum conscius, in ipso mei regiminis exordio, oculos, mentemque conjeci in Fratrem Valerianum, Magnum, quem dum accuratè contemplor, hic mihi visus est singularis Divinæ Providentiæ studiô in eam dignitatem efformatus, elaboratusque magnis rebus agendis; nam si animi dotes, vitæ institutum, eruditionem, res gestas & mores expendo, eminent: nec tamen effero Viri ingenium, habet ea indoles summos, qui illam admirentur, notior est, neque ea latet Sanctitatem Vestram; vitæ singularis institutum delegit, quô nullum est in Ecclesia magis compositum ad normam Evangelii. Eruditionis suæ specimen dedit contra Hæreticos, quartum nactus Antagonistam, qui novam instituit hæresim; ut sese subducat ab objectis absurdis, fassus reliquorum neminem stare posse adversùs Valerianum Magnum. Sunt ex illis, qui me præsente dicant & sentiant, non extare apud Catholicos aliud opus, quô illi magis prostringantur. Id verò est radius unus illius lucis, quam in apertum collocare disponit: quantùm auctoritatis in bonum Catholicæ Fidei sibi conciliaret in orbe, si Leo prodiret nunc agnitus ex ungue? Oriuntur aliquando, Beatissime Pater, astra quædam inter mortales, quæ suaptè splendore viam sibi expediunt ab omni impedimento, imò cùm ipse sibi sit impedimento, quippe Capucinus, non tamen, cum maximè vellet, licuit personam suam circumscribere claustrô, quin ea exiliat in ipsum Orbem Christianum, sed & intra Ordinem suam explicavit virtutem: nil illi defuit dignitatis, quod una Provincia conferre potuit, neque defuisset, quæ universum Ordinem concernunt, si abstractus à Vestra Sanctitate Missioni Austriacæ, & Boemicæ integrô decenniô non fuisset præfectus. Quid verò in hac Missione præstiterit, ea sunt, Beatissime Pater, Teste Urbe, quæ posset meritis munire, & exornare plures, Cardinalitiâ dignitate insigniendos. Vidit Ecclesia sub Vestræ Sanctitatis Pontificatu Urbem Pragam, Ordinesque Regni Boemici hactenus maxima ex parte hæreticos, veræ luci planè restitutos, clavum solerter, summaque prudentiâ gubernante Illustrissimo Domino Cardinale ab Harrach, Archiepiscopo Pragense. Caterùm ex Clero nemo universaliùs, nemo majore Auctoritate Apostolica suffultus, nemo Valeriano Magno impensiùs suam operam totô penè decenniô ibi reformationi contulit, & hæc angustiora sint: hujus Viri opera usi sunt summi Pontifices, Cæsares, Reges, in iis etiam, quæ Orbis Christiani politicam pacem, & tranquillitatem spectant, cujus rei gratiâ visus est in Aulis Summorum Pontificum, Cæsarum, Regum Galliæ & Poloniæ, Principum Electorum S. R. Imperii, Ducum & Principum, Belgii, Lotharingiæ, Sabaudiæ, Bavariæ & aliorum, apud quos non minuit, sed auxit præsentia famam, ita, ut ejus industria in difficillimis negotiis passim à potioribus desideretur, & ipso frustra reluctante adhibeatur. Quibus omnibus si accedat sine labe morum castimonia, haud puto, Sanctitatem Vestram reperturam plurimos, in quos omnia illa concurrant. Hic verò annos natus quindecim, institutum, quod dicunt Capucinorum, suscepit, in quo annis triginta quatuor conversatus, necnon in Aulis omnium penè Catholicorum Principum

pum sæpe commoratus; habuit omnes, qui vitæ innocentiam extollerent, iis duntaxat exceptis, quos ingens Viri odium & invidia incesserat, qui non obstante occulta, ne deperderentur, susurratione, tamen omnium maximè sibi invisam, ejus vitæ Sanctimoniam Illustrissimam reddidêre: fuisset etiam in illo scirpo nodulus, quem illi Censores non deprehendissent? illi, inquam, multi & præpotentes, quibus &c. Et tamen hi ipsi congestis in Valerianum laudibus cautum sibi voluerunt à calumniæ & livoris suspicione. Quod Sanctitatem Vestram, scio, non latere: cum sciam æquitati, ac prudentiæ suæ ab ipsomet Valeriano tributum, quòd versutia non fefellerit æquitatem. Verùm enim verò ille Christi, universalique Ecclesiæ suam in Deum pietatem aliô argumentô comprobavit, quô nullum est majus teste Salvatore. Hic non semel impavidum caput, pectusque hæreticorum nudato mucroni, paratoque bellico fulmini, cominùs mox trucidandus, exposuit illæsus. Semel gliscente hæreticorum rebellione in Austria Superiore inflicto ei, præter alia, duplici lethali vulnere in capite, proprio sanguine infusus, humi jacens, quod crederetur extinctus, in campo relictus est. Quæ verò ille gessit in Urbe Praga, cùm ab Electore Saxoniæ teneretur, illustrem magis posset commemorationem in Annalibus Ecclesiasticis efformare, quàm his in Epistolis angustis cohiberi terminis. Historia est digna luce, quam Sanctitati Vestræ perpendendam hisce annecto. Illud duntaxat attexo, nescio, an hisce bellorum disturbiis, quibus hæreticorum arma in superiore, & inferiore Germania desævière in Catholicos, nescio, inquam, an extet aliud majus eousque propugnatæ Fidei exemplum? non defuit Martyrio voluntas, nec capiti ejus purpura, ceu proprii sanguinis ob Catholicam Fidem constanter effusi. Hæc omnia, Beatissime Pater, non nihil decoris sibi derivant ex generis nobilitate; hisce enim Parentibus est ortus, eosque habet Affines & Consanguineos, qui natalium splendore, opibus, & rebus domi, forisque præclarè gestis conspicui sunt. Et verò, quod penè à pueritia usque ad primum senium in isto Apostolico instituto cum tanta innocentia, & fructu portet jugum Christi, id proximè accedit ad Cardinalatus prærogativam: Quos enim ego existimem, Beatissime Pater, idoneos Ecclesiastico Regimini, si illi non censentur, qui juxta Salvatoris institutum sine saculo, sine pera, sine calceamentis ad apicem perfectionis Evangelicæ contendunt? Ea enim sunt rudimenta Apostolicæ dignitatis, quæ à Christo instituta sunt rudimenta Apostolicæ Virtutis: neque cavendum videtur Apostolicæ Virtuti ab Apostolica Dignitate, quasi extinguenda sit lucerna, si de sub modio transferatur ad candelabrum.

Quin imò nil æquè acuit virtutis studium, quàm virtuti tributus honor, nec puto superbos erigi in spem obtinendæ dignitatis, si ii potiùs promoveantur, qui ob Fidem Catholicam sibi quærunt flagra, cruces, mortem, sin verò secùs mos ferat, malis artibus accedit auctoritas, quod constiterit eas virtuti prælatas. Quamobrem boni omnes non aliud quidpiam ardentiùs exoptant, quàm coruscare cœlum Ecclesiasticum viris Apostolicis, qui ut Apostoli, sic illi ex eorum numero assumantur, quos Evangelica vivendi forma à carne, & sanguine diviserit. Porro hac enarratione Sanctitati Vestræ constare volo, quàm accuratè mihi postulanti aliquem ad Cardinalatum prospicere sategerim, ab omni difficultate, quam Sanctitas Vestra introtenere posset, conscius, quàm grave id ferrem. Virum præterea nominavi magnæ indolis, Orbi Christiano clarum, mihi charum, de S. Sede Apostolica, & de Vestra Sanctitate optimè meritum, proprio fuso sanguine ob Fidem Catholicam jam purpuratum, quem claustra non capiunt, nec, tametsi velit, sinitur sibi vivere. Hunc ut Sanctitas Vestra ad meam Regiam commendationem Cardinalitia dignitate exornet, postulo, ac postulo enixè & humillimè, qua in petitione plura verba non impendo, ratus, non profutura, ubi contestata Viri virtus, Regia commendatione suffulta, non profuerit: quod mihi pertimescendum non videtur à Vestra Sanctitate, quæ ex officio, & propria prudentia dignitates Apostolicas distribuit ad mensuram Apostolicæ Virtutis, Regiamque dignitatem, ac meritum sua consideratione non transibit, quin potius multis argumentis suam erga me benevolentiam Paternam declarabit, quam humillimis meis obsequiis promereri, ac eam compensare conabor. Servet Christus Sanctitatem Vestram quàm diutissimè Sanctæ Ecclesiæ incolumem.

Datum Gedani pridie Nonas Februarii, Anno Domini 1636.

Ejusdem Sanctitatis Vestræ

Obsequentissimus Filius

Vladislaus Rex Poloniæ & Sueciæ.

Debuissent juxta pacta, Disputationis acta publico committi typo, Nigrinus autem, ne rubor inter parietes in faciem ejus inductus, publicæ ignominiæ famâ adaugeretur, hunc supprimi à Valeriano petiit, victo parcere gloriosiùs esse dicens, quàm certantem vincere. Interrupit ille extemplo Nigrinæ confidentiæ verba, seque in Schola Christi & disputare, & parcere didicisse reposuit, gloriamque triumphi non sibi, sed Spiritui veritatis deberi, nec de illius confusione se lætari, sed de salute cogitare adjunxit, ac acta, quæ in manu gerebat, è vestigio flammis injecit.

Christiana hæc Valeriani humanitas in corde Nigrini id effecit, ut de meliore Catholicorum parte seligenda cogitaret. Cura domestica, & statûs ratio distulit quidem propositum, constans tamen vivumque semper id per litteras retinuit, Gedano Brunam ad Valerianum datas. Ruptis tandem, quæ obstabant, repagulis, ipsemet tandem ad Valerianum properavit, dolores podagræ, quos viarum molestiæ reddebant acutiores, viriliter contemnens.

Volavit in amplexus Gedano expulsi hospitis Valerianus, eique suum de Catholicorum Regula Librum ad præcipuos Heterodoxos responsis adauctum, & sub prælo adhuc sudantem porrexit. Lectum in unius noctis spatio Nigrinus restituit, seque gratiâ Dei Catholicum dixit, ac talem se litteris summi Pontificis, & S. Congregationis de Propaganda Fidei clientelæ commendavit. Fama facti commovit ubique Populum, vel ad fremitum, vel ad plausum, & dum plures Lutheri & Calvini asseclas traxit in Nigrini exemplum, acuit aliorum linguas in sagittas, dum disputationis acta in reprobum torsêre sensum, & gloriam Valeriani verterunt in opprobrium, etiam Regis, Procerumque testimonio vilipenso. At ipse Nigrinus

se ve-

ſe verè à Valeriano victum publico teſtimonio firmans, & in Catholica Fide ad mortem uſque perſiſtens, *mentitam eſſe iniquitatem ſibi*, docuit.

Interim Valerianus ad curanda Miſſionis negotia Bohemiam ſeceſſit, ex inſtituenda per Archi-Diœceſin viſitatione novos fructus collecturus: vix autem Emin. Archiepiſcopus unito conſilio hanc executioni mandari decrevit, plures Regni Proceres ſub allegato novarum turbarum prætextu ei contradixêre, eamque Cæſar, tum ſopitæ rebellionis, tum inconſtantis Nationis memor, penitus inhibuit. Valerianus, velut alter Elias, Eccleſiaſticæ libertatis partes ſtrenuus aſſumpſit, celeri greſſu Cæſarem adiit, & dum à Deo Cæſari, quæ Cæſaris eſſent, per immutatam rerum faciem reddita eſſe dixit, & à Cæſare quoque Deo, quæ Dei & Sacrorum Canonum eſſent, reddenda, Gregemque à Paſtore viſitandum eſſe conſtanter monuit, ac pericula ex converſa contra Regnum dexterâ Dei renovanda invitus prædixit. Timuit loquentis ſpiritum piiſſimus Imperator, dum tamen ratione politicâ ductus & ſeductus opus viſitationis cohibuit, non longo poſt tempore mala, quæ ſprevit, rupto veluti aggere Bohemiam inundaſſe audivit: alia enim Pragæ pars, quæ eſt trans-flumen, dolo hoſtibus tradita, Proceribus ex ædibus pulſis, aliiſque ſuſque deque verſis, altera verò pars, nova videlicet, & vetuſta Civitas, longiore obſidione vexata, Regnum à tumultuante hinc inde milite ereptum, Provinciæque conterminæ igne, ferroque conſumptæ, divinæ ultionis fuêre teſtimonia.

Eouſque autem hæc viſitationis repulſa animum Valeriani dejecit, ut negotium Carolinæ Univerſitatis urgere, prout ſtatuerat, conſultum non amplius duceret, præſertim cum novis id difficultatibus implicari adverteret, afforentque, qui neglecto S. Sedis mandato, obicem ponebant, novæ doctrinæ adminiculo ſuffulti. Inde ſpinas has P. Baſilio de Ayre, ſuo Miſſionis Socio, reliquit, & Brunam receſſit.

Studio Philoſophico & Theologico diutius hîc incubit, compoſuitque opus *de Luce mentium, & ejus imagine*, parvum quidem mole, pondere autem, ſi Sapientûm judicio accedamus, magnum; Diſtraxit non ſemel intenſum ſtudium menti obverſans Nigrini converſio, & dum ex illa Eccleſiæ majus, quàm Roma ex ſcriptis intulerat, commodum adnatum eſſe meminit, denuo iter ad Almam hanc Urbem decrevit, partim, ut S. Sedi præcelſas Nigrini dotes ampliore relatione commendaret, partim, ut propoſitum, quo Uladislaus Rex colloquium de Fide publicum inſtituere ſtatuerat, recenſeret.

Eo anno videlicet milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo tertio agebantur Comitia Generalia Ordinis; in quibus de Miniſterio Generali Valeriano conferendo crebrior currebat diſcurſus, noviter autem & eouſque invidia illum impetiit, ut nec Regis, nec ſuo voto confecto inde recedere debuerit. In ſuo ad Provinciam appulſu à S. Congregatione in Poloniam ſe conferre jubetur, ut colloquium, quod Rex Torunii indixerat, omni, quo poſſet, niſu impediret. Interim dum Urbanus VIII. Pontificium triregnum cinere mortalitatis commutavit, & Innocentius X. in Petri Sede fuit collocatus, Rex quà prece, quà ratione inſtitit, ut colloquium indictum, ex quo plurima commoda rei Catholicæ ſperari deberent, ſaltem connivendo permitteret, ſi approbando ſuffragari nollet, cum receſſus nonniſi Catholicorum formidinem argueret, & Acatholicorum ſuperbiam acueret. Utque Pontificius aſſenſus certiùs ſequeretur, Valerianum denuo Romam ablegavit, ſuperadditâ illi commiſſione, ut & ibi de Ruthenorum Schiſmaticorum cum S. Sede unione, quam quidam Epiſcopus, Vir inter illos potens urgebat, & ex ſua converſione opportunam cenſuit, unitim tractaret. Benevolas hac vice invênit Romanæ Curiæ aures, fuitque utriuſque negotii ordo Nuntio Apoſtolico, in Poloniam profecturo, pro executione commendatus, non tamen eo, quo ſperabatur, ſucceſſu ſecundatus, invidiâ colloquium ita accelerante, ut Valerianus in eo comparere nequiret, ex quo nec lucrum rei Acatholicæ acceſſit, nec ulterius de Ruthenorum unione fuit actum.

Feliciùs inde ut in Polonia res Fidei curaret & Miſſionis, Cracoviæ in Suburbio Hoſpitium, in quo & vitæ Capucinæ, & Librorum compoſitioni, ad Acatholicos, qui contra eum ſcripſerant, confutandos incubuit. Inter hos Joannes Amos, Comenus, ſub nomine Ulrici de Neufeld latitans, pro opere *Echo vera* intitulato, abſurdi ſui laboris, quo Valeriani librum de credendi regula traduxit, primus recepit mercedem. Anguſtiorem Dux Oſſolienſis dum vidit Valeriani habitationem, aliam & ſuam fori Cracovienſis Domum, incolatu S. Joannis à Capiſtrano cultam, quam & Valerianus uſui Miſſionariorum Capucinorum inſcripſit, illi decrevit. Longas quietis moras in ea non protraxit, à Rege Varſaviam vocatus, qui ut de regio ſuo in illum affectu novum præberet ſpecimen, eum denuo ad purpuram promoveri, irrito licet conatu, poſtulavit, Reginâ ex Emin. Cardinalis Mazzarini inſtinctu, hujus Fratrem, ex Ordine PP. Prædicatorum commendante. Repetiit inſtantias Rex, & redituro Romam Internuntio precum ſuarum effectum commendavit. Iterata repulſa dum Regem haud parum irritavit, Valerianus econtra religioſâ indifferentiâ conſiliis Divinæ Providentiæ ſe totum commiſit, in ligneis ædibus, regio horto conterminis, quibus pro opportuno devotionis exercitio ſacellum adjunctum erat, in humilitate & paupertate vitæ Capucinæ leges ſervans, & Miſſionariæ charitatis officiis indefeſsè incumbens. Reddidit illa per Poloniam celebria Necromantæ ſeu Magi converſio, qui eximiæ Religionis, ſeu Ordinis Profeſſor, & Sacerdotali charactere inſignitus partim curioſâ malitiâ, partim aſtu alterius Magi ſeductus, ſi ex Italiæ partibus intra 4. dierum ſpatium Varſaviam duceretur, ſe animamque ſuam Dæmoni ſcripto pacto obſtrinxit; Attigit miſer ſtygio equo ductus Varſaviam, & amicum ſuum ex eadem Religione non procul à Capucinorum Hoſpitio morantem inviſit.

Utrumque Regius Hortulanus cum aliis conterraneis ad cœnam invitat, & eâ durante Dæmon, Necromantæ ciſtam, in qua Hortulanus ſui laboris, & ſudoris lucra per plures annos collecta, pro ſuæ ſenectutis præſidio cuſtodierat, callidè oſtendit, utque ex ea pecuniis ſuæ penuriæ provideret, ſuadet. Placuit conſilium, cœnâque finitâ, Sacerdos Necromanta, maligno Spiritu opem præbente, & cane ad cuſtodiam Domûs poſito, ad vota ſilente, Ædes intrat, & Hortulano dormiente ablatam ciſtam in puteo, regio horto contiguo abſcondit, cochlearibus argenteis, & paucis aliis ex ea duntaxat detractis. Deo diſponente detegitur Fur, qui, cum humanis viribus furtum committi haud potuiſſe conſtaret, interrogatus, diabolicâ arte id à ſe patratum eſſe fatetur, & Magum ſe denuntiat. Volat Valerianus his auditis ad Magum, & miſertus animæ ſeductæ eum ad pœnitentiam monet. Reluctatur ille, & dum nocte ſequente ſe Gedani dormiturum aſſerit, mediis ſpiritualibus, ne progredi poſſet, à Valeriano impeditur. Deluſa hæc Magi ſpes præbuit huic anſam fortiore eum arguendi zelo, inde, ut animam ſuam Chriſti Sanguine redemptam, & Sacræ Profeſſionis vinculo Deo ligatam à ſervitute Dæmonis liberet, hujuſque operibus forti animo abrenuntiet, opportunè importunè inſtat, obſecrat, increpat, pectuſque, quod ferro durius primò probaverat, commotum tandem

 adver-

advertit, eas tamen à Diabolo ad anguſtias redactum, ut miſer verbum *Abrenuntio* proferre haud poſſet. Ductum inde in aliud cubiculum, Fratribus ſociis in primo preces ſuas proſequentibus, coram Crucifixi Imagine ſiſtit, ac veniam & gratiam petere jubet. Invaleſcit contra orci molimina divina gratia, cooperatur Sacerdos, & ſolutus in lachrymas, crimen, quod ſeviore poſtmodum pœnitentiâ caſtigavit, deteſtatur, & execratur.

Vindices exin Sathan contra Valerianum concepit iras, & diræ perſecutionis turbinem in Magnatum, Procerumque animis contra eum concitavit: invaſerat eo tempore Turca Regnum Candiæ, Cydone ſuæ poteſtati jam ſubactâ, inde dum Orator Venetus, tum pro ſua, tum pro tota Chriſtiana Republica in Aula Regis ſuppetias petiit, hic partarum victoriarum memoriâ ſtimulatus, eas adpromiſit, militemque conſcripſit, ex parte Rutheniæ, fines Thraciæ aggreſſurus, & ex parte Boriſthenſis Axiacas ſeu Coſachos ad pontum Euximum pro divertendis Turcarum viribus miſſurus. Rex ut conſilium feliciùs ſuccederet, Franciſcum de Magnis, Comitem in Straſnitz, Valeriani Fratrem ad Summum Pontificem, Sereniſſimam Rempublicam Venetam, alioſque Italiæ Principes ablegavit, ubi ſortem & ſtatum belli, eâ, qua pollebat, ſagacitâ tractavit, Sereniſſima Venetorum Republicâ magnum auri pondus Polono militi adpromittente. Lætus inde ad Aulam Regiam rediit, ubi dum communem applauſum ſperabat, expeditio ejus à Proceribus, ceu pactis Regni contraria exſibilita eſt, fuitque lapis offenſionis, quod petra virtutis credebatur. In dies Procetum crevit averſio, ad Valerianum extenſa, quem dum Regii conſilii Auctorem noverant, illum è toto Regno extorrem voluerunt, in pacis ſuæ poſſeſſu moleſtari nolentes. Injuriam, quâ collata Poloniæ beneficia compenſari vidit, æquo animo hic tulit, & funeſtos effectus, qui Regno ex ſubſidio, periclitanti Italiæ & rei chriſtianæ denegato imminebant, non capi indoluit.

Rex Eum quidem, utut à pluribus malè viſum, in aula tenuit, collectum autem contra Turcas militem dimiſit, & Comitem Straſnicenſem, in aula Cæſarea infidelitatis inſimulatum, in Sileſiam, Oppuliæ & Ratiboris Ducatui Regio Nomine præſidentem ablegavit. Acrior interea in dies ſæviit in hæreditariis Cæſaris Provinciis belli ſtrepitus, & Svecorum furore in Bohemia, Moravia, Auſtria &c. omnia ſuſque deque fuêre converſa.

Diſpoſitis, quæ dictorum Ducatuum regimini prodeſſe poterant, Comitem Straſnicenſem ad Regiam Aulam regredi oportuit, ubi, ut ad partes Regis Galliarum tranſiret, hujus Orator tentavit, ei Ducatum Sileſiæ proprium, & Fratri rubeum Galerum, toties ei denegatum, pollicens. Appendit in bilance Comes tum aurea promiſſa, tum certa, dicto tranſitui connexa diſcrimina, tum averſum à ſe Cæſaris, & Regni Procerum animum, & dum nutantem animum firmare non potuit, habitâ ab ipſo Oratore veniâ Valeriani conſilium requiſivit. Corripuit hic acerbiùs inconſtantem Fratris erga Cæſarem Fidem, & turpe facinus, quo & propria, & Familiæ generoſa facta contaminare cogitaret, fuſiore ſermone ei demonſtrans, partim, quod fatis temporum indulgendum ſit, ut patientia, tot aſſaltibus laceſſita, majore gloriâ coronetur, partim, quod Principatus infami titulo acquiſiti, & purpura, venali perfidia maculata, non ſint niſi ignominiæ pignora, ſatiuſque ſit manere fortunæ luſum, quàm degeneri actione beneficiorum Cæſareorum memoriam obſuſcare. Ex quo Cæſarem liberavit à periculo, vana Oratoris promiſſa eluſit, & in Fide tenuit Fratrem, quem tamen, gratiâ Cæſaris in furorem verſâ, repudium Gallicæ gratiæ, illi à quodam Principe exprobratum, diriùs & diutius agitavit.

Confuſo hoc in Polonia rerum ſtatu, Valerianus Litteris S. Congregationis ad Miſſionarium Fidei Catholicæ cultum, Danticum ſecedere juſſus eſt, ubi autem fructum, quem ſperavit copioſum, impedivit diſſceſſus à dicta Urbe, illi à Catholicis illico in appulſu indictus. Litteras S. Congregationis exhibet legitimas, Miſſionarios Apoſtolicos è locis ſuæ Miſſionis à Catholicis ejici non poſſe allegat, & Fidei nocivum ſimultatis artificium ingeniâ ſpiritûs libertate objurgat, quin ad ſaniora reduceret, qui doloſè contra eum agebant. Humaniùs illum Acatholici ibi exceperunt, & ſicut ob vivam nominis illius, & habitæ cum Nigrino diſputationis memoriam ſibi de illius adventu gratulabantur, ita, ad eum de Philoſophicis, Mathematicis, ac Polemicis ſcientiis differentem audiendum turmatim confluxerunt, eumque ſibi Magiſtratûs conciliavit affectum, ut de inſtituendo congreſſu, in quo articuli, Acatholicorum ad Fidem Romanum regreſſum impedientes, concitis ex utraque parte Theologis diſcuterentur, decretorium conſenſum præſtiterit, & Joannes Botſacus prçliminarem jam habuerit cum eo diſcurſum Inſpectâ tamen temporum criſi durum ſibi judicavit in arenam, in qua Catholicos ipſos, potiores hoſtes eſſe prævidit, conſcendere, inde elevatâ ad Cœlum facie deploravit inopina fata, & anno milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo octavo Viennam receſſit.

Vix hic jucundum ſtudiorum ſuorum laborem incepit, felicior exercendi zeli ſeſe obtulit illi occaſio, converſio videlicet Sereniſſimi Principis Erneſti, Haſſiæ Landgravii, Calvini ſectâ polluti, æternæ memoriæ laude digna. A veritatis tramite ne in illius relatione deflectam, eam ipſis verbis, quibus ad Amicorum preces ipſe P. Valerianus deſcriptam reliquit, enarro, ut ſequitur:

Anno Domini 1650. ego Fr. Valerianus Mediolanenſis agebam Viennæ omnibus procul negotiis, & Miſſionibus Apoſtolicis, cum Princeps Piccolomineus menſe Octobris (ſi bene memini) ſignificavit mihi adeſſe in Cæſaris aula Principem quendam, Haſſiæ Landgravium, hæreticum, qui mecum conferre deſideraret, dubia quædam, Religionem concernentia propoſiturus, proinde me rogabat, ut in eum finem ſecum vellem prandium ſumere, eundemque Principem alloqui, uti factum eſt multis ex Magnalibus præſentibus, inter quos DD. Comes Montecucoli, Comes Strozzius & alii. Argumentatio mea cum præfato Principe tranſiit cum applauſu totius Aulæ, cujus teſtes eſſe poſſunt omnes, qui aderant. Poſt illas conferentias D. Comes Strozzius me invitavit in poſterum diem ad prandiū, qui mihi renuenti, eò quod non eſſet mei moris, vel apud ipſos meos Germanos Fratres extra Monaſterium comedere, confidit ſub roſa, requiſitum ſe fuiſſe à Domino Landgravio ad me invitandum, ſiquidem & ipſe intereſſe vellet, ut tali opportunitate plura mecum conferre poſſet. Ita factum eſt. Abſoluto prandio, Princeps in conclave quoddam ſemotum mecum ſe recepit, ubi ſumma cum fiducia patefecit animum ſuum, ſe ſcilicet, quoad doctrinam Calviniſticam non eſſe in ſua conſcientia quietum, jamque à multis annis ad fidem Catholicam valde propenſum eſſe; recenſuit, qualiter dum eſſet in poteſtate Cæſarianorum ex prælio captivus, frequenter cum Capucinis in Refectorio fuerit pranſus, & delectatus ex eorum ad menſem lectione. Ex quibus colloquiis animadverti, Virum eſſe ingenio præditum, Deum timentem, quique de præſentibus controverſiis audiſſet, & legiſſet multum. Poſt hunc congreſſum ſecundum me ſecretò convenit apud D. Comitem Truxſeſſ, qui eo ipſo tempore mecum agebat de amplectenda

Fide

Fide Catholica, qui & postea declaravit, me, post Deum, potiorem fuisse suæ conversionis causam. Denique Princeps hîc sepositis nonnullis respectibus, publicè me invisebat in Monasterio, egoque pariter ipsum conveniebam Domi. Ita factum, ut post multas conferentias me rogârit, ut eum nostrorum Fratrum precibus commendarem, disposito animo, postero die ad Monasterium redeundi, mihique in compendio sua dubia enarrandi, quatenus in postrema illa, quam disponebat, conferentia, ab iisdem liberaretur. Die indictâ, celebrata sunt eum in finem omnia Sacra in nostro Viennensi Monasterio intra Urbem, quò cum Princeps juxta condictum advenisset, mirabatur (ut ajebat) se esse ab illis jam omnino liberum. Simile quid ipsi contigit, dum secreta suæ conscientiæ mihi aperiens, manifestum habuit in sua Persona (de meo consilio) divinæ gratiæ experimentum. Attamen à me tentatus, an esset ad se Catholicum declarandum dispositus, ostendit se perplexum ob novam doctrinam Georgii Calixti, ejusdem Doctrinæ auctoris tunc temporis in Germania valde celebris, ajebatque velle se omnia praeoccupare dubia, quæ post suam declarationem sibi opponi possent, ne levitatis argueretur.

Reversus porro ad suas ditiones circa Nativitatem Domini, anno supradicto, à me postulavit, ne gravarer Rhinfelsam usque me conferre, quando ab ipso vocarer. Ego verò Eum sum hortatus, velit potius Patrum Jesuitarum uti operâ, siquidem essent potentiores ad illi inserviendum in temporalibus suis prætensionibus: at ille se in mea persona suam collocâsse fiduciam reposuit, & ego post aliquoties repetitas instantias consensi tandem, & promisi, me desuper requisiturum sensum & assensum S. Congregationis de propaganda fide, uti & factum est. Rediit itaque Princeps ad suas ditiones & convenit Ducem Neoburgicum, qui propria manu exaratam longiorem epistolam ad me dedit, quam in Originali transmisi Romam ad S. Congregationem, in qua mihi gratias egit de eo, quod in conversione illius Principis operatus sum, instanter rogans, ne velim ab opere incepto desistere, sed ad eas me transferam Regiones. Ipsemet Princeps Landgravius pariter longissimis & frequentissimis Litteris ad suam Aulam me invitavit, in eum quoque finem, ut ex sua conversione publicus reportaretur fructus.

Jussus itaque à S. Congregatione discessi Viennâ, anno 1651. die 19. Julii, & illum conveni in Schwalbach, ubi eram cum Serenissimo Electore Moguntino, recognovi illum, qualem supra descripsi, afflictissimum ob suæ Conjugis in Calvinistica fide duritiem: timidum ad me in arcem suam excipiendum, ne ipsa fortè turbaretur. Notum mihi præterea fuit, illum à piè defuncto Duce Neoburgico & ab illis Patribus Jesuitis, qui illi aderant, fuisse non modicè pressum, ut ante meum adventum se declararet Catholicum. Denique percepi, dispositam ab illo fuisse disputationem quamdam inter me, & tres celebres hæreticos, Crocium, Calixtum, & Haberkornium. Perveni postmodum ad locum quemdam, unâ duntaxat Leuca ab arce Rhinfelsensi distantem, ubi habitabat cum sua aula, ut eò me introducerem circa noctis medium, quatenus meus adventus, sensim innotescens, minùs acerbè toleraretur à Principissa & aliis: brevi tamen cum eadem familiaritatem contraxi, & tandem illam reduxi ad Fidem Catholicam, in cujus conversione Deus non aliâ usus est Persona, præter me, prout ipsa publicè fassa est. Hac occasione conferebam cum Principe frequentiùs, & familiariùs, jamque erat Catholicus, differebat solummodo declarationem publicam, ut appareret, quem effectum esset paritura insinuata Disputatio, â me eo modo reformata, uti sæpius S. Congregationi notum feci, cujus eventûs intermitto narrationem, siquidem jam satis innotuit, non tamen prætereundum est aliquod enarrare incidens, cujus notitia congruit fini, qui per hanc enarrationem intenditur.

Dubitabatur, an Doctor Haberkornius esset venturus Rhinfelsam, jussus à D. Landgravio Darmstadino, ut mecum disputaret, in quem finem ego ibidem detinebar: at superveniens Cels. Princeps Sulzbachensis, Comes Palatinus, qui aliàs jam dudum summopere optabat mecum agere de quibusdam dubiis, Religionem concernentibus, me ibi reperto, non mediocriter gavisus est, triumque circiter dierum spatio sua mecum colloquia continuavit; inde cum discessum pararet, profecturus Dusseldorpium, rogavit me per D. Landgravium, ut ad inchoata colloquia continuanda iter illud secum peragere vellem, quod & feci, cum prius convenissem cum D. Landgravio, ut, quamprimum de adventu resciret Haberkornii, protinus per citatum Cursorem redderet me certiorem, uti fecit, tali tamen tempore, quo Rhenus, assiduis pluviis turgidus, inundaverat occidentalem plagam, in qua sita est Arx Rhinfelsensis, Orientali montuosâ siccâ remanente, per quam confestim me contuli Rhinfelsam, ubi reperi quemdam P. Jesuitam, eò vocatum à D. Landgravio, dubitante (ut asserebat) utrum ob præfatam inundationem me eò conferre possem; quo casu Pater ille meas debuisset disputando supplere vices.

Ego mecum duxeram P. Bartholomæum Vernensem, Guardianum Capucinorum Coloniæ, & ejusdem Provinciæ Definitorem, nec non & P. Benignum Elbingensen Capucinum, Grecæ, ac Hebraicæ Linguæ peritum. Tunc requisitus à D. Landgravio, ut dictum P. Jesuitam admitterem ad disputationem, iteratò protestante, quod illum nullatenus vocâsset, si in mentem sibi venire potuisset, orientalem Rheni ripam non esse inundatam; respondi, me quemvis alterius Ordinis Religiosum ac Theologum, præter Jesuitam, admissurum, siquidem divulgâsset Capucinos esse ignorantes; hinc si illum admitterem, spargeretur, Jesuitas fuisse vocatos in supplementum ignorantiæ Capucinorum, quod non tam mihi, quàm toti Capucinorum cœtui foret dedecori: liberum esse Principi, vel Jesuitas admittere ad colloquium cum hæreticis, quàm me; si illos admiserit, me abiturum, si me, tunc abeant ipsi. Quapropter ille P. Jesuita, cum quo tamen confidenter sum conversatus, reversus est Moguntiam, & subsecuta est disputatio, publicata & impressa Coloniæ.

Terminatâ disputatione cum Haberkornio D. Landgravius cum Celsissima Conjuge, & totâ aula, ac ego cum illis profecti sumus Coloniam, quò appulimus die quinto Januarii anno 1652. ubi sequenti die, qui erat de tribus Regibus festus, publicam fidei emiserunt professionem in manibus Emin. Electoris Coloniensis, & nonnullis diebus interjectis, D. Landgravius fecit exercitia spiritualia in nostro Monasterio, expiando peccata sua per Sacramentalem Confessionem, factam ab eo prædicto P. Bartholomæo, & à Domina Landgravia P. Benigno, uterque verò de meis manibus sacram sumpsit synaxim, cum interventu Ducis Neoburgici, qui in nostro Monasterio instruxit prandium, cui interfuit ipse D. Landgravius cum Celsissima sua Conjuge, quæ particularitates omnes typo prodiêre.

Et quia in habitatione, mihi in arce Rheinfelsensi assignatâ, erectum fuit primum altare in parvo quodam cubili, ubi uterque Princeps prima vice interfuit Sacrosancto Missæ Sacrificio, à me celebrato, non semel, sed sæpius publicè declarârunt, se velle ibidem altare ornatum conservare, suamque conversionem

à Deo

à Deo, mediante me, factam marmori incidi jubere, scripsitque D. Comiti Montecuculi, in Aula Cæsarea commoranti, quatenus effigiem meæ Personæ, quam penes se habebat, depingi curaret, in prædicto Oratorio collocandam ad perpetuam rei memoriam. Nec dubium habeo, quin D. Landgravius juxta generosam indolem suam erga me munificentiam declarâsset, si mea non obstitisset conditio; fecit tamen, quod fieri potuit, nimirum jussit mihi Habitum cum pallio confici, voluitque à me sibi promitti, me ex Sacro Baptismatis fonte suscepturum primum, quem Landgravia enixura esset, Filium &c.

Hæc est historica narratio eorum, quæ concernunt conversionem dictorum Principum, quoad eam partem, quam ego Fr. Valerianus operatus sum. Ita me Deus amet, ut in conscientia mea nesciam me quid dixisse, quod coram Deo non credam veritati consonum.

Rei veritati ita sincerè ab ipso Fr. Valeriano compendiatæ alia superaddere eò ipso mihi non occurrit, cum illius ætatis historici effusâ laude id variè commendent, rationes tamen, & modum indictæ disputationis latiùs adduci, ipsa exigit historiæ dignitas. Sciri oportet, quod D. Landgravius, ne in suo à nativa secta declivio & recessu, levitatis argueretur, dubia, quæ animum ejus adhuc implicaverant, publicâ censurâ solvi, & ideo congressum utriusque partis institui voluerit: Inde à Ducibus Brunsvicensi & Luneburgico Georgium Calixtum, celebrem novæ Doctrinæ Theologum, & Helmstadii Professorem Lutheranum, à Landgravio Cassellensi Joannem Crocium, Calvinistam, ac à Landgravio Darmstadiano Petrum Haberkornium ad discutiendas cum P. Valeriano, ejusque Sociis proponendas à se Fidei quæstiones deputari obtinuit. Calixto & Crocio Francofurti, ubi aliàs certamen fidei à Landgravio indictum, erat, comparere renuentibus, inter partes conventum est, ut quilibet in ædibus suis argumenta & responsa conficeret, & per actiones impressas, quarum quælibet duas philyras non excederet, per Tabellarios publicos & ordinarios parti ea communicaret. Modum formamque hanc disputationis servari suasit tum attenta Principum, aliorumque curiositas, quâ merita partium diffidentium rescire cupiebant, tum commodum ipsorum Disputantium, cum non libros, sed actiones curtas legere eos oporteret, & ideo ad eas respondere facili negotio possent, tum cautela, ut, quod vel objiceretur, vel responderetur, negari amplius haud posset, aliâsque ex littera impressâ effugiis via occluderetur, & ex paucis replicis, cujus partis doctrina prævaleret, cognosceretur. Ne & una ex partibus ad responsum dandum se arctatam fuisse conqueri posset, nullum erat respondendi tempus præfixum & cuicunque sensa sua adhibito aliorum consilio digerere permissum.

Methodo taliter stabilitâ, datum est Rhenofelsæ sacræ pugnæ initium, P. Valeriano Herbipoli apud Electorem Moguntinum, & Haberkornio in suis ædibus permanente. Fuit & per integros menses producta, D. Landgravio quæstiones proponente. Has cum hîc adducere grave foret, omni licèt ex parte dignissimas, Lectorem ad earum typum à me remitti necesse est. Unicè meminisse juvat, acriùs agitatam fuisse de Summi Pontificis infallibilitate quæstionem, quam Valerianus Sacri textûs, Conciliorum &c. invincibili conclusit *ERGO Romanus Pontifex, cum definit ex cathedra quæstiones de fide, errare non potest.*

Jam ex prima Valeriani actione callidus Calixtus suam ut ignaviam palliaret, vario artificio disputationis filum abrupit, Valerianum superbo supercilio contempsit, Leoninâ pelle (ut olim de Asino fabulatum est) sibi aptatâ, ut confusionis timorem, quo præoccupabatur, absconderet: Quod vafri prætextûs exemplum & alii duo ex eodem fine sectari consultum duxerunt. Ex relicta tamen arena non defuit veritati triumphus, ex subsequo Landgravii cum Serenissima Conjuge Fidei Catholicæ amplexu conspicuus, quem ut Valerianus mundo redderet Illustriorem, Coloniæ acta Disputationis typis vulgari curavit. Sathan ut operis gloriam impediret, famulum Typographi nocturnâ illusione turbavit, nam, dum alium in vicino cubili prælo pariter occupari credidit, lumine apprehenso neminem vidit, & ex technis Stygiis detectis, alacrioris laboris animum sumpsit.

Absoluti typi exemplaria, novitatis avida cupido in omnem distraxit terram, & diversæ censuræ partum progenuit, haud aliter, ac olim de doctrina Christi, in quo omnes thesauri Sapientiæ & Scientiæ Dei congesti latebant, accidit, *dum murmur multum erat in turba de eo, quidem enim dicebant, quia bonus est, alii autem dicebant non, sed seducit turbas*: eadem opinandi contrarietas audita est de Valeriani doctrina, & evulgato exactæ disputationis opere; dum enim alii illud ex fructu conversionis Landgravii bonum probârunt, alii econtra in eo scrutati sunt iniquitates: ex eodem proin flore Apes mel suxerunt, & araneæ venenum confecerunt. Severiore tamen morsu, acta de Pontificis Infallibilitate convulsa sunt, & quod ex iis non leve Ecclesiæ præjudicium illatum sit, variè est sparsum. Incaluit dissonus rumor in ipsis Comitiis Ratisbonæ anno 1653 & per Imperii Civitates diffusus, Romæ infelici Echo personuit. Clamârunt contra Valerianum, tanquam læsæ Majestatis reum, & Acatholicorum fautorem, cum his contra Papæ privilegia arma præbuisset, & triumphum parâsset: clamârunt eo ipso tempore, quo Valerianus tum à Sacra Congregatione, tum ab ipso Summo Pontifice, Innocentio X. litteras, eidem de conversione Landgravii amplo præconio gratulantes in manibus terebat recentes. Gloriæ proin Scena, in qua hucusque Valerianus comparuerat, illico convertitur in catastrophen, proceditur contra eum ipso facto, omnis cum hæreticis disputatio ab Apostolico Nuntio ei interdicitur, mittitur Ratisbonam Libellus auctoris Anonymi, formis Coloniensibus cusus, quo contra hæreticos edito, Valerianus, quasi Primatum Romani Pontificis ex Libris Divinis probari non posse in disputatione Rhenofelsæ statuisset, argutè & eo ipso falsò carpitur, cum ibi de Primatu nunquam, sed de ejus effectu, videlicet Infallibilitate, fuerit disceptatum.

Non terruit mota tempestas magnanimum Valerianum, qui doctrinam suam puram & sanam sciens, animosior ad ejus processit defensionem, exaltavit in fortitudine vocem suam, contra eos, qui acuerant contra eum dentes suos, venenum aspidum, quod sub labiis eorum latebat, exspuentes: Sumpsit calamum, & velociter scribens, Anonymi Coloniensis adulteram doctrinam non solùm epistolâ Apologetica, P. Bonaventuræ Ruthensi Capucino inscriptâ solidissimè confutavit, sed etiam ex confusa Primatûs & Infallibilitatis quæstione eum de crimine falsi liberè arguit. Juncturus majus disputationi Rhenofelsensi robur, acta disputationis per sex menses cum Haberkornio continuatas typis edi voluit, laudantibus, qui veritatis amici erant, typum, passione tamen eorum, qui occultè semper contra eum machinabantur, illum impediente. Sedatus dum nonnihil motus credebatur, prodiit in lucem alius Libellus, sub ficto M. Iocosi Severi Medii nomine, cujus tamen verum Auctorem Catholicum fuisse Roma Valeriano retulit, qui, ut Valerianum liberiore stylo impeteret, hæretici Personam ementiri non erubuit. Commentario typis edito, & in secunda editione appendice & appendicula adaucto, Hic se & Capucinos contra larvam impietatis protexit. At, quò fortiùs ille contra

hostes

hostes egit, eò audaciùs illi contra illius jurârunt exterminium, eum multiplicis criminis reum arguendo, doctrinam duriore censurâ corrumpendo, eamque ipsi S. Inquisitionis Officio pro examine præsentando. Ipsa quoq; arma in tutelam suæ doctrinæ adhibita, fuerunt tela, quæ hostis contra eum retorsit, & ex transgressione Decreti, quo Sacra Congregatio de propaganda Fide Missionariis libros vulgare inhibuit, eum censurâ innodatum sparsit, doctrinamque illius Romæ damnatam clamavit. Æstus dum Religiosos Adversarios ad hujusmodi excessum impulit, laxavit & ille, quibus diu jam anxiabatur, conscientiæ stimulos, eos Summo Pontifici ceu Auctores & Fautores doctrinæ non sanæ denuntiavit, alio Apostolico Decreto, quod suspectam doctrinam ad Sacram Sedem deferri jubet, innixus. Diutius quidem hac in re & consilio titubabat, nescius, an famam suam judicio Dei relinquere salubriùs foret, an eam clamorosâ curâ conservare: an calumniatores virtute silentii vindicare prudentiùs foret, an studio zeli confundere. Post replicatas autem ad Deum preces, dum tum ad Personæ suæ circumstantias, tum ad qualitatem Missionarii, tum ad habitos honoris gradus, tum ad ætatem provectam, tum ad plausus Romæ acquisitos, tum ad præjudicium Ordini suo, & doctrinæ adnascens, cogitavit exemplo Apostoli incitatus censuit *bonum esse* sibi *magis mori, quàm, ut gloriam* ejus *quis evacuet*: *duas* meminit *esse res conscientiam & famam*, *conscientiam esse necessariam sibi, famam proximo*, eumque, *qui fidens conscientiæ suæ negligit famam suam*, *esse crudelem*, ad dictam denuntiationem se resolvit, doctrinæ, quâ D. Thomas in subsidium famæ propriæ, errores inimici detegere licitum statuit, inhærens.

Ordinem tamen justitiæ ne implicaret, non præcociter, sed lentè & gradatim incessit, Sacræ Congregationis, quæ pluries suos ipsi spopondit favores, & suum Hyperaspisten se scripsit, remedia implorans. Replicavit per quatuor annos preces, at, dum vel obice per adversarios posito, vel Deo sic volente, nihil à se evinci, malumque in dies augeri advertit, consilio Sapientis ductus, *pro justitia agonizare*, *& ad mortem usque certare*, collectis jam penè languentibus viribus decrevit. Ne verò denuo contra S. Congregationis decretum de non imprimendis libris egisse videretur, Missionarii characteri consultò renuntiavit, datis desuper ad eandem Sacram Congregationem litteris, & apologiam iis munitam rationibus instruxit, quibus in Ecclesia Dei vir justus & probus agnosceretur. *Placita* autem *erat Deo anima illius*, *& ideo necesse fuit*, *ut probaret eum tentatio*: vix enim impressæ Apologiæ titulum adversarii suspexère, eam Viennæ infamem sparserunt, factam autem juris publici, violenter supprimere nitebantur, Typographo, si exemplaria iis consignaret, duplo vel triplo expensarum oblato: at irritus fuit omnis conatus, cum unum exemplar Papæ Alexandro VII. cum epistola sub 10. Novembris 1660. exarata, alia duodecim, tot S. R. Ecclesiæ Cardinalibus cum totidem epistolis, & aliud Imperatori Leopoldo Pragâ jam fuissent transmissa. Illico inde ignis erupit in flammas, auditi hinc inde strepitus, facti pro illius suppressione recursus, & ab Apostolico Nuntio exemplaria, si quæ afforent, sibi deferri mandatum. Excitatos rumores ut Valerianus sedaret, Anno millesimo sexcentesimo sexagesimo primo, quinto Januarii Pragâ solvit, & Viennam properavit, ubi quidem Apostolico Nuntio Apologiæ impressæ rationes exposuit, seque ad ejus defensionem paratum exhibuit, fuit autem tunc hora, quâ Valeriano, velut emeritæ Militiæ Heroi debebatur laurea, gloriâ honoris, & opere fortitudinis consummata: prima namque Februarii, seu in Vigilia Hepapante seu festi, quo Simeon Senex famosus Christum Jesum, lumen ad revelationem, gloriam plebis Israel in templo à se visum exultavit, & B. V. Maria purificationis legem complevit, Valerianus econtra Senex famosus, annosus de semetipso in opprobrium gentium posito turbari, & squallidæ purificationis phylacam adire debuit: horâ etenim nocturnâ octavâ ejusdem vigiliæ, quartâ videlicet post occasum solis, comparuerunt in Monasterio nostro Viennæ D. Auditor Nuntii Apostolici, unusque ex Secretariis Cæsareis, qui vocatis P. Guardiano & uno ex senioribus Patribus cellam Valeriani, cum Sociis P. Ludovico à Salice, & Fr. Fortunato Tridentino refectiunculam sumentis, serii accedentes, Pontificium Mandatum de illo carcerando exposuêre, Cœsareo brachio communitum. Stupuit ad novitatem facti Valerianus, & quo ex titulo ad carceres esset ducendus, quæsivit: causam à se nesciri iis reponentibus, ille se quidem absque titulo contumaciæ, fugæ, aut sententiæ carcerari non posse, Pontificio tamen & Cæsareo mandatis resistere nolle respondit. Exceptus inde curru, & armato milite cinctus, per plateas facibus & funalibus illuminatas ad carceres! quid? Valerianus ex nobili prosapia ortus, doctrinâ & integritate morum præstans, ultrà 34. annos Missionarius Apostolicus! Quid? Valerianus verè Magnus, toties ad Reges & Principes Legatus, ad purpuram Cardinalitiam iteratò commendatus, ab ipsis Summis Pontificibus passim laudatus, carceri includitur!

Illucescente die tota urbs, audito, quod accidit, tenebrarum opere, in stuporem acta, carcer ob accursum Nobilium utriusque sexûs conversus in aulam, & inter tumultum platearum clamor auditus est, *Vivant Capucini*, *vivat P. Valerianus*, dum ii, qui eum persecuti sunt, loquebantur vanitates, injuriam, ab iis factam Inde velantes. Diutius Valerianus in patientia possedit animam suam, & conflictum cogitationum vario divertit studio: tandem, quorsum negotium tenderet, à Nuntio Apostolico quæsivit, & processum compilari rogavit: qno, se Judicem in causa non esse, replicante, ad Cæsarem appellavit, qui dum & ipse rem à se tangi non posse reposuit, Valerianus cum Propheta exclamavit; *circumspexi*, *& non erat auxiliator*, *quæsivi*, *& non erat*, *qui brachium adjuvaret meum*: Inde ab indole, quæ arduis premi, opprimi non potest, incitatus, epistolam ad P. Ludovicum, Socium suum conscripsit, qnâ multoties copiatâ & animi seu integritatem, & violentæ actionis casum libero explicavit stylo: nec mirum, cum conscientia, criminis nescia reddat hominem audacem, dum econtra læsa eum facit timidum, hinc & sæpius Valerianus dicere solebat: *Si me mea conscientia in aliquo accusaret*, *nemo timidior esset*, *at verò stante mea conscientia à nemine terrefieri potero*, *proprium enim est veritatis*, *ut maneat & invalescat in æternum*. Ejus autem efficaciæ fata epistola est visa, ut Apologiam longè superare Vir in aula Cæsarea omni exceptione major asséreret. Interim certatim pro Valeriani liberatione ab amicis actum est, fuitque Serenissima Marchionissa Badensis, affinitate cum illo juncta, prima, quæ de eo liberando, adductis, quæ ab eo Ecclesiæ, & Sanctæ Sedi præstita erant, obsequiis, cum Nuntio Apostolico contulit, at Româ manus sibi ligatas esse, hic reposuit. Adivit & ipsum Cæsarem Serenissimus Marchio, & longa serie ei retulit tum à Patruo Valeriani sub Sigismundo Rege Poloniæ res pro Domo Austriaca feliciter gestas, & Maximilianum Archiducem victum & captum illius operâ libertati restitutum, tum in Hungariæ bello à Patre Valeriani Cæsari Rudolpho ingentem pecuniariam summam in subsidium subministratam, tum Joannem Baptistam Valeriani Fratrem pro Cæsare dimicantem, plumbeo globo trajectum, tum alium Valeriani Fratrem Comitem in Strasnitz non solùm

in

in Franconia prope Achaffenburgum, fed & in Bohemia prope Stellam pari vitæ difcrimine Auftriacæ Domûs hoftes profligantem &c. Fufo huic beneficiorum periodo addidit & preces P. Samuel à Pilfenburg, Provincialis, qui auditâ Valeriani carceratione curfum vifitationis interrupit, & Cæfarem per omnia Sacra, ut Viri & Ordinis honori confuleret, rogavit. Fuit Cæfar navi, contrariis agitatæ procellis haud abfimilis, nam, dum meritum, quod in Valeriano agnoverat amplum, illum impulit ad partes gratiæ, contraria Domini Nuntii Apoftolici fuafio eum repercuffit ad fluctus juftitiæ.

Fluctuante ita Cæfare, & Nobilium concurfu ad carceres in dies ingravefcente, Valeriano Vir in aula Cæfarea potens fugam fuadet, exemplo Pauli Apoftoli, cognitâ Judæorum confpiratione brachium Tribuni Idololatræ implorantis, eam cohoneftat, & femetipfum Equitum & itineris Ducem offert. Humanitatis generofæ officiis fe plurimùm devinci, canamque fuam ætatem turpi fugâ maculari non poffe fubridens refpondet Valerianus, fquallore carceris fe non confundi, fed econtra fpem fuam augeri ratus & votum, *ut magnificetur Chriftus in corpore fuo five per vitam, five per mortem.* Victorem in carcere fe credidit Valerianus, & ideo extra eum vinci noluit: obfcuros lares plus claritatis quàm dedecoris fibi conferre amico dixit, qui conftantem animum miratus, ex eo teftimonium virtutis latentis deduxit.

Anguftias tandem, & econtra animi fui Cæfar, fufferre amplius non valuit, durum ei vifum fuit diutius contra ftimulum calcitrare, feu Nobilium afpernari preces, beneficia Auftriacæ Domui collata, feverioris judicii confilio maculari, & potentiâ fuâ deprimi Valerianum, quem toties exaltare quæfivit; hinc mentem fuam de rigore contra Valerianum coercendo, Nuntio Apoftolico patefieri juffit: nec reftitit hic Cæfareo fenfui, fed unicè, ut decori Sedis Apoftolicæ confuleretur, rogavit. Inde Valerianum, fpondentibus pro eo Sereniffimo Marchione Badenfi, ac Comite in Strafnik, ejus Nepote, ad ædes Comitis à Wertenberg, Monafterio noftro vicinas, transferri fancitum eft, prout & 19 Februarii curfu Principis Badenfis exceptus inibi moras cœpit, & continuavit, ufque dum Salisburgum, ubi ufque ad aliam Romanæ Curiæ difpofitionem eum cunctari oportuit, fecefiit. Mirabile dictu & vifu; vix hæc liberioris auræ copia Valeriano fuit data, omnes beneficii partem fibi adfcribebant: dum jacuit Valerianus in umbra carceris, multi de ejus cafu exultabant, & hi ipfi poftmodum primi erant, qui fub amicitiæ, & fidelitatis fipario, Eidem de immutata forte congaudere properabant. Inter hos femel noctu, abfque folito apparatu, & tempore, quo quinque Comitiffæ Valerianum inviferant, comparuit & unus ex præcipuis, qui tragedæ fcenæ telam folertiùs texerant. Valerianus blandâ facie excipiebat, quem larvâ fictæ amicitiæ contectum noverat: honorem, quo ex vifitatione Comitiffarum fruebatur, ei in acceptis retulit, feu fuæ libertatis primario motori. Vix autem Comitiffæ abierant, hæfit hic confufus ex morfu, quo interiùs angebatur, & hilaritatem vultûs, confcientiæ bonæ indicem, in Valeriano agnofcens, lachrymis, quas improbi confilii confeffio ex corde ejus expreffit uberes, ingenium fuæ fimulationis accufavit, ita ut turpitudinem facti confeffus, oculifque, quos præ rubore elevare non poterat, in terram demiffis, veniam precatus fit. Properat in charitatis amplexus Valerianus, & dum fe ab eo non læfum, & manui Dei à fe omnia adfcribi repetiit, in pace, & fub verè chriftianæ humanitatis officiis eum dimifit.

Statuto ad difceffum Salisburgum die, in ipfa Ferdinandi III. lectica (ita in honoris argumentum, jubente Auguftiffimo Imperatore Leopoldo) Valerianus Viennâ, quam infigne ludentis fortunæ theatrum in fe comperit, folvit, Lincium vectus, ubi Cives illum communi applaufu, & Proceres æmulæ charitatis obfequiis exceperunt, multique horum, ut diutius illius gauderent confortio, fe comites illi in via Salisburgum junxerunt. Attigit hoc, anno prædicto 2. Aprilis, à Celfiffimo ac Rmo Principe Archiepifcopo Guidobaldo, ex Comitibus de Thun &c., quem inter - et Valerianum jam à multis annis amica viguerat confuetudo, & qui fe hujus contubernio verè felicem æftimaverat, fingulari gaudio exceptus. Quantùm proin Celfiffimus Princeps Ei de fuo fato indoluit, tantùm apud fe cunctantem gratiis cumulavit. Victum ei & fociis præbuit affluenter, illum ad menfam fuam vocavit frequenter, ac in fuo deliciarum horto, quem Mirabellum vocant, habuit hofpitem lætanter; fecit & illum fecretiorium fuorum confiliorum participem, voluit Eum Pontificiarum functionum, quibus Valerianus delectabatur, præfentem, feu affiftentem, illiufque altam doctrinam humili virtute fociatam continuo commendavit præconio. Tentatus non femel Princeps, ut afflicto adderet afflictionem, & fuæ dilectionis favores, vel penitus detraheret, vel eos faltem reftringeret, noluit autem in aliorum obfequium, alieno fe polluere peccato, & Valerianum, Sanctum Domini, inter territorii fui limites tangi fe nolle conftanter afferuit. Statutum quoque erat, ut peractâ S. Corporis Chrifti octavâ, quam Salisburgum peculiari celebrat pietate, Valerianus cum Principe diutius ruris deliciis gaudere deberet, at uno ictu fævior podagra, quæ inter dictam octavam Valerianum obruit, ruralis voluptatis idæam pervertit, divinoque factum eft confilio, ut, qui velut alter Elias zelo zelatus eft pro Domino exercituum, ad hujus quoque exemplum pane Angelorum de Cœlo præftito cibatus, hoc ipfo tempore ambularet in fortitudine cibi illius ufque ad montem Dei: malum enim in dies incaluit, ftomachi convulfione adauctum, & dolores, vires Senis, non nifi in amaræ Dominicæ paffionis lectione aut meditatione lenimen patientiæ quærentis eoufque debilitârunt, ut fpem falutis timor mortis longè fuperaret. Illico accepto defuper nuntio Celfiffimus Princeps languentem accedit, & Burghufio Medicum, qui collato cum aliis confilio difcrimini obviaret, per celeres equos vocari, & interim media Pharmacopeæ, quæ dolores lenirent, adhiberi jubet. Occurrente de iis, qua Viennæ acta funt, fermone, æger in confpectu Celfiffimi Principis, Comitis, qui ei à cubiculis erat, P. Guardiani, aliorumque Fratrum, ea ex averfione quorumdam Regularium, tum ob negotium Carolinæ Univerfitatis, tum ex eorum apud Sanctam Sedem denuntiatione pullulâffe fincerè, & fusè faffus eft: ne tamen exinde fe odio contra eos, aut vindictæ cupidine agitatum effe pofteri fufpicari poffent, coram omnibus puræ fuæ confcientiæ teftimonium perhibuit fequenti proteftatione.

Proteftor coram Deo, coram Celfitudine Veftra, coram R. P. Guardiano, & cæteris, qui hîc adfunt, me nullo unquam odio fuiffe affectum contra Religiofos N. N. imò diligo illos, & darem pro illis meam vitam, fateorque inter illos effe quàm plurimos timentes Deum, qui defiderant, & petunt reformationem. Denuntiavi tamen illos tanquam fufpectos -- confiderans enim plerafque eorum actiones & omiffiones diffonas -- fenfi me vehementer urgeri ftimulis meæ confcientiæ ad præfatam denuntiationem, ob idque pluribus annis oravi Deum, ut infpiraret mihi in negotio tam arduo, quid agendum: tandem fruftra amplius refiftens, debui illos denuntiare &c. Non leve ex candido hoc fermone Celfiffimus Princeps concepit folatium, & ædes repetiit, dum interim Valerianus Sacra exomologefi animam à labe purgavit, nocteque fubfequâ,

mor-

morbum augeri præsentiens, Angelorum pane & Sacro Viatico ad viam æternitatis se muniri rogavit. Hoc antequam reciperet, circumfusos ad lectum Fratres latino alloquio ad sacræ vocationis Spiritum animavit, conversusque ad Eucharisticum Redemptorem gratâ memoria sibi collata beneficia recensuit, de peccatis commissis veniam petiit, exesasque jejunio & ætate genas copiosis amoris lachrymis irrigavit. Tandem sicut inter mortales agens acerrimum sese semper exhibuit Catholicæ Fidei propugnatorem, sic è vita discessurus reminiscens, eos, qui credunt, *signatos esse Spiritu promissionis Sancto*, *qui est pignus hæreditatis*, ac fidem esse victoriam quæ & mundum vincit, & astus Diaboli eludit, altâ voce, magnoque Spiritûs fervore ac communi Fratrum ædificatione Professionem Fidei emisit, & inter anhela amoris suspiria in luctam mortis, *Vitæ panem*, Sacrum suscepit Viaticum. Delicianti cum Jesu suo, Medicus Burghusio adveniens pro die postero quidem purgativum paravit potum, quem & sacro jam unctus oleo sumpsit, contrarium tamen produxit effectum, talesque foris angustias, & intus tormina excitavit, ut Cœlum novo martyrii genere Valerianum torquere velle videretur.

Inde experturus, an motus levamen afferret, humeris socii innixus per cellam ambulavit: sentiens autem illico & hoc incassum fieri, elatis ad cœlum oculis in verba prorupit: *O Jesu, in manibus tuis sunt sortes meæ, visitatio tua custodiat & perficiat Spiritum meum*. Recumbentem invisit Sacellanus Celsissimi Principis, sub hujus nomine statum morbi exploravit, & præsidia quæque obtulit. E cella vix discessit à P. Ludovico sociatus, Valerianus fractâ jam voce commendationem animæ suæ fieri à P. Guardiano poposcit. Accurrunt confusè Fratres, ultimo ejus agoni astituri, dumque, an hos cognosceret, & an, quid vellent, sciret, quæreretur? respondit, *cognosco & credo*, vertensque se ad dexterum latus, manumque capiti supponens ad verba *subvenite Sancti Dei*, inter repetita dilecti Crucifixi oscula emisit spiritum.

Alto suspirio ingemuit jacturam Viri Celsissimus Princeps, doloremque amor, quo illum deperiit, cordi ejus infixit acutum: leniit tandem illum recordatio, & firma fiducia, quod anima ejus esset in refrigerio, de umbra sæculari ad lucis gloriam, de certamine mundi ad requiem æternam translata. Origo morbi ut pateret, Cadaver secari, & exenterari jussit, fuitque repertum, quod venæ, quas meseraicas seu lacteas appellant, diutinâ constipatione obstructæ, ad munus suum inhabiles evaserint, nec amplius vi haustæ potionis aperiri potuerint. Ut & memoria Viri jugis in oculis Posterorum perennaret, effigiem ejus, in feretro jacentis, celebri penicillo depingi, & æneæ tabulæ incidi curavit cum inscriptione.

R. P. Valerianus Capucinus, patriâ Mediolanensis, ex Stirpe Comitum de Magnis: magnus opere & sermone, pietate, Religione & doctrinâ eximius, nominis sui implevit omen. Ad omnes in Provincia sua Austriaca dignitatum gradus evectus est: Missionarii Apostolici munus per annos triginta quinque ardenti animarum zelo & fructu obivit: Orthodoxæ fidei propugnator, & Acatholicorum, quà dictis, quà scriptis insectator fuit acerrimus: hinc ab iis in Austria Superiore anno 1618. prope Lincium nodoso fuste mortiferas plagas retulit, & pro fide Catholica proprio sparso sanguine purpurari meruit. Legationibus quoque Magnatum sæpe insigniter functus est: piis demum pro Christo & ejus Ecclesia laboribus senioque confectus, Sacerdos Jubilæus, inter Crucifixi Redemptoris amplexus & oscula placidè obdormivit in sui Ordinis Conventu Salisburgi 29. Julii anno 1661. ætatis suæ 75. & Religiosæ Professionis 60. cujus virtus post funera vivit & fama, posteritatem habens in libris & liberis, quos per Evangelium in Christo genuit.

Subinde dum Campanæ sonus populum ad parentalia vocavit, turmatim hic ad nostram confluxit Ecclesiam, in qua Cadaver expositum, & faciem eo nitore obductam conspexit, ut dormientis potius, quàm mortui hæc esse videretur.

Exequiis absolutis, & oratione funebri à R. P. Jodoco Guardiano & Definitore dictâ, positus est Valerianus Magnus in Fratrum suorum Minorum sepulchro, ubi adhuc in pace quiescit, sibi, tempori, & invidiæ superstes.

Quod totum hucusque à me fusius deductum jussu Celsissimi Principis Archiepiscopi concinnè Religiosus quidam in sequens arctavit

EPITAPHIUM.

Dubium huc gradum viator, & perplexam attolle
mentem.
Ut magnos olim propugnatores veritatis summos inter
montes
Humari constituit maximus Iehova,
Sic nutu ejusdem Numinis præcelsa Iuuauii rupe
Conditus
Istahac sub tumba, tubam magni diei exspectat
Reverendus Pater Valerianus Magnus Capucinus,
Strenuus, & constans assertor veri, tenax recti,
Amans & sequax Christi, verum Religiosi hominis
Simulachrum, Decus sui Ordinis.
Visus quidem oculis insipientium mori, ille autem in pace
Hic in manu Domini securus indormit.
Scende montem hunc viator, & ad culmen emerge,

Ubi ceu in Olympi alto vertice extra tempestatum
Turbines collectos, non dispersos contuere
Rev. Patris Valeriani cineres.
Ii tibi in primis sint argumentum, ipsum arsisse charitate
Ac demum conflagrâsse Seraphica.
In alto hujus Rupis cacumine positus, haud ultra
Expositus est malevolorum ludibriis.
Non accedet ad eum malum maledicentiæ, & flagellum
Valeriano mastigium ad ipsum non appropinquabit.
Tu verò, Viator, ne circumferâre omni vento verborum:
Quis, qualisve fuerit hic Pater Valerianus, in his
Pulveribus legito, & ex urna mortuali
Vivas colligito gloriæ illius favillas.
Ex magna Italiæ Urbe, Mediolano, & ex illustri
Comitum de Magnis Familia hic Magnus traxit originem;
Sed alta despiciens sui generis, ut major fieret
coram Domino,
Minor Capuccinus factus est, in minorenni
Quasi annorum quindecim ætate, jugum Domini
Juxta Consilium Prophetæ portare eligens
Ab adolescentia,
Quod suscepit, & ferre didicit in inclyta Praga.
Ordo iste Seraphicus brevî eum ad omnia Bohemo-
Austriacæ Provinciæ evexit munera.
Concionatoris, Magistri Novitiorum, Guardiani,
Prælectoris
Philosophiæ, ac mysticæ, & moralis Theologiæ;
Nec non Definitoratûs, ac Provincialatûs
Successivè conferens dignitates.
Roma illum denique ad supremum Generalatûs apicem
Plurium saltem calculis desideravit.
Missionarium Apostolicum ab anno 1626.
Usque ad extremum
Vitæ ejus, Germania, Polonia, Bohemia, &
Hungaria, fructuosè ipsum expertæ sunt.
Hæc quatuor Regna, quæ Patrem Valerianum in vita
Orthodoxæ Fidei valorosum, & acerrimum propugnatorem,
Invictum Hæreticorum insectatorem, & ardentissimum
Animarum zelatorem admirabunda suspexêre,
Nunc cum mærore, & luctu, ceu præficæ, funus
Ejus conducunt.
Hoc porro Domus Austriaca gloriosa sub Gregorio XV. Pontifice maximo, Viennâ Lutetiam Parisiorum destinato usa internuncio est ad componenda dissidia tunc temporis inter ipsos Augustos, & Regem Galliarum Gliscentia, felici utique successu:
Nam sæpius deinde ab iisdem etiam ad Romanos Pontifices, ac Sacri Romani Imperii Catholicos Electores, nec non ad Regem, Proceresque Poloniæ Legatus missus,
Tam arduo officio ita præclarè functus est,

Ut

Vt ab his ad Cardinalitiam dignitatem postulatus sæpius,
Ab illis autem non semel fuerit destinatus:
Sed erubuit Cardinalitia Purpura suo murice, ut opinor,
Tegere illum, quem jam nobiliori Ostro, proprio scilicet
Cruore pro Fide Catholica sparso, purpuraverat;
Rubrum enim illi galerum, sanctioris utique Cardinalitii insigne,
Imposuère Rebelles anno 1618. *in Austria*
Superiori
Hæretici, binas decumanas plagas nodoso stipiti
Capiti ejus infligendo.
In Regno nempe sequelæ Christi illud solùm verè
Coronat, quod cruciat, præterquam quod eundem
Multò antea Justitia, Prudentia, Temperantia, &
Fortitudo jam Cardinalem effecissent:
Magis enim decorum est Purpuram mereri, quàm
Accipere, tinctis vestibus de Bosra proprii
Sanguinis renitere, quàm extrinsecùs accedente fucari colore.
Zelavit, veluti alter Pater Phinees, zelum Domini,
Et reputatum est ei à malevolis ad justitiam, seu ad
Insipientiam:
Ille autem pro veritate contumeliam lucrum putavit,
Non ignorans apud hunc mundum seri beneficium,
Meti plerumque injuriam.
Hinc namque amabat pro Christo stultus, immo etiam cum
Christo seductor reputari, nulla sibi magis in laude
Complacens, quàm quod ambulantes in tenebris
Deduxisset in viam lucis, & à tenebris cavere quoslibet
Luculentissimè docuisset.
Frustra autem & fera pessima invidia moliebatur
Devorare eum, quem zelus Domûs Dei præocupans
Jam jam comederat, atque in eandem, ut verum
Justitiæ zelatorem, citiùs transtulerat.
En tibi Viator,
Valerianum Magnum, parvam etsi in epitomem minutũ,
Magnarum tamen rerum ingens compendium:
Qui magnus inter Minores, virtute, ingenio, & scientia,
Prudentia, eloquentia, rebus præclarè gestis, Theologus
Profundus, rariori huic sæculo singularis Philosophiæ
Author & auctor, seris sæculis venerandus:
De Sede Apostolica, de Domo Austriaca
Augustissima, necnon Regiæ Jagellonicæ,
Poloniæque Regno universo
Bene meritus.
Amor Principum, Reipublicæ Christianæ ornamentum,
Jubiliarius Sacerdos, sexagenarius Capucinus,
Piique sui senii
Vtique curriculo mortalibus raro lustro peracto,
Anno DoMInICæ SaLVatIonIs obIIt;
Vsque ad mortem Christo, ejusdemque in terris Vicario
Obediens; consuetis Sanctæ Ecclesiæ Sacramentis

Ritè communitus, ad ultimum fere usque halitum
Mentis Compos, inter Crucifixi Redemptoris Imaginis
Amplexus & oscula; Sæpius
Dum æger decubuerat invisente eum, & plurimùm
Condolente Celsissimo, & Reverendissimo Domino
Salisburgensium Principe, & Archiepiscopo
GVIDOBALDO
Magno Sedis Apostolicæ Legato nato,
Virtus Cælo recepta, fama in immortalem gloriam evecta est,
Frustra jam laudum ejus encomium malevoli rodere, aut
Eradere memoriam zoilosè contendunt, cujus nomen
Tabulis immortalitatis indelibiliter præclara
Ipsius merita, & opera incidère.
Is amodo in Iuuaviensis Vrbis MVNITAE propugnaculo,
Beato Felici, felicissimo pauperi Capucinorum Patrono
Inscripto, & dicato, custodientibus lectum illius
Leonibus Lodronianis,
Felici depositus est
AETERNITATI.
Huic viator canenti lætus accine illud Psalmi
30. circa finem
Abscondisti me Dñe in abscondito faciei tuæ à conturbatione
Hominum.
Protexisti me in tabernaculo tuo à contradictione linguarum.
Benedictus Dominus, quoniam mirificavit misericordiam suam
Mihi in Civitate MUNITA.
Tandem ambula Viator, sed vias rectas, sic esto Viator,
Ut certus fias comprehensor.

Succinctiore opere Defuncto Valeriano alius Religiosus, qui justus meriti illius censor, & dignus laudis Præco fuit, parentavit, illiusque memoriam celebrem reddidit, epitaphio sequente:

❁

Hîc gradum siste Viator
Vide, audi, & mirare,
Parva hæc tumba
VALERIANVM
Capit Capucinum, Sacerdotem Jubilarium
Prosapia Magnum, *sui abjectione seipso Majorem,*
Pietate, Doctrinâ, & rebus præclarè gestis
Inter Fratres Minores, suo ævo
Facilè Maximum
Hic Summis Pontificibus, dum viveret, charus
Augustis Austriacis, aliisque Principibus pretiosus,
Populis erat Venerabilis
Missionarii Apostolici munus per trigintaquinque annos
Strenuè obiens,
Legationibus sæpenumero præclarè fungens
Fidei Orthodoxæ propagationem

Re-

Regnis, ac Regibus pacem & tranquillitatem
Plebis commoda, atque utilitates
Cunctorum denique hominum salutem procurare
Unico & indefesso studio, quoad vixit, laboravit,
Multa alia dignitatum, præsertim in suo Ordine
Ob cæterorum tantùm emolumenta, patienter tulit,
Plura ob honorum horrorem vel respuit, vel excussit
Demum & Cardinalis fieri debuisset,
Nisi Justitiâ, Prudentiâ, Fortitudine, & Temperantiâ
Talis jam fuisset
Eminentia aliis honoris sit Titulus
P. Valeriano dos fuit naturæ & prærogativa
Virtutis.
Huic demum
Post tot exantlatos labores, post multos contra hostes Fidei
Devicta certamina
Post elisos Acatholicorum crebros insultus
Elusas Pseudo-Catholicorum vaferrimas technas
Tandem fatigato
DEUS
Requiem dedit ab omnibus inimicis ejus
Tu verò, Viator, ne credito
totum hac specu capi
VALERIANUM
Mortuum
Major pars ejus adhuc vivit in desiderio
Et cordibus sincerorum,
Anima Cœlum possidet
Bono odore famæ ejusdem replente Mundum.
Jam abi Viator ad tuos, & narra omnibus
Quæ audisti & vidisti
Salisburgi in Conventu Fratrum Minorum Capucinorum

Beati Mortui, qui in Domino moriuntur.

Nec defecêre de litteraria Republica Scriptores, qui venerabiles hujus Viri Umbras vario illustrârunt præconio, & nomine illius suis operibus immixto suam de eo æstimationem probârunt.

Illustrissimus & Reverendissimus D. Joannes Caramuel, Episcopus, de Valeriano in sua Theologia Fundamentali fol. 14. ita loquitur: *Reverendi Patris Valeriani Magni, Capucini, pietati & ingenio multum debet Europa; multum Ecclesia. Scripsit multa Philosophica & Theologica, quæ cum fructu leguntur: edidit contra hæreticos plurima, ut, quæ qui legerit, esse Lutheranus aut Calvinianus non possit.*

Relatis supra fol. 190. Ardinghellus loco ibi citato adjungit: *Archiepiscopale Collegium* (Pragæ) *ejusdem industriâ pro Junioribus alendis, & litterarum informatione, ac christiana pietate erectum est.*

Waddingus lib. de Script. Ord. Min. fol. mihi 328. Valerianum nuncupat: *Virum non solùm in re Monastica, verùm etiam & in Politica Christiana, Principumque rebus maximis prudenter tractandis non vulgariter versatum, & propterea Ferdinando II. & Ferdinando III. Imperatoribus, ac Vladislao Regi Poloniæ, præcipuisque Dynastis Germaniæ, Bohemiæ, & Hungariæ apprimè charum & Familiarem.*

Morerus Dict. Universal. edit. ultimæ tom. 3. fol. 117. verbo *Ernestus Landravius* vocat eum *Celebrem* Capucinum, & conversionem Landgravii Hassiæ Cassellensis ad Fidem Catholicam fructum disputationis Rhenofelsensis fuisse affirmat.

Noster P. Hierotheus Confluus in Annalibus Provinciæ suæ Rhenanæ fol. 52. acta prædictæ disputationis commemorat, & fol. 204. Rosenthalium, qui Valeriani doctrinam libro anonymo impugnavit, à duobus Capucinis egregiè vindicatum fuisse recenset.

Agunt de Eo Gravina in voce Turturis lib. 2. Joannes Paulus Crescentius in præsidio Romano lib. 3.

Phi-

Philippus Picinellus in Athenæo Mediolanensi. Svesius in Athenis Orthodoxis. Marcellinus noster de Pise in sua Encyclopœdia tom. 3. Didacus Lequile lib. de Francisco Legislatore ter Evangelico tomo posteriore fol. mihi 297. col. 1. Bibliotheca Scriptorum Ordinis nostri &c.

Ipsa dein opera à Valeriano typis data, sunt luculenta & sapientiæ, & virtutis Monumenta, notatu eò digniora, quo major est horum catalogus, qui sequitur.

Judicium de Acatholicorum Regula credendi contra illos, qui illud confutare conati sunt in sex libros distributum.

De Regula credendi in communi.

Responsiones ad Joannem Majorem.

Responsiones ad Joannem Martinium.

Responsiones ad Joannem Rostaccium.

Responsiones ad Authorem Anonymum.

Responsiones ad Conradum Bergium. Viennæ Austriæ apud Matthæum Camerovium in Aula Coloniensi anno 1641.

Judicium de Catholicorum Regula credendi ad studia universalia Biblistarum, in quo solidissimis rationibus evincitur illam veram esse Christi Ecclesiam, quæ claret regeneratis; hanc verò non esse aliam, quàm quæ communicat in Fide cum Romano Pontifice, in 8. Lib. distributum.

De naturali Regula judicandi, ut respicit Regulam Fidei.

De possibili Regula Fidei in Deum.

De actuali Regula Fidei in Deum.

Historia de Catholicorum Ecclesiastica Regula.

Apologemma Catholicum.

De articulatione Doctrinæ Christianæ, ut est confirmabilis rationibus.

De hominis perfecta regeneratione per gratiam Redemptoris.

De infallibilitate Catholicæ Regulæ credendi. Ibidem apud eundem Typographum anno 1641.

Echo vera absurditatum Joannis Amos Comens, latitantis sub ficto nomine Udalrici de Neufeld, in quo Opusculo Valerianus tam solidè confutat Hæreticum oppugnantem mutilatis plurium Doctorum Catholicorum sententiis præfatos de Regula credendi Libros, ut non fuerit ulteriùs ausus illum provocare. Ibidem 1642.

Soliloquia Valeriani. Ibidem 1643.

Organum Theologicum, seu ratio argumentandi ex humano testimonio, seu ratione. Ibidem 1643.

Acta disputationis Rheinfelsensis, super cujus disputationis doctrina Celsissimus Princeps Ernestus Hassiæ Lantgravius, unà cum Principissa Conjuge suam ex Calvinismo ad Fidem Catholicam conversionem solidavit. Ibidem 1643.

De Luce mentium, & ejus imagine: parvus quidem mole tractatus, ingens verò pondere sententiarum, & doctrinarum; disponuntur enim in gradus quadraginta, per quos ascenditur ad contemplandum oculis non caligantibus Lucem creatricem, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, in 8.

Methodus convincendi, & revocandi Hæreticos ad Fidem Catholicam, ab ipsismet Hæreticis Ratisbonensibus in Comitiis Electoralibus anno 1643. celebratis plurimùm collaudata.

Lux in tenebris lucens, quo Opusculo ex factis Catholicismi, & Acatholicismi ad oculum demonstratur, quæ sit vera Ecclesia. Tom. 1. in 8.

Opusculum contra Hermannum Coringium Hæreticum, satagentem subvertere, & concutere fundamenta Ecclesiæ, quo Valerianus examinat fundamenta concussionis, eademque in ipsum concutientem validè retorquet. Tom. 1. in 8.

Commentarius in M. Jocosum, Severum Medium cum appendice, & appendicula. Est liber sui Apologeticus ob doctrinam in Reinfelsensi disputatione adhibitam, falsò traductam, veluti hæreticam. Tom. 1. in 8.

Apologia Valeriani, qua imposturas adversariorum novissimè sibi inustas vendicat.

Opera Philosophica.

De Peripatu libri duo, in quorum primo totius ferè Aristotelis tradit synopsim: in altero verò suam profert de hac doctrina sententiam.

De syllogismo demonstrativo.

De Ente Rationis, & de ejus distinctione ab ente reali.

De propositionibus de per se notis.

Axiomata ex motu ad universam Philosophiam.

Tractatus de Ente non facto.

De Ente non facto, ut est lux mentium.

De Ente non facto se multiplicante.

Tractatus de Arte Æterna.

De Ratione communi Entibus ut factis.

Tractatus de Ente immotivo.

Tractatus de Ratione communi Entibus motivis.

Tractatus de Systemate creato.

De gradibus Entitatis.

De Possibilitate vacui.

De Incorruptibilitate aquæ.

De Vitro mirabili fracto.

De Atheismo Aristotelis, quibus omnibus opusculis demonstrantur plures antiquorum Philosophorum errores in doctrina philosophica. Impressa sunt Viennæ Austriæ anno 1643.

Extant & adhuc Manuscripta ab eo relicta, quæ & lucem exspectant publicam: videlicet *Philosophia Valeria-*

leriana, magno studio ab ipso elaborata, quæ integratur triginta novem tractatibus, inter quos enumerantur aliqui ex præfatis jam impressis, pertinentibus ad Metaphysicam, quam tradit integram, & omnibus numeris absolutam.

Acta disputationis Reinfelsensis continuata ex propria cujusque Domo cum Dominis Petro Haber, Kornio, Georgio Calixto & Joanne Crocio Prædicantibus.

Tractatus de infallibilitate, Romani Pontificis in rebus Fidei definiendis.

Epistola prolixa ad Serenissimum Electorem Palatinum de primatu Romani Pontificis.

Merita Familiæ, & Principis Maximiliani à Dietrichstein laudibus effert, & circa Spiritualem Domûs Lauretanæ Nicolspurgi administrationem, à Fratribus nostris acceptatam, cautum iri renuntiat.

A tergo: *Dilecto Filio, Nobili Viro, Maximiliano, Principi à Dietrichstein.*

URBANUS PAPA VIII.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, salutem, & Apostolicam benedictionem.

EA sunt Domûs à Dietrichstein de Ecclesia Christi præclara merita, ut Sacra Sedes longam eorum in suis fastis recenseat seriem, & ii, qui hanc ex divinæ Providentiæ consilio occupant, non possint non dispensare Apostolicos favores hæredibus ejus, in iis præsertim casibus, qui Dei, Deiparæque cultum respiciunt. Sanè in terminis novum avitæ pietatis exemplum commendant litteræ, quibus Nobilitas Tua, Domum Lauretanam ibi à Venerab. Fratre nostro, S. Rom. Ecclesiæ Cardinale Francisco, Patruo tuo, pio ære fundatam, & à Te magnifico opere re-ædificatam esse significâsti. Eapropter, dum spiritualem hujus administrationem, à Dilectis Filiis, Fratribus Ord. S. Francisci, Capucinis nuncupatis, jamjam acceptatam, Apostolicarum litterarum patrocinio firmari & muniri desideras, gratam hanc Tibi obsecundandi amplectimur occasionem, & libenti promptoque animo id statuemus, quo & votorum tuorum habeatur ratio, & prædicti Religiosi Ordinis prospiciatur quieti. Interim Tibi, decorem & ordinatam Sanctæ tuæ Domûs curam diligenti, in solidę felicitatis accessum, paternæque nostrę charitatis testimonium, Apostolicam Benedictionem impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XVI. Maij MDCXXXVII. Pontificatus Nostri Anno decimo quinto.

Julius Rospigliosus Secret.

Autogr. in Archivo Vaticano Secreto Reg. Brevium ad Princ. *mens. & ann. præd.*

NOTA.

TEnerrimæ fuêre expressionis Litteræ, quibus Princeps enuntiatam flagitavit gratiam. & sonârunt, ut sequitur,

BEATISSIME PATER.

Quem reveror, Salvatoris Christi mei Vicarium in terris humillimè appellare audeo indigna uti Creatoris creatura, indignior ita Servatoris redempta Divini amoris tessera.

Deliciarum divitiarum mihi quidquid duco esse, id esse existimo Beatissimæ Mariæ Virginis meæ Nicolspurgicæ Lauretanæ Ecclesiam, ad cujus Cælestis Dominæ pedes me toties projicio, ad cujus etiam pedes concredidi unicè dilectam Conjugem Annam Mariam Franciscam natam Principissam à Liechtenstein, & Silesiorum Oppaviæ, Carvioviæque Ducissam, jam recens defunctam & depositam, Depositum amoris mei erga Deum & erga hominem peremptorio ultimo illo judicio mihi agnoscendum. Et in mea ista Dilecta jam defuncta mihi deliciæ & divitiæ sunt, omnibus, ultimisque modis procurandi Lauretanam Nicolspurgicam, ad cujus pedes & me quandocumque moriturum projectum cupio: Sanctitatem Vestram cum deosculatione pedum idcirco longè humillimè obsecrans, mihi supremi Judicis vices gerens in terris, dignetur Ipsa Optima maxima Dei Optimi Maximi vices mihi vivo administrare, & qui cuperem prælibatam Lauretanam Ecclesiam meam funditus à me extructam optimè, spiritualissiméque æternùm posse administrari, id à Vestra Sanctitate mererer impetrare, ut quidquid Spiritualis Jurisdictionis esset, id benignissimè authoritate sua Apostolicâ in Ordinem Fratrum Minorum S. Francisci Capucinorum, & pro tempore eorundem existentem Guardianum transfunderetur, cum dictus Ordo mihi, atque meis, & hæreditariæ

riæ Nicolspurgicæ Civitati meæ, ejusque districtui & omnium maximè suo Monasterio continuè adædificatæ Lauretanæ Ecclesiæ, & Capellæ, indefessâ spirituali operâ suâ, ea præstiterit, quæ saluti animarum maximè proficua cesserunt, cum etiam meliorem modum non videam promovendi quamcumque devotionem, consolandi Peregrinos pœnitentes, & commoda Spiritualia in memorata Parthenica Ædicula administrandi, quàm prædictum Minorum Capucinorum Ordinem.

Et licèt bonæ recordationis dilectus Patruus meus Franciscus Cardinalis & Princeps à Dietrichstein in principio fundatæ Lauretanæ Capellæ fundationem fecerit, & Præpositum & duos Beneficiatos Canonicos administrationi, ipsam tunc temporis Capucinis recusantibus, præfecerit, multis tamen deinde subortis confusionibus idem Patruus meus apud prælibatos Patres Capucinos in eorundem Viennæ celebrato Provinciali Capitulo ita vehementer de suscipienda omnimoda & totali administratione, literarum copiâ mihi adhuc præsente, institit, ut ipsi Capucini necessitati fuerint in se administrationem suscipere: & hactenus habitis & possessis omnibus clavibus in spiritualibus omnibus cum ubere fructu animarum, administratione funguntur.

Eapropter cum iterata deosculatione pedum Sanctitati Vestræ humillimè insto, dignetur votum meum, ut videlicet prædictus Ordo Fratrum Minorum Capucinorum, & pro tempore eorundem existens Guardianus in administratione spirituali totali firmiter manuteneatur, Apostolicô Brevi secundare. Qui Sanctitatem Vestram Christi in Terris Vicarium revereor.

Nicolspurgi 6. Martii Anno 1637.

Filius Maximilianus Princeps à Dietrichstein & Nicolspurg.

Fundationem Capellæ ab Eminentissimo Cardinale de Dietrichstein factam exhibet instrumentum, erectum sub tenore sequenti:

Nos Franciscus, miseratione Divina S. R. E. Tit. S. Mariæ Trans-Tyberim Presbyter Cardinalis & Princeps à Dietrichstein, Episcopus Olomucensis, Princeps, Regiæ Capellæ Boëmiæ Comes, Sac. Cæsareæ Majestatis intimus Consiliarius, Ejusdemque Regnorum ac ditionum hæreditariorum Protector.

Notum, testatumque facimus tenore præsentium omnibus, & singulis, quorum interest, vel in futurum interesse poterit. Quod erectâ fundatione Domûs Lauretanæ hîc in Civitate Nostra hæreditaria Nicolspurgensi, ipsaque Domo jam in opus perfectum, tesseræ & monimenti loco debiti erga Gloriosissimam Virginem obsequii nostri, gratique animi deductâ, suisque Ecclesiasticis ornamentis bene instructâ, illud Nobis semper curæ cordique fuit, ut exemplo Regii Prophetæ, decorem Domûs Dei, & locum habitationis gloriæ ipsius diligentis, decorem & mundum Beatissimæ Virginis Domûs quæreremus. Cum enim Ipsam Sponsus cælestis totam formosam, pulchram & decoram, tanquam lunam, electam ut solem, in qua nulla ruga, nulla macula sit, tantoperè deprædicet, nullum ipsi gratius officii genus præstituros nos existimavimus, quàm si locum illum & Domum, quam ipsi semel dedicavimus, & quàm ipsa inhabitat, semper mundam, puram, immaculatam, & ab omnibus sordibus liberam conservaremus. Qua de causa, cum Patres Capucini dictæ Domui Lauretanæ Monasterium suum proximè adjacens habeant, perspectâ ipsorum, quam in conservandis purè, decenter & mundè apparamentis Ecclesiasticis, Altaribus, ipsàque Ecclesia adhibent, curâ & diligentiâ, seriò apud ipsos institimus; quô amore castissimæ Virginis id nobis concederent, atque unum è Monasterio & Religione sua, qui dictæ Domûs Lauretanæ decorem, puritatem, & decentiam, pro voto & desiderio nostro impigrè procuraret, Clericum Sacristam designarent. Quâ re ab illis obtentâ, hisce nostris literis nunc & in futurum declaramus, statuimus, & irrefragabiliter ordinamus, ut dictus Capucinus sacristiæ sæculari, quantùm ad ea, quæ ornatum & munditiam concernunt, præsit, atque, ut omnium rerum, ornamentorumque Ecclesiasticorum ad ipsam Capellam spectantium, necnon Altarium & totius Domûs Lauretanæ mundissima cura habeatur, beneque omnia conserventur, diligenter procuret: Missis unà cum Adjutore suo sæculari Sacrista, quando & quoties opus fuerit, inserviat, vel de aliis Ministris ambo solliciti sint, in adornandis Altaribus, ut omnia quàm mundissima habeantur, summam diligentiam adhibeat, atque ad ea, quæ à sæculari Sacrista fiunt, ne aliqua negligentia, vel error, & defectus committatur, diligenter attendat, & commissorem eundem moneat; si autem admonitio locum non habeat, Guardianum suum informet, quod ipse ad Præpositum, quatenus is hujusmodi defectum maturè corrigat, deferet; Idem ipse Præpositus, si Capucinus Sacrista in aliqua re monendus fuerit, facturus. Volumus, ut is suo Guardiano tantùm, sicut & sæcularis secundùm fundationem suis Superioribus subsit. Quod autem campanas, munditiam externam, offertoria & alia omnia, quæ curæ sæcularis sacristæ antea incumbebant, attinet, ea omnia sæcularis sacrista, etiam imposterum, pari diligentiâ & promptitudine curabit, & ex illis, quæ ad se recipiet, vel pro occurrentibus & quotidianis Capellæ levioribus necessitatibus, Præposito, & Beneficiatis rationes dabit. Verùm nihil, quod Sacrista Capucinus non approbaverit, facere præsumet; & quia dicti Patres Capucini audiendis diu noctuque peregrinorum Confessionibus inauditum impendunt laborem, hostias pro necessitate Communicantium provident, corporalia lavant, aliaque pia efficia Domui Lauretanæ præstant, dignum & justum esse judicavimus, ut horum laborum suorum aliquam recompensationem & consolationem experiantur. Quare decernimus, ut ex ærario Domûs Lauretanæ, Templo ipsorum cera vel Candelæ à Præposito & Beneficiatis eleemosynæ locò tribuantur, omnem ea in parte scrupulum à Conscientiis dicti Præpositi & Beneficiatorum Domûs Lauretanæ removentes, eosque circa hoc factum tantùm liberos pronunciantes. Vinum verò, quod pro Missis legendis & ablutione Communicantibus datur, cum dicta Capella suum non habeat, tenebuntur hæredes nostri Principes Nicolspurgenses, ad quod ipsos hisce obligamus (nisi Nos, vel ipsi, aliter sufficienter in hoc, tum domui Lauretanæ, tum Ecclesiæ Capucinorum provide-

vide-

viderint) ex cellario Arcis vinum subministrare. In quorum fidem constitutionem hanc, declarationem & obligationem nostram propriâ manu subscripsimus, ejusdem exemplar, unum Capitulo Nicolspurgensi, alterum Monasterio Capucinorum dari fecimus. Datum in Arce nostra hæreditaria Nicolspurgensi die 5. Septembris 1629.

Franciscus Cardinalis à Dietrichstein.

L. S.

Joannes Methudius.

Vigore hujus Instrumenti non nisi unicus Pater pro cura Sacristiæ &c designari debuit, totam autem postmodum administrationem à Nostratibus suscipi, requisivit idem Emin. D. Cardinalis Fundator, uti patet ex articulo sequentis epistolæ.

Admodum Reverendi in Christo Patres.

Benedicimus læti misericordiarum Patrem, gratiasque pariter Paternitatibus Vestris immensas agimus, quod hactenus tam bonos Ministros & sedulos Operarios Conventibus Diœcesis nostræ, præcipuè autem Nicolspurgensi subministraverint, per quos & Religionis Franciscanæ splendor, & Christifidelium zelus assurrexit, Nobisque plurimum Nominis & dignitatis accrevit: ac proinde, quemadmodum hucusque non destiterunt famam ejus eximiis ac præclaris Viris sustentare, ita etiam hoc tempore ejusmodi Personas submissuras Paternitates Vestras confidimus, quæ pietate, doctrinaque, & Religioni ornamento, & Nobis laudi, honorique sint futuræ. Inter quas, cum in hoc Capitulo, & Conventu unus Pater Franciscus de Roveredo sit, meminerintque probè Paternitates Vestræ, quam de eo spem in ordine ad Guardianatum hoc anno ei conferendum, Nobis in ultima Congregatione fecerint, tum supervacaneum omnino existimamus, hac de re eas amplius interpellare, quas & suis promissis & nostris desideriis satisfacturas indubitanter & certò Nobis pollicemur.

Cæterùm autem Paternitates Vestras rogamus, ut, siquidem mutatio aliqua circa Familiam erit, de talibus Confessariis & in tanta quantitate Conventus providere velint, qui & præstantia & diligentia sua populo undequaque huc turmatim confluenti sufficere queant; & quoniam etiam Cathedra ob continuum populi concursum & frequentem multorum Principum adventum celeberrima est, Paternitatum Vestrarum officii erit, talem hîc præ aliis locis Concionatorem substituere, per quem & Religionis hoc in munere aliis præcellentis honor conservetur, & Nos contenti reddamur.

Interim verò ejusmodi personas expectantes, præstolabimur etiam ultimam Paternitatum Vestrarum, an Domûs Lauretanæ administrationem totalem suscipere velint, resolutionem. Sunt enim, qui non solùm instanter petunt, sed ei quasi prædæ inhiant. Cum autem cum Patribus Capucinis hactenus optimè contenti simus, nec cupiamus etiam alios præter eos, & Patres Scholarum Piarum in Civitate nostra admittere, gratissimum nobis foret, si ejus administrationem, ne exteros ad ejus curam vocare compellamur, acceptare vellent.

Hæc & alia particularia Paternitates Vestræ à prælibato P. Francisco, qui de propensa in eas nostra & constanti in Religionem Vestram voluntate referet, accuratiùs intelligent; cui in omnibus, quæ Nomine nostro iis expositurus est, exceptis, quæ personam ejus tangunt, & his adjunximus, fidem indubiam adhibebunt,

Patrem Ambrosium apud nos commorari optamus & petimus (Fratris enim loco & habemus & amamus) qui licèt, ex indulto speciali & gratia Ordinis Superiorum manere possit, gratissimum tamen Nobis erit, si etiam Paternitatum Vestrarum applausus accedat. Per hæc omnia nascetur Nobis nova obligatio Paternitatibus Vestris aliis in rebus & toti Religioni serviendi, pro qua amplificanda & exornanda, uti libenter Nostra offerimus, ita ferventer Nos ejus suffragiis conjunctim, & Paternitatum Vestrarum SacroSanctis Missæ Sacrificiis divisim commendamus.

Paternitatum Vestrarum

Nicolspurgi 4. Maji 1635.

Addictissimus amicus & Frater
Franciscus Cardinalis à Dietrichstein.

Quo gaudio Patres Provinciæ administrationem integram in se susceperint; innuit datum ab iis responsum, formatum, ut sequitur.

Eminentissime Cardinalis, Celsissime Princeps, nostri Ordinis Clementissime Pater, & Fundator.

Obtinuimus sexto hujus suæ Eminen. Celsitudinis clementissimam Epistolam, propter quam benediximus Dominum cœli & terræ; quia dignata est Sua Eminentissima Celsitudo nostra pauca in Laureto Nicolspurgensi exhibita beneficia tanti facere, quod integram illius administrationem Nobis offerre dignata sit. Quam gratiam, licet indigni, ambabus manibus, & cordis jubilo veneramur, & acceptamus, quantum nempe Sacra Regula, & nostræ Constitutiones generales admittunt, exclusis nempe fundationibus, Bene-

neficiis, & temporalium administratione, quoad Spiritualem administrationem oppellam nostram promittimus & offerimus, utpote ex asse Beatissimæ Virgini devoti Clientes, &c.

Viennæ intra Urbem die 9. Maji 1635.

Vestræ Eminentissimæ Celsitudinis
Patris & Fundatoris Clementissimi.

Devotissimi ac promptissimi Filii
Fr. Alexius Burgundus, Provincialis.
Fr. Ludovicus Rosenheimensis, Definitor.
Fr. Benedictus Forckenheimensis, Definitor.
Fr. Sylvanus de Monteforte, Definitor.
Fr. Hieronymus Brixinensis, Definitor.

Instante Philippo Christophoro, Archiepiscopo & Electore Trevirense, Fr. Antonio Mariæ de Reitta cum Socio quædam privilegia concedit.

A tergo: *Venerabili Fratri, Philippo Christophoro, Archiepiscopo Trevirensi, S.R.I. Principi Electori.*

URBANUS PAPA VIII.

Venerabilis Frater salutem & Apostolicam Benedictionem.

EA, quæ possumus Fraternitati tuæ Pontificiæ charitatis documenta dare, libenter exhibemus, & illorum, quæ à Nobis flagitas, quemadmodum par est, rationem habemus. Propterea cum rebus tuis ad optatum exitum perducendis, Religiosi Viri, Antonii Mariæ de Reitta, ex Ordine Capucinorum S. Francisci, Confessarii tui, operam non parum conducere posse exposueris, petitionibus tuis annuentes, libenter concedimus, ut tam ille, quàm ejus Socius, ad ea, quæ indicâsti, negotia pertractanda, ubi longiùs digrediendum illis fuerit, equis vehi possint, &, cum vera necessitas exigere videbitur, aliquem adducant, à quo pecuniam tuo nomine erogante illis necessaria suppeditentur. Cœtera nequaquam permittenda duximus, tanquam regulari disciplinæ nimis adversantia. Quod Tibi quoque pro consueta tua pietate maxime probatum iri sperantes, Fraternitati tuæ ab altissimo fausta cuncta precamur, & Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die xxx. Januarii MDCXXXVIII. Pontificatus Nostri Anno decimoquinto.

Julius Rospigliosius Secret.

Autog. in Secret. Brev. ad Princ. *Reg. mens. & anni præd. fol.* 52.

NOTA.

FR. Antonium Mariam, Virum virtute & doctrina insignem fuisse probant & officia, quæ gessit apud Serenissimum Electorem Trevirensem, & encomia, quibus eum commendant varii Scriptores, inter quos Caramuel in secunda parte suæ Matremeticæ Apollinis Circularis Musa secunda Cœlesti num. 348. pag. 7. post articulum, quo in Ordine nostro Scientias omnes florere, & Viros doctos semper viguisse, asserit, de eo ita loquitur: *Et Pater Antonius Maria de Reitha mihi etiam nunc in cælo (ut spero) amicissimus, ingenio magno polluit, in omnibus Scientiis emicuit, ut ejus libri in lucem emissi testantur.* Hos enarrat Bibliotheca nostra Scriptorum Ordinis sequentes:

Opus intitulatum: *Oculus Enoch & Eliæ, sive radius Sydereomysticus, Planetarum varios motus solo excentrico tradens, nova & jucunda continens, ejusque perfecta visibilia magnalia prædicans*, cujus Tomus secundus agit de mystica Astronomia cum titulo:

Theoastronomia, quâ consideratione visibilium, & cœlestium per novos & jucundos conceptus prædicabiles ab Astris desumptos Mens humana in invisibilia Dei introducitur. Impress. Antuerpiæ apud Hieronymum Verdusium anno 1645.

Nova parodotica, seu mira & jucunda expensio Visionis Ezechielis Prophetæ Systigmatico mundo vago applicata.

Et *Fasciculus Indulgentiarum* à Paulo V. Regularibus concessarum, & ab Urbano VIII. confirmatarum. Impress. ibidem anno 1646.

Reliquit & in Scriptis *Commentaria in sacram Genesim*, & *Expositionem in Apocalypsin*, quæ, morte Ravennæ præventus, publici juris facere non potuit.

Eun-

Eundem Fr. Antonium Mariam, ejusdem Philippi Christophori Archiepiscopi Trevirensis nomine, Sacra Limina invisentem, & de commissis negotiis disserentem, à se benignè auditum esse, eidem Archiepiscopo significat.

A tergo: *Venerabili Fratri, Philippo Christophoro, Archiepiscopo Trevirensi, S. R. I. Principi Electori.*

URBANUS PAPA VIII.

Venerabilis Frater Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Dilectum Filium, Religiosum Antonium Mariam Capucinum, Fraternitatis tuæ Confessarium, quem ad sacra Apostolorum limina tuo nomine invisenda Romam ablegasti, libenter admisimus, eumque ob proprias quidem virtutes, quibus magnopere commendatur, tum præsertim tuâ causâ humaniter excepimus, & commissa negotia disserentem attentè audivimus. Sanè, quemadmodum omnia vehementer optamus, quæ ad tuam dignitatem & Ecclesiarum tuarum commodum conferre valent, ita officia adhibere non prætermittimus, quæ rebus tuis opportuna arbitramur. Hæc autem ex eodem Sacerdote uberiùs cognosces, qui, cum nostræ erga Te charitatis affectum abundè perspexerit, ejus locuples testis esse poterit. Fraternitati tuæ à bonorum omnium largitore felicitatem precamur, & Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XX. Octobr. MDCXL. Pontificatus Nostri Anno decimo octavo.

Julius Rospigliosius Secret.

Autogr. in Secret. Brev. ad Principes *Reg. Mens. & anni præd. fol.* 245.

Reliquias seu partes de corpore S. Auratiani in Ecclesia Domûs loci Budvicii collocati, exinde extrahi vetat.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Cum, sicut accepimus, dilectus Filius, Ludovicus de Rosenhaim, Ordinis S. Francisci Capucinorum nuncupatorum, Provincialis Provinciæ Bohemiæ, ejusdem Ordinis, sacrum, ut piè creditur, Sancti Auratiani Martyris corpus, de nostra licentia sibi donari obtinuerit, illudque in Ecclesia Domûs Fratrum Ordinis prædicti loci de Budveis Pragen. Diæcesis, collocare intendat, vereatur autem, ne forsan successu temporis sacrum Corpus prædictum imminui contingat; Nos illius conservationi, quantùm cum Domino possumus, benignè consulere volentes, supplicationibus dicti Ludovici Provincialis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ne de cætero quisquam, quavis auctoritate fungens, aliquam sacri Corporis hujusmodi partem, quovis prætextu, aut quæsito colore, causa, ratione, aut occasione extrahere, aut asportare, sive, ut extrahatur, aut transportetur, permittere audeat seu præsumat, sub excomunicationis poena per contrafacientes incurrenda, Apostolica auctoritate, tenore præsentium, interdicimus & prohibemus: Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod præsentis prohibitionis copia in valvis dictæ Ecclesiæ, aut aliquo alio perspicuo loco, quo ab omnibus cerni possit, continuò affixa remaneat.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 11. Octobris MDCXLIII. Pontificatus nostri Anno vigesimo primo.

M. A. Maraldus.

Autogr. in Arch. Secret. Brev. Apost. Reg. mens. & anni præd. fol. 138.

Joannem Balthasarem, Episcopum Nicopolitanum, & Suffraganeum &c. in proposito Fratres nostros Neostadii stabiliendi firmat, & in eo ope Poloniæ, & Sveciæ Principis, ac Episcopi Wratislaviensis illum suffulciendum esse renuntiat.

A tergo: *Venerabili Fratri, Joanni Balthasari, Episcopo Nicopolitano, Administratori Wratislaviæ.*

INNOCENTIUS PAPA X.

Venerabilis Frater salutem & Apostolicam Benedictionem.

PONtificiâ commendatione carere non debent consilia pietatis, quibus Catholicæ Religionis commodis prospicitur, & Vinea Domini tum novis Tabernaculis decorata, tum solertibus Operariis munita, latiùs propagatur. Hunc ad scopum magnopere Te eniti, ingenti nostra voluptate in litteris tuis legimus, quibus tua circa Religiosos Sacerdotes, Fratres Ordinis S. Francisci, Capucinos nuncupatos, in vastum Silesiæ Ducatum inducendos, & in Civitate Neostadiensi stabiliendos studia Nobis significâsti. Rem moliris, quæ ingenitam tuam pietatem, & Catholicæ rei zelum non leviter commendat, & non potest non esse grata Deo, & Nobis chara: hinc & confidimus, quod à cœpto consilio Te movere non possint, nec, quæ operi connexa sunt, gravamina, nec vafra illorum molimina, qui gloriam Ecclesiæ evacuare & decorem Domuum ejus obfuscare nunquam non contendunt. Firmabit Te alacriter progredientem ope suâ Venerabilis Fratrer noster, Carolus Ferdinandus, Episcopus Wratislaviensis, à Nobis requisitus, & merces magna nimis, quam bonorum operum Retributor Deus Tibi in Cœlo reservat, alia quoque pro illius cultu agendi Tibi adiiciet stimulos, dum Nos in nostræ benevolentiæ pignus Apostolicam Benedictionem impartimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, Die XVIII. Maii MDCLIII. Pontificatus nostri Anno nono.

Aut. in Archivo Vaticano secreto Regesto Brevium ad Principes *Mens.*, *& Anni præd.*

N O T A.

ADministravit anno 1653. Episcopatum Wratislaviensem illius Suffraganeus, Reverendissimus Dominus Joannes Balthasar Liesch de Hornau, Episcopus Nicopolitanus, Cathedralis, & Collegiatæ ad S. Crucem Wratislaviæ Ecclesiarum Præpositus, Vir pietate, morum integritate, sapientiâ, & eruditione, ac præcipuò zelo salutis animarum clarissimus; Moderabatur pariter illo tempore, tanquam Capitaneus, Ducatum Silesiæ, Oppoliensem, & Ratiboriensem Illustrissimus Dominus D. Georgius Maximilianus Comes de Hoditz; præeratque Ducatui Glogoviensi Capitaneatûs tenens dignitatem, Excellentissimus D. D. Joannes Franciscus Liber Baro de Fernemond, omnes vitæ sine querela, & incontaminatæ Viri, ac ferventissimi Catholicæ Religionis Promotores, speciales quoque Ordinis Capucinorum amatores, & fautores: hi juxta Decreti Cæsarei institutionem congredientes, in unum, quomodo desolatæ, hæresibus undequaque repletæ possent subvenire Silesiæ, consultant, & inquirunt, & quia jam omnium illorum in Capucinorum Religionem directa erant vota, ideo modum prædictos Capucinos in Silesiam inducendi sollicitè explorant: convenientissimum tandem post longam & maturam deliberationem hoc concludunt medium, ut pro primo Capucinorum introitu iisdem cedat Civitas Neostadiensis, in cujus Suburbio sita erat Ecclesia, hortô & cœmeterio circumdata, cujus loci situationem, occasionem, & commoditatem maximè opportunam pro habitatione Capucinorum ultimâ conceperunt conclusione; ne autem inani in longius tempus, hoc pro Gloria Dei maximè conducens opus retardaretur dilatione, animorum suorum unanimem resolutionem necessariò ad Serenissimum, & Reverendissimum Carolum Ferdinandum, Principem Poloniæ, & Sveciæ, Episcopum Wratislaviensem, & Plocensem, Ducem Oppoliensem, & Ratiboriensem deferendam esse duxerunt, qui zelo tantorum Virorum, & pio desiderio mirificè recreatus, edictum mox publicari mandavit, in quo intimandum decrevit omnibus, qui aliquod jus, vel haberent, vel habere se putarent ad dictam Neostadii in suburbio Ecclesiam, intra terminum 30. dierum coram Curia Episcopali comparerent, ut decerni, & decidi valeret, an Patres Capucini Neostadium introduci, & Ecclesiam supradictam sine ulla interessationum injuria & læsione occupare valerent. Decreti autem Episcopalis ad Valvas Ecclesiæ Neostadiensis appensi tenor erat hic:

Caro-

Carolus Ferdinandus, Dei Gratiâ Princeps Poloniæ, & Sveciæ, Episcopus Wratislaviensis, & Plocensis, Dux Oppoliensis, & Ratiboriensis.

Venerabilibus & honorandis Viris, Ecclesiarum quarumvis Parochialium Præpositis, Parochis Commendariis, Vicariis, cæterisque quibusvis Presbyteris Diœcesis nostræ Wratislaviensis tenore præsentium requirendis salutem in Domino.

Noveritis expositum Nobis esse, nomine & pro parte Reverendissimi Domini Joannis Balthasaris Liesch Episcopi Nicopolitani, suffraganei Nostri, Præpositi utriusque Ecclesiæ tam Cathedralis, quàm Collegiatæ S. Crucis Wratislaviensis, & Generosi Domini Comitis ab Hoditz, quod ipsi zelo devotionis accensi, & propagandæ Religionis Catholicæ ardore ducti, eò animos suos unanimi consensu adjecerunt, quod Reverendos Patres Capucinos Ordinis S. Francisci in Ducatus Oppoliensem & Ratiboriensem, potissimè autem in Civitatem nostram Ducalem Neostadiensem introducere intendant. Ac propterea humiliter Nobis supplicatum fuit, quatenus eosdem Fratres Capucinos ad prædictum locum Authoritate Nostra ordinaria inducere dignaremur. Nos verò formam juris hac in parte secuti, ne alicui in jure suo præjudicium inferre videamur, litteras in vim Cridæ Generalis Citatorias extradendas esse duximus, & extradimus per præsentes. Quocirca Vobis Executoribus supracitatis in virtute S. Obedientiæ, & sub Excommunicationis pœna mandamus, quatenus ad instantiam eorundem Reverendissimi Domini Suffraganei Nostri Wratislaviensis, & Generosi Domini Comitis ab Hoditz Capitanei Provinciæ Ducatus Oppoliensis personaliter accedentes, si commodè poteritis, aliàs per edictum publicum & affixionem præsentium ad Valvas Ecclesiæ Parochialis Neostadiensis aliquo die Dominico, seu festo ad populum celebri ex Ambona publicè proponentes, alta, clara, atque intelligibili voce, omnes, & singulos, vel communiter, vel divisim, jus & interesse aliquod ad infrascripta se habere putantes, aut quomodolibet prætendentes, ipsos, & quemlibet eorum, Vno Edicto pro tribus, vel peremptoriè citetis, quos etiam Nos citamus, ut coram Nobis & judice Nostro Ordinario Nissæ, vel, ubi tunc cum Curia Nostra in Domino constituti fuerimus, trigesima die ab executione præsentium proxima, si tunc fuerit juridica, aliàs prima ex tunc proximè & immediatè sequenti die, executione tamen exclusa, hora Audientiæ causarum fieri solita, legitimè, personaliter, peremptorieque compareant, ad videndum & audiendum prædictos Religiosos PP. Capucinos Ordinis S. Francisci in Civitatem Neostadiensem, ad certum locum ibidem ipsis destinatum introduci, & alia circa talem Ecclesiam fieri solita admitti, ac alia de jure necessaria eo in negotio peti fieri, statui, & decerni, vel ad dicendum & allegandum causas justas, legitimas, & rationabiles, atque juridicas, quare præmissa fieri non debeant. Certificantes eosdem sic citatos, quod si sive in prædicto citationis nostræ termino comparuerint, sive non, Nos tamen nihilominus ad ea ea omnia præmissa, & alia, quæ juris & justitiæ erunt, dante Domino Deo procedemus; contumacia seu absentia illorum minimè obstante.

In quorum fidem &c. Datum Nissæ die 2. Junii An. 1653.

Carolus Ferdinandus.

Matthæus Impodoreck J. V. D. Cancell. & Notar.

Non modicam Decreti hujus evulgatio in Lutheranorum Conventu, & animis causavit consternationem excitavit pertinaciam, animavit protorviam: elapso siquidem 30. dierum termino, dum tam ex parte Catholicorum, quàm Lutheranorum in Judicio Curiæ Episcopalis, Viri Consulares Civitatis Neostadiensis comparuissent, Catholicis Senatoribus in extraditionem hujus Ecclesiæ, ac in susceptionem Capucinorum consentientibus, mordaciter simul, & contumaciter resistebant Lutherani dogmatis Sectatores Civitatis Neostadiensis Viri Consulares, jus suum in hoc fundantes, quod ad illos jus præsentandi pertineret ad Ecclesiam Neostadiensem, cujus cùm Ecclesia in Suburbio esset filia, eodem jure ad illam, ac ad Matrem, præsentandi se gaudere rati. Longò in hoc judicio verborum certamine dissecabantur Partes dissidentes, & pro & contra diversa adferebantur argumenta, cujus tamen litigii & controversiæ finem imposuit definitiva ipsius Serenissimi, & Reverendissimi Principis Poloniæ, & Sveciæ, Episcopi Wratislaviensis sententia, quæ lata est die 18. Julii anno currente 1653. his verbis.

Audientia Causarum publica observata fuit die Veneris Nissæ 18. Mense Julii Annô 1653.

Coram Serenissimo Principe, ac Reverendissimo Domino Carolo Ferdinando, Dei Gratia Principe Poloniæ, & Sveciæ, Episcopo Wratislaviensi, & Plocensi, Duce Oppoliensi & Ratiboriensi uti judice ordinario ad jura reddenda, causasque audiendas, ac decidendas, pro Tribunali sedente, comparuit in judicio sedente instigator causarum Curiæ præsentis, & tanquam legitimus Mandatarius Reverendissimi Domini Joannis Balthasaris Liesch ab Hornau, Episcopi Nicopolitani, Suffraganei, & ambarum Ecclesiarum Cathedralis S. Joannis & Collegiatæ S. Crucis Wratislaviæ Præpositi, ac Illustrissimi Domini Georgii Maximiliani Comitis ab Hoditz, Capitanei Provincialis Ducatuum Oppoliensis & Ratiboriensis, & juxta exigentiam termini hodierni, ex vi literarum citationis in vim Cridæ Generalis in præsenti Curia emanatæ, & legitima, uti à tergo illarum apparuit, executione provenientis, & in diem hodiernam incidentis, reproductis iisdem citationis seu cridæ Generalis litteris, accusavit contumaciam omnium & singulorum ex adverso, se jus aliquod ad negotium infrascriptum habere putantium, aut quoquo

modo

modo prætendentium, citatorum, & non comparentium, quos petiit contumaces reputari, & in eorum contumaciam locum, in Civitate Neostadiensi, pro Religiosis PP. Capucinis, Ordinis S. Francisci, eorumque perpetua fundatione designatum erigi, ipsosque cum suis juribus, Privilegiis, & prærogativis sui Ordinis ad eundem locum introduci, & in eo perpetuam stabilitatem, atque pacificam possessionem concedi, ac alia, circa talia de jure vel consuetudine laudabili fieri solita demandari, literasque erectionis & introductionis hujusmodi & alia desuper necessaria ac opportuna in forma juris solita extradi decerni, omni &c. salvo &c.

Ex adverso præsentibus famatis Georgio Gtün, & Jeremia Schubert Senatoribus, suis ac totius Communitatis partis Catholicorum nominibus comparentibus & salvis juribus suis non solùm, quoad jus Patronatus & præsentandi ad Ecclesiam Parochialem ibidem existentem, sed etiam omnibus & singulis Privilegiis Civitatis Neostadiensis & omnium Tribuum reservatis, benevolè in fundationem, & introductionem PP. Capucinorum petitam consentientibus, Famatis verò Daniele Alberto Schoppe, & Joanne Hesigio suis similiter, ac totius Communitatis partis Lutheranæ nominibus comparentibus, & ante omnia docto de mandato suæ Procuræ in vim impugnandi supradictam fundationem, ac introductionem petitam Religiosorum Patrum Capucinorum ad locum pro ipsis destinatum, nimirum ad Capellam filialem Matricis Parochialis Ecclesiæ ibidem existentis, ejusmodi fundationem in loco prædicto subsistere non posse, nec debere dicentibus, ex eo, quod prædicta Communitas ad præfatam Capellam filialem habeat jus Patronatûs, & præsentandi idoneum Presbyterum per privilegium à Serenissima olim Isabella, Regina Hungariæ. Ducissa Oppolii & Ratiborii, de data Leopoldi Ruthenorum ipso die Divi Apostoli Jacobi de Anno Domini 1556. sibi concessum, uti in folio tenoris &c. fuit productum, quod aliàs per introductionem & fundationem ejusmodi facilè deperiret, tum quòd Urbarium atque hæreditariæ literæ à Sacra quondam Cæsarea Majestate, uti Rege Boemiæ, & Supremo Duce Oppolii & Ratiborii aliter disponant: quibus sic stantibus & obstantibus debita cum instautia se circa jura & Privilegia producta plenè & integrè conservari petentibus omni &c.

Ex eo tunc Serenissimus Princeps, ac Judex Ordinarius sedens, ex auditis, & bene intellectis partium controversiis, allegationibus, oppositionibus, impugnationibus, ac defensionibus hinc inde factis, visis quoque & diligenter lectis, productis juribus, iisque maturè discussis & consideratis, ac eo vel maximè attento, quod nec in producto olim Serenissimæ Isabellæ Reginæ Hungariæ privilegio, nec in Urbario, aut etiam in litteris hæreditariis allegatis, ullius filialis Ecclesiæ, præterquam Parochiæ, fiat mentio, & subsequenter nulla inde ejusdem Capellæ cum Parochiali Ecclesia eliciatur, vel elici possit unio vel incorporatio, sive etiam separata illius Dotatio: Tum quoque eo considerato, quod pars adversa præter allegata jura, nullas alias justas, legitimas, juridicas & rationabiles ad effectum impugnandæ & impediendæ prædictorum Patrum Capucinorum fundationis adferat causas: Ideo ex his & aliis rationibus in jure resultantibus pium zelum & salutarem intentionem Dominorum Fundatorum hac in parte promovendo, ut tantò magis Cultus Divinus augeatur, & salus animarum crescat, consensum & petitionem partis Catholicorum Fidei Romanæ admisit, & approbavit. Oppositionem verò Communitatis partis Lunheranorum tanquam frivolam, & frustraneam, nullique fundamento innitentem rejiciendam esse duxit, & rejecit, ac ea non obstante, cæterisque in contrarium quibusvis, prædictos Religiosos PP. Capucinos Ordinis S. Francisci perpetuò fundandos, & ad prædictam Capellam pro ipsis designatam, tanquam locum commodum, cum debitis & solitis Solemnitatibus introducendos & in possessionem immittendos, eosque manutenendos & conservandos, cum eorum Successoribus, Christi Nomine invocato, decrevit, uti quidem salvis & integris juribus, & omnibus privilegiis Civitatis Neostadiensis, omniumque Tribuum, sicuti & Partis adversæ in omnibus & per omnia reservatis decrevit, literasque erectionis & fundationis hujusmodi in forma juris solita extradendas esse mandavit, hac sua sententia ad præmissa mediante, quam quidem sententiam Pars adversa acceptavit, ac sese submisit, nee aliquam prætensionem, nec ulla appellationis fatalia sibi reservando.

Præsentibus tunc Perillustribus, & Admodum Reverendis Dominis Gotthardo Francisco Schaffgotsch, Cantore Wratislaviensi, Joanne Francisco Wilczek, Cancellario Wratislaviensi, Archi-Diacono Oppoliensi, Decano Ratiboriensi, & Adamo Heltzelio Canonico & Parocho Nissensi, aliisque quàm plurimis Testibus circa præmissa &c.

Ex actis causarum Curiæ suæ Serenitatis, Episcopatus Wratislaviensis, sub Sigillo ejusdem in fidem præmissorum extractum.

Anno sequenti 1654. ad capiendum pro primo Conventu Silesiæ in Civitate Neostadiensi locum Capucinos introduci jussit Serenissimus Princeps, Carolus Ferdinandus, simul Dominus temporalis, & Episcopus illius Civitatis, diplomate sequenti:

Carolus Ferdinandus, Dei Gratiâ Princeps Poloniæ, & Sveciæ, Episcopus Wratislaviensis, & Plocensis, Dux Oppoliensis & Ratiboriensis.

Adm. Reverendis Wenceslao Simoni Lachnit Decano, & Commissario nostro in spiritualibus Nissensi, Canonico Wratislaviensi, & Adamo Hieronymo Höltzelio, Ecclesiæ Cathedralis Wratislaviensis, & Collegiatæ Nissensis Canonico, Nobis in Christo dilectis, Salutem in Domino.

Noveritis, quia Nos pro parte, & ad instantiam tam Rmi D. Joannis Balthasaris Liesch de Hornau, Suffraganei nostri, & ambarum Ecclesiarum Cathedralis S. Joannis, & Collegiatæ S. Crucis Præpositi Wratislaviensis, quàm etiam Generosi D. Georgii Maximiliani Comitis de Hoditz, Capitanei nostri Provincialis Ducatuum Oppoliensis, & Ratiboriensis, servatis de jure servandis, & præmissis præmittendis, Religiosis PP. Capucinis Ordinis S. Francisci Strictioris Observantiæ certum locum, nimirum Capellam ad Civitatem Neostadiensem cum perpetua eorum fundatione in Diœcesi nostra Wratislaviensi assignavimus, ipsosque cum suis juribus, privilegiis, immuni-

tatibus, & prærogativis sui Ordinis ad eundem locum introducendos decrevimus, latiùs de his Decreto nostro sub die Veneris 18. Mensis Julii Anno 1653. sub Residentiam nostram Nissæ lato obloquente.

Quare hoc idem Decretum nostrum debitum ad effectum deducere volentes, id negotii Vobis, quorum matu, rum judicium, singularem Fidem & prudentiam, ac in rebus gerendis dexteritatem perspectam habemus, auctoritate nostra Ordinaria committendum esse duximus, uti quidem tenore præsentium committimus; quatenus captato aliquo opportuno tempore prædictos Religiosos PP. Capucinos de licentia suorum Superiorum cum omnibus juribus, ac privilegiis Sacri Seraphici Ordinis ad locum prædictum Neostadii in Diœcesi nostra Wratislaviensi pro perpetua fundatione ipsis designatum, cum debitis, ac solitis solemnitatibus, & cæremoniis juxta præscriptum Ritualis Romani introducatis, & in possessionem immittatis, ipsosque manuteneatis, & in possessione perpetua conservandos declaretis, litterasque hujusmodi introductionis vestræ sub titulis, ac Sigillis vestris, pro perpetua rei memoria eisdem extradi faciatis, ac alia circa præmissa quomodolibet necessaria debitè peragi curetis, tenore præsentium, & auctoritate nostra ordinaria ad præmissa mediante. In quorum fidem præsentes manu nostra subscriptas, Sigillo nostro communiri jussimus.

Datum Oppolii vigesima quarta Octobris 1654.

Carolus Ferdinandus &c.

Post introductionem Cives Acatholici convenerunt, novas protestationes molientes; quibus quidem nihil proficiebant, attamen ut illorum machinationibus potentiâ Regis fortiùs obviaretur, illius assistentiam imploravit Superior P. Jovita Burgundus, quam etiam clementissimè præstitit Serenissimus Rex Joannes Casimirus, ut sequitur.

Joannes Casimirus, Dei Gratiâ Rex Poloniæ, Princeps Magnus Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Massoviæ, Samogitiæ, Smoloscho, Liflandiæ, & Schernikoviæ: Svecorum, Gothorum, & Wandalorum Rex Hæreditarius, Dux Oppoliensis & Ratiboriensis &c.

Illustrissime Comes.

Sub hoc nostro Oppoliensi, & Ratiboriensi Ducatu degentes Capucini, Nos, tanquam recenter introducti, pro sua, suæque fundationis protectione humillimè supplicarunt: prout originalia demonstrant adjacentia. Cùm itaque Nos his Religiosis ob piissimum eorum zelum, respectum divinum, veraque Ecclesiæ honorem ac reverentiam, proximorumque salutem meritò benè addicti, & affecti simus, Sic eos, Nos non modò sub Nostra gratiosissima protectione suscipimus, verùm etiam Ipsi eosdem hisce nostris, cum hac intentione commendamus, ut eos sicut apud Neostadiensem Magistratum, ita etiam, ubicunque necessitas requisierit, in optima forma protectione sua juvare, ac promovere velit, ac debeat: qualiter se facturum non dubitamus, ipsique Nos Regio nostro favore bene affecti manemus. Datum Glogoviæ Superioris prima Decembris Anno 1655.

Joannes Casimirus &c.

Exempl. Authent. in Archivo Provinciæ.

DECRETO

S. Congreg. Episc. & Regul.

Circa prætensam à Laicis præcedentiam contra Clericos Novitios, usum Provinciæ servari sancitur, Brevi seu Decreto Urbani VIII. nullatenus obstante.

Beatissime Pater.

CUM Pater Procurator Generalis Capucinorum inaudierit, porrectos esse Sanctitati Vestræ à Fratribus Laicis Capucinis duarum Provinciarum Styriæ, & Bohemiæ libellos supplices, pro executione Brevis vel Decreti Urbani VIII. fel. mem. cujus vigore Laicis professis præcedentia supra Clericos Novitios conceditur. Cum tamen Breve memoratum in variis Provinciis, speciatim in utraque dicta Provincia, fuerit nec lectum nec publicatum, nec executioni datum, prout idem P. Procurator Generalis ad libellos à S. Congregatione ad effectum informationis reposuit, Sanctitati Vestræ humillimè pro opportuno pacis in Ordine conservandæ remedio & ordine supplicatur, ut quælibet dictarum Provinciarum observare pergat respectivè, quod defacto circa hujusmodi præcedentiam obser-

observat, nihil innovato, & non obstante Brevi prædicto, eò magis, quod ante tale Breve per 100. annorum spatium Ordinis usus fuerit, ut Clerici Novitii, ceu ad functiones Ecclesiasticas destinati, Laicos Professos ad tales functiones non destinatos præcederent. Quod &c.

S. Congregatio Emin., & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negot. & consult. Episc., & Regul. præposita, attentis narratis, de ordine S.D.N.D. Alexandri, divina providentia Papæ Septimi, mandavit circa præmissa, tam in memoratis Provinciis Styriæ, & Bohemiæ, quàm & in aliis respectivè servari solitum, & nihil innovari; præfato Brevi, seu Decreto s. mem. Urbani VIII. cæterisque contrariis non obstantibus quibuscunque.

Romæ 16. *Februarii* 1661.

M. Card. Ginnettus.

Exempl. Authent. in Archivo Provinciæ.

RESCRIPTO PONTIFICIO.

Fabricam novæ Domûs in Civitate Wratislaviensi sine mora incipi mandatur.

TUM ob rationes particulares, tum ob prævisam Religionis Catholicæ utilitatem, aliasque circumstantias, Sanctitas Sua P. Generali Capucinorum mandat, ut fabricam novæ Domûs, seu Conventûs pro Fratribus sui Ordinis in Civitate Wratislaviensi morâ non interjectâ incipi curet & committat, quibuscumque in contrarium facientibus non obstantibus.

Romæ 16. Martii 1671.

Autograph. in Archivo generali Ordinis Armario Provincia Boemiæ.

N O T A.

PRæter Proceres Regni, qui hanc Provinciam Domibus ære suo fundatis juxta dicta fol. 175. ampliârunt, posuit in ea & Cæsarea Austriæ Domus piissimæ beneficentiæ suæ monumenta, & præter elemosynas pluribus Conventibus liberalissimè legatas, fundavit Anna, Augustissimi Imperatoris Mathiæ Coniunx nummis suis Conventum Budvicensem, Ferdinandus III. Sutticensem, Leopoldus I. Brigensem, & Wratislaviensem, Fratresque in hoc ultimo degentes non solùm speciali Cæsarea protectione frui, sed etiam Domûs fabricam sumptibus Regiæ Cameræ Silesiæ conservari disposuit, tabulis sequentibus.

Nos Leopoldus, Divinâ favente Clementia Electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germaniæ, Boemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carnioliæ, Marchio Moraviæ, Dux Luxemburgi, ac superioris & inferioris Silesiæ, Wirtembergæ & Cseckæ, Princeps Sveviæ, Comes Habspurgi, Tyrolis, Ferretis, Kyburgi, & Goritiæ, Landgravius Alsatiæ, Marchio Sacri Romani Imperii Burgoviæ, ac Superioris, & Inferioris Lusatiæ, Dominus Marchiæ Sclavonicæ, Portûs Maonis & Salinarum &c.

Ad perpetuam rei memoriam: Notum facimus tenore præsentium, quibus expedit Universis.

Decet Religionis Nostræ studium, ut cultûs & laudis Dei, cujus clementiâ Nobis datum est, ut regnemus, assiduè promoveamus incrementum, eo præcipuè intenti, ut, quandoquidem graves Imperii, & Regnorum Nostrorum sollicitudines, Nobisque continuò impendentes curæ impediunt frequentioris nostræ devotionis exercitium, quod in votis habemus, id piorum ac Religiosorum hominum precibus ad Deum pro Ecclesiæ Catholicæ, ac Sanctæ Sedis Apostolicæ, necnon Imperii Regnorumque Nostrorum conservatione, & Animæ salute incessanter fundendis studiosè compensemus. Hinc considerantes attentiùs preces, vitæ austeritatem, strictamque observantiam, & perpetuum in profectum virtutis & arctissimæ unionis cum Deo collimans studium, quo Viri Religiosi, Ordinis Fratrum Capucinorum ad honorem & gloriam Sanctissimæ Trinitatis & Deiparæ Virginis Mariæ, necnon Sancti Patris Francisci, in salutem Nostræ, & refrigerium Augustissimi Cæsaris, Domini Avi, & Patris Nostri Ferdinandi Secundi, & Ferdinandi Tertii, gloriosissimæ memoriæ, omniumque etiam prædecessorum Nostrorum Animarum, nec non pro incolumitate & incremento inclytæ Domûs Nostræ Austriacæ in Urbe Nostra Wratislaviensi, quotidie piè & sanctè occupantur, vigore præsentium, tanquam Imperator, Bohemiæ Rex, ac Silesiæ Dux, de Cæsareæ & Regiæ potesta-

testatis, & authoritatis nostræ plenitudine, ex certa scientia, & maturo accedente consilio, dictum Monasterium Wratislaviense Fratrum Capucinorum unà cum omnibus ejusdem appertinentiis, utque illud præfati Fratres perpetuis temporibus, quietè inhabitare, ibidemque pias ad Deum preces fundere, ac alia Christianæ pietatis, & Religiosæ devotionis, Ordinisque sui opera & exercitia facere valeant, ab omnibus gravaminibus, molestiis, exactionibus, impositionibus, steuris, censibus, ac demum omnibus & singulis oneribus, tam realibus, quàm personalibus, civilibus, & militaribus, quæ eis quomodolibet inferri & imponi possent, plenè liberum, exemptum, & immune esse volumus, ita ut altiùs memoratum Monasterium, Conventus, sacra Dei Domus, ac ipsi Fratres Religiosi, & Famlia tota in omnibus, & per omnia universis & singulis Privilegiis, exemptionibus, libertatibus, juribus, immunitatibus ac beneficiis utantur, fruantur, potiantur ac gaudeant, quibus alia Monasteria, Religiosorum sacræ Domus, locaque, & Deo sacratæ Personæ Religiosæ sub regulis in Monasteriis, & Conventibus viventes in Ducatu hoc Nostro Silesiæ, ac reliquis nostris hæreditariis Regni Provinciis ac Ditionibus utuntur, fruuntur, potiuntur, ac gaudent, & in eorum sunt possessione, vel quasi, nullo penitus inde excepto, quæ omnia ipsis vigore præsentium clementer damus, & concedimus, non aliter, quàm si sæpius memoratum Monasterium ab initio statim instituissemus, erexissemus, & fundâssemus, statuentes insuper, ut quidquid de Eleemosynis, ac aliis rebus in sui sustentationem, ubi ubi tandem collegerint, & conquisiverint, id illis in hæreditariis nostris ditionibus ubivis locorum, maximè verò in teloniis nostris, quæ vel Ipsi adhuc possidemus, vel aliis possidenda, quovis jure dedissemus, aut posthac dare possumus, sine omni prorsus exactione, gabella, vectigali, & quovis alio impedimento, liberè, tutò, & expeditè citra omnem inquisitionem, aut annotationem cedat, & permittatur.

Ac proinde universis nostris Quæstoribus, Telonariis, ac aliis ejusmodi, quorumcumque tributorum, aut onerum exactoribus, & Officialibus strictè, clementerque inhibemus, ne contra expressum hoc Privilegium nostrum, sub quocunque colore, aut prætextu præfatos Fratres Capucinos, ipsisque inservientes per se, vel suos ullatenus turbent, aut molestent, vel ab aliis turbari ac molestari patiantur.

Quò verò dicti Fratres Capucini Cæsareæ & Regiæ benignitatis nostræ munificentiam uberiùs experiantur, & Deo melius servire, piisque exercitiis suis attentiùs vacare possint, neque quovis modo sæcularibus curis, & negotiis à piæ intentionis nostræ proposito, & vitæ suæ laudabili instituto divertantur, prætactum Monasterium, omnesque illius personas, ac ipsis inservientes cum universa eorum Familia contra omnem vim & violentiam, quocunque modo, vel à quibuscumque ipsis pertimescendam, cum solita illic locorum immunitate Ecclesiastica in specialem nostram, Hæredumque, ac Successorum nostrorum protectionem recipimus, eosdem, quando opus fuerit, defendere, protegere, & tueri promittentes.

Cupientes insuper prædictum Monasterium & Conventum ampliori gratiâ nostrâ adhuc prosequi, unà decrevimus, & pollicemur totum illud ædificium sartum tectum conservare, sumptibus ad hoc necessariis à Camera nostra Regia Silesitica, quando & quoties opus fuerit, erogandis.

Mandamus itaque universis & singulis nostris Principibus & Statibus Ecclesiasticis, & sæcularibus, supremæ Curiæ nostræ Comitibus, Baronibus, Nobilibus, Militibus, Præfectis, Præsidentibus, Capitaneis, Vice Dominis, Gubernatoribus, Castellanis, ac Urbium, Civitatum, Oppidorum, & quorumcunque locorum & Communitatum Rectoribus & Consulibus, ac aliis subditis Nostris firmiter, & expressè, quatenus præfatos Fratres Capucinos, eorumque appertinentem Familiam, totumque ipsorum Conventum, seu Monasterium, in prælibatis Privilegiis, Exemptionibus, libertatibus, juribus, prærogativis, immunitatibus, ac aliis gratiis, Beneficiis, & concessionibus non impediant, nec etiam in colligenda Eleemosyna aliquam molestiam quovis modo eis inferant, aut inferri patiantur, quin potius ipsos ab omni malevolorum hominum impetitione protegant, atque defendant, hancque fundationem nostram omnibus in locis, ubi pro securitate dictorum Fratrum Capucinorum id fieri conduxerit, & de lege, vel consuetudine opus fuerit, inscribi, & quatenus ordo postulat, insinuari curent, & mandent.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostræ gratiæ paginam infringere, aut ei quovis ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, cujuscunque dignitatis, vel statûs existat, præter iram, & ultionem justi Dei vindicis, quam scire potest quilibet ex alto contra violatores sacrarum Domorum provenire, etiam Nostrorum Hæredum & Successorum Nostrorum gravissimam indignationem, & pœnam centum Marcarum purissimi auri pro medietate nostro Hæredum, & Successorum nostrorum Ærario, reliquam verò partem præfati Monasterii usibus applicandam, sciat se incursurum, testimonio literarum, manu nostrâ subscriptarum, sigilloque nostro Majori Cæsareô communitarum. Datæ in Civitate Nostra Viennæ die ultima mensis Januarii. Anno Domini millesimo sexcentesimo septuagesimo quarto, Regnorum Nostrorum Romani, decimo sexto, Hungariæ, decimo nono, Boemici verò, decimo octavo.

Leopoldus.

Jo. Hartvvigius Comes de Nostitz, R. Boemiæ Cancellarius.

Autograph. in Archivo Provinciæ.

Provinciam ad instantias Augustissimi Imperatoris Leopoldi dividi, P. Ministro Generali committit.

A tergo: *Dilecto Filio, Ministro Generali, Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupatorum.*

CLEMENS PAPA X.

Dilecte Fili salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CUM, sicut Nobis nuper exponi fecisti, Provincia Bohemiæ tui Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupatorum ita ampla, vastaque sit, ut uni soli Ministro Provinciali penitus sit impossibilis visitatio consueta juxta præscriptum Regulæ, & Constitutionum dicti Ordinis ad conservandam Regularem Observantiam omnino requisita; eaque de causa charissimus in Christo Filius noster, Leopoldus, Romanorum Rex illustris, in Imperatorem electus, ejusdem Provinciæ necessitati per opportunam divisionem à Nobis provideri plurimùm desideret: Nos ejusdem Leopoldi Regis votis hac in re, quantùm cum Domino possumus, favorabiliter annuere, ac dictæ Provinciæ commodis, & necessitati consulere volentes, Teque à quibusvis excommunicationis &c. harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus tuo Nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ac de tua fide, prudentia, charitate, vigilantia, pietate, integritate, & Religionis zelo plurimùm in Domino confisi, Tibi, ut in actu visitationis memoratæ Provinciæ per Teipsum, si poteris, sin minus, etiam extra visitationem hujusmodi, & per Commissarium idoneum ad id à Te deputandum, eandem Provinciam Bohemiæ, in duas, nominibus à Te imponendis nuncupandas, Auctoritate nostra Apostolica dividere, ac utrique Provinciæ hujusmodi, Conventus, Domos, & hospitia Provinciæ sic dividendæ respectivè assignare, seu dividi, & assignari, cæteraque in præmissis, & circa ea quomodolibet necessaria, & opportuna facere, & exequi liberè & licitè possis, & valeas, facultatem & licentiam, auctoritate præfata, tenore præsentium tribuimus, & impertimur, eâ tamen lege, ut per ejusmodi divisionem suffragia in Capitulis generalibus Ordinis præfati augeri non possint, sed cujusque Provinciæ sic divisæ Ministri Provinciales unà cum Custode alternatim eligendo in dicto Capitulo intervenire debeant, ita, ut tria tantùm vota, nempe duorum Ministrorum Provincialium, & unius Custodis constituant; utque in præfatis Provinciis novi Conventus erigi in posterùm nullatenus possint sine expressa licentia dictæ Sedis, per litteras in simili forma Brevis expediendas, quæ deroget hujusmodi prohibitioni. Non obstantibus fel. rec. Urbani PP. VIII. Prædecessoris nostri litteris, die XXVIII. Junii MDCXLIII. emanatis, per quas inter alia Provinciarum dicti Ordinis divisio prohibita reperitur, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Ordinis, & Provinciæ hujusmodi, etiam juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice duntaxat specialiter & expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die XXII. Martii MDCLXXIII. Pontificatus nostri Anno Tertio.

I. G. Slusius.

Autog. in Arch. Secret. Brev. Apost. Regesto mens. & anni præd. fol. 25. de quo Breve formatum in Arch. gen. Ord. Arm. Provincia Bohemiæ.

NOTA.

AGitatum diu negotium tandem executioni datum est per tabulas sequentes.

IN NOMINE DOMINI.

Nos Fr. Stephanus à Cesena, totius Capucinorum Ordinis Minister Generalis. (L. I.)

Cum nostri muneris sit, & deceat eos, qui ad Regiminis apicem evecti sunt, in illa præcipuè aciem dirigere, quæ commune Provinciarum, & Religionis bonum, ac majorem Dei gloriam, Christifidelium utilita-

ſtatem, & ejuſdem Religionis incrementum concernunt, & in Comitiis Generalibus, Anno 1671. in Alma Urbe celebratis coram tota Diffinitione generali expoſitum Nobis fuerit, Provinciam Boemo-Auſtriacam, ita finibus & ambitu vaſtam, & numeroſitate Conventuum, adeo jam eſſe dilatatam, ut fere impoſſibile ſit, quod bis ſaltem in anno juxta laudabilem Religionis noſtræ conſuetudinem, & ſtatuta, à ſuo Miniſtro Provinciali, exactè & integrè valeat viſitari, ac proinde in duas dividi poſſe, & utiliter fore dividendam; hujuſmodique diviſionem à Sacra Cæſarea Majeſtate Leopoldi Imperatoris, non minus pietate, quàm terreno Regno, & Imperio verè Auguſtiſſimi, pro majori Congregationis noſtræ bono, & fidelium ſibi ſubditorum ædificatione, confirmatione & dilatatione enixè deſiderari. Hinc Nos, quibus à Domino, puſilli hujus Capucinorum gregis cura eſt demandata, attendentes, quàm neceſſaria ſit frequens in Anno Miniſtri Provincialis, per omnes & ſingulos ſuæ Provinciæ Conventus diſcurſus & viſitatio, & quod vix poſſit, vel tantùm ſemel prætermitti, abſque totius Regularis diſciplinæ detrimento valde notabili; Auguſtiſſimo Cæſari, ac piiſſimis ejus votis, ut par eſt, obſequi volentes, & ut, quæ ſunt muneris noſtri, pro viribus adimpleamus, annuente Sanctiſſimo D. N. Clemente Papa X. per Breve ſuper hoc editum tenoris ſequentis, videlicet.

CLEMENS PAPA X.

Dilecte Fili &c. Cum, ſicut Nobis nuper exponi feciſti Provinciæ Boemiæ &c.
Reſiduum ut ſupra.

Et præhabito etiam conſenſu, & approbatione Capituli hujuſmet Provinciæ, per calculos & vota ſecreta, decrevimus, & per hoc præſens noſtrum Decretum decernimus, auctoritate Apoſtolica, Nobis, ut ſupra, ſpecialiter delegatâ, hanc Boemiæ, ſeu Boemo Auſtriacam Provinciam dividere, & illam effectivè, juxta tenorem, formam, & præſcriptum ejuſdem Brevis, in duas Provincias dividimus, quarum altera in poſterum nuncupanda erit Boemica altera verò Auſtriaca. Et ne per hanc diviſionem Religioſa, & fraterna Charitas, in ullo detrimentum ſentiat, aut patiatur, ſed mutuo amoris igne, inter utramque Provinciam, ut decet Viros Religioſos, ſemper vigeat, ac magis magiſque in dies ardeat & excreſcat, & penitus ab iiſdem eliminentur omnia, quæ proceſſu temporis diſſidiis & contentionibus, pabulum vel tenue poſſent ſubminiſtrare, Provinciæ Boemiæ ſic diviſæ, per hoc idem Decretum, & eâdem authoritate, quâ ſupra, aſſignamus Conventus omnes, Domos & Hoſpitia, quæ hactenus conſtructa ſunt intra fines totius Regni Boemiæ, Moraviæ, & Sileſiæ: Provinciæ verò Auſtriacæ aſſignamus illa, quæ intra fines Auſtriæ Inferioris & Superioris continentur, videlicet.

Boemiæ Provinciæ Conventus.

In Boemia.
1. *Praga in Hradſchin.*
2. *Neo Praga.*
3. *Raudnitium.*
4. *Budvitium.*
5. *Pontum.*
6. *Sutticium.*
7. *Litomeritium.*
8. *Teinitium.*
9. *Crudimium.*
10. *Falconovium.*
11. *Neocolina.*

In Moravia.
12. *Bruna.*
13. *Olomucium.*
14. *Znoyma.*
15. *Iglavia.*
16. *Nicolſpurgum.*
17. *Viſcovia*
18. *Hoſpitium Fulneggii in Sileſia.*
19. *Neoſtadium.*
20. *Nyſſa.*
21. *Wratislavia.*

Auſtriacæ Provinciæ Conventus.

In Auſtria Inferiori.
1. *Vienna* intra Urbem.
2. *Vienna* extra Urbem.
3. *Crembſium.*
4. *Neoſtadium.*
5. *Pruggum.*
6. *Corneoburgum.*
7. *Medlinga.*
8. *Tulna.*
9. *Waidhovia ad Thajam.*
10. *Hollobrunum.*

In Auſtria Superiori.
11. *Linzium.*
12. *Welſium.*
13. *Styra.*
14. *Gmunda.*
15. *Freyſtadium.*
16. *Waidhovia ad Ipſim.*
17. *Conventus Paſſavii.*

Et omnes alios Conventus, ſive Domos & Hoſpitia, quæ intra eoſdem utriuſque Provinciæ fines, etiam Regni Hungariæ, in poſterum erigentur, cum omnibus ſibi reſpectivè adjacentibus aut attinentibus

pro quæstuatione, ut Religiosi nostri in præfatis locis degentes, Religiosè, & juxta præscriptum Seraphicæ Regulæ, ac Constitutionum Ordinis vitam valeant sustentare. Super quibus nihil omnino à quopiam quàm à nobis, aut Successoribus nostris, sub quovis colore, aut prætexu valeat immutari, seu innovari; & irritum, ac ipso facto nullum declaramus; quidquid aliter, & in contrarium fiet, seu attentari continget. Ita dicimus, decernimus, dividimus, nuncupamus, assignamus, & declaramus, hoc & omni meliori modo, &c. In quorum fidem &c. Datum in Conventu nostro Capucinorum Viennæ intra Urbem, die 28. Aprilis Anni 1673.

Ita Nos decrevimus Fr. Stephanus à Cesena Minister Generalis.

Ego Fr. Martinus Moravus, Provinciæ Boemiæ Minister Provincialis, approbo.
Ita Ego Fr. Marquardus Halberstadiensis, Definitor.
Ita Ego Fr. Bertoldus Silesius, Definitor.
Ita Ego Fr. Paulinus Moravus, Definitor.
Ita Ego Fr. Cletus Monacensis, Definitor.

Ego Fr. Alexander Fridbergensis, Provinciæ Austriacæ Minister Provincialis, approbo.
Ita Ego Fr. Emericus Hungarus, Definitor.
Ita Ego Fr. Ildefonsus Austriacus, Definitor.
Ita Ego Fr. Crescentius Austriacus, Definitor.
Ita Ego Fr. Donatus Passaviensis, Definitor.

Autographa exempl. in Archivis utriusque Provinciæ.

Commendatam sibi votorum paritatem in Comitiis Generalibus à Provinciis Boemica & Austriaco-Hungarica habendam, maturiore examine indigere, Augustissimo Imperatori renuntiat.

A tergo: *Charissimo in Christo Filio nostro, Leopoldo, Hungariæ & Bohemiæ Regi illustri, in Romanorum Imperatorem electo.*

CLEMENS PP. X.

Charissime in Christo Fili noster salutem & Apostolicam Benedictionem.

PRæcipua animi nostri cum voluptate perlegimus Litteras Majestatis Tuæ, Patribus Capucinis accuratè suffragantes &c. *Residuum tum litterarum, tum negotii quære supra fol. 11. & sequent. post quæ, & alias Litteras Apostolicas, quibus huic Provinciæ æquè, ac Austriaco-Hungaricæ & paritas votorum in Capitulis Generalibus, & facultas novos Conventus sine recursu ad Sactam Sedem construendi concessæ fuerunt, fol. 20. reperies.*

DECRETO

S. Congreg. Episc. & Regul.

Instantiæ circa Confessiones Monialium S. M. Magdalenæ, loci Ponti, à Fratribus nostris ibi excipiendas, Emin. Cardinali Protectori pro executione remittuntur.

Beatissime Pater.

MOniales S. Mariæ Magdalenæ de Pænitentia nuncupatæ, Ponti, quod est Civitas Diœcesis Pragensis, Sanctitatis Vestræ devotissimæ Oratrices, in magna egestate viventes de solis elemosynis, non possunt debitè sustentare Confessarium Ecclesiasticum, & licèt in præfata Civitate sit unus Parochus ad obeunda munia Ecclesiastica in cura animarum, est tamen & Conventus Patrum Capucinorum non procul distans à Civitate, quos Patres eædem Moniales pro suis spiritualibus necessitatibus perquam idoneos esse judicantes, supplicant humillimè, ut Sua Sanctitas eisdem Patribus benignè concedat Confessiones earum audiendi, & alia Sacramenta administrandi, non obstantibus eorundem Patrum Capucinorum Constitutionibus &c.

Sacra Congregatio Emin., ac Rev. S.R.E. Cardinalium negot. & consult. Episc. & Regul. præposita, supplicem hunc libellum benignè remisit Emo Ordinis Capucinorum Protectori, ut veris existentibus narratis, &, quatenus in Domi-

Domino expedire censuerit, Oratricum precibus pro suo arbitrio & prudentia indulgeat, ita tamen, ut hujusmodi Confessarii ab Ordinario loci ad audiendas Sanctimonialium Confessiones approbentur, non obstantibus in contrarium facientibus quibuscunque. Romæ 6. April. 1674.

F. Card. Brancatius.

NOTA.

DEdit Emin. Cardinalis Protector & Decreto præposito executionem, & Fratribus nostris facultatem, sequenti Rescripto.

Pro facultate in præsenti supplici libello à S. Congregatione Nobis concessa, mandamus R. P. Provinciali Capucinorum Provinciæ Bohemiæ, ut Monialibus præfatis unum Patrem ex Conventu Oppidi Pontensis assignet, qui servatis servandis juxta formam Sacrorum Canonum, & Constitutionum Apostolicarum earum Confessiones audire, & Sacramenta ministrare possit & valeat. Romæ 15. April. 1674.

I. Cardinalis Rospigliosus Protector.

Sicut ipse Celsissimus Archiepiscopus gratiæ fuit intercessor, ita & Decreta Romana Eidem fuêre transmissa, de quibus R. P. Provincialem instruxit litteris sequentibus.

Matthæus Ferdinandus, Dei & S. Sedis Apostolicæ gratiâ Archiepiscopus Pragensis, S. Rom. Imp. Princeps, Legatus natus, inclyti Bohemiæ Regni Primas, Sac. Cæsareæ, Regiæque Majestatis intimus Consiliarius &c.

Admodum Reverende ac Religiose Nobis sincerè dilecte Pater Provincialis.

Ex annexa inclusiva Paternitas Vestra prolixiùs percipere poterit, quid ad Nos in favorem Sanctimonialium Pontensium Ordinis S. Mariæ Magdalenæ de Pœnitentia, Roma proximè elapsis diebus emanaverit; eapropter Paternitatem Vestram præsentibus paternè requirimus, ut ad maturandam hujus Sacræ Congregationis Decreti executionem (non attento, quod unius duntaxat Patris hîc fiat mentio) nihilominus propter libertatem Conscientiæ duos idoneos Sacri Ordinis sui & Conventûs Pontensis Patres, quibus munus hujusmodi Confessariorum securè committere, & quos ad audiendas præfatarum Monialium juxta formam Sacrorum Canonum & Constitutionum Apostolicarum confessiones debitè approbare possimus, assignare, & Nobis præsentare non gravetur. Quod uti præmemorato Sacræ Congregationis Decreto conforme, ita speramus Paternitatem vestram huic paternæ requisitioni nostræ locum daturam, qui manemus.

Pragæ ex Residentia nostra Archiepiscopali die 1. Junii 1674.

Paternitatis Vestræ.

Matthæus Ferdinandus Archiepiscopus.

Autograph. In Archivo Provinciæ.

Domum in Comitatu Opocznæ ad instantias Ludovici Colloredi erigendi facultatem tribuit.

A tergo: *Dilecto Filio, Ministro Generali, Ordinis FF. Min. S. Francisci Capucinorum nuncupatorum.*

CLEMENS PAPA X.

Dilecte Fili salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CUm Nos Tibi Provinciam Bohemiæ tui Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupatorum, propter nimiam ejus amplitudinem in duas dividendi facultatem sub certis modo, & forma tunc expressis tribuerimus, eâ lege inter cætera, ut in Provinciis sic divisis novi Conventus erigi in posterum nullatenus possent, sine expressa Sedis Apostolicæ licentia, per litteras in forma Brevis expedienda, quæ derogaret huic prohibitioni, & aliàs, prout in nostris desuper in simili forma Brevis, die XII. Martii MDCLXXIII. expeditis, quarum tenorem præsentibus pro plenè & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus, uberiùs continetur, Tuque vigore facultatis hujusmodi eandem Provinciam Bohemiæ in duas, unam quidem Bohemiæ, alteram verò Austriæ re-

spe-

ſpectivè nuncupandas, in actu viſitationis diviſeris: & ſicut pro parte dilecti Filii Ludovici Colloredi, Nobilis Pragenſis, ſeu alterius Civitatis, vel Dioeceſis Nobis nuper expoſitum fuit, ipſe novum Conventum Fratrum dicti Ordinis in Comitatu Opocznæ Regni Bohemiæ erigi, & inſtitui plurimùm deſideret, ibique ob hæreticorum vicinitatem, longamque ſimilium Conventuum diſtantiam, Fratres Conventûs ſic erigendi pro Dei ſervitio & Catholicæ Fidei tuitione, & propagatione fructuosè, adjuvante Domino, ſint laboraturi. Nobis propterea dictus Ludovicus humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis opportunè providere, &, ut infra, indulgere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur ad ea, quæ in Divini Cultûs, & religionis, piorumque operum incrementum cedere poſſunt, ex commiſſi Nobis cælitus paſtoralis officii debito propenſis ſtudiis intendentes, ac piis præfati Ludocici votis hac in re favorabiliter annuere volentes, eumque à quibuſvis excommunicationis &c. harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Tibi unum Conventum Fratrum Ordinis præfati in dicto Comitatu Opocznæ, dummodo tamen in reliquis ea omnia, quæ circa hujuſmodi novorum Regularium Conventuum erectiones præſcripta ſunt, religiosè ſerventur, Auctoritate noſtra Apoſtolica erigendi, & inſtituendi, facultatem, & licentiam eadem auctoritate, tenore præſentium concedimus, & impertimur. Non obſtantibus prohibitione præfatâ, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon, quatenus opus ſit, dicti Ordinis, aliiſque quibuſvis, etiam juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & Litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die III. Martii MDCLXXIV. Pontificatus noſtri Anno quarto.

I. G. Sluſius.

Breve formatum in Archivo generali Ord. Armario Provincia Boemiæ.

DECRETO

S. Congreg. Epiſc. & Regul.

Conſtructio novæ Domûs in Civitate Ziattecii Archiepiſcopo Pragenſi committitur.

SAcra Congregatio Eminentiſſimorum, ac Reverendiſſimorum S.R.E. Cardinalium negot. & Conſult. Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, attentâ relatione Vicarii Capitularis Pragenſis, referente Eminentiſſimo D. Cardinale Caraffa cenſuit committendum, prout præſentis Decreti tenore committit Archiepiſcopo Pragenſi, ut auditis intereſſe habentibus, & præſertim Superioribus Regularibus Provinciæ Auſtriæ ejuſdem Ordinis, quatenus ab illis nullum opponatur Canonicum impedimentum, ſibique conſtito, Fabricam Conventûs cum Eccleſia, Campanili, Choro, Sacriſtia, aliiſque officinis neceſſariis eſſe perfectam, & ſacris profaniſque ſupellectilibus ſufficienter inſtructam; quodque ex Fidelium pietate, & eleemoſynis, octo ſaltem Religioſi commodè ſuſtentari poſſint, ad petitam formalem erectionem & fundationem dicti Conventûs procedat, ſervatis quoad reliqua omnibus ex præſcripto Conſtitutionum Apoſtolicarum ſervandis.

Romæ 22. Novemb. 1675.

G. Card. Carpineus.

Exempl. Autog. in Arch. Provinciæ.

DECRETO

Sac. Congreg. Epiſc. & Regul.

Conſtructio novæ Domûs in Civitate Svidnicii conceditur.

Eminentiſſimi, ac Reverendiſſimi Domini.

UT aliàs, Deo permittente, Provinciæ ſuperioris, & inferioris Sileſiæ, longè illæ quidem, latèque patentes in cœcam hæreſum caliginem præcipitantes confectæ ſunt, ita jam aliquo tempore per ſummam Dei miſericordiam bene multi ex illis populis, tanquam oves aberrantes, ad caulam Chriſti, & ovile reduci cæperunt operâ Religioſorum Virorum, atque in ipſis prædicatione, charitate & exemplo Patrum Capucinorum.

Quamobrem Sacra Cæſarea Majeſtas, quâ pie-

pietate hos in Vinea Domini Operarios prosequitur, eo quoque zelo ardet Domus Dei & Religionis Catholicæ ubicunque instaurandæ, & quoquo versu propagandæ, potissimum verò in Regnis & Provinciis ad eandem spectantibus, non ita pridem benignè annuit, ut in Civitate Svidnicensi Diœc. Wratislavien. novus dictis Patribus Capucinis Conventus ad majorem Dei Omnipotentis gloriam erigatur. Ad hoc accessit Eminentissimi, ac Reverendissimi D. Cardinalis Landgravii Hassiæ, quà est Episcopus Wratislaviensis, consensus, placitum, & preces: accesserunt trium aliorum Conventuum, qui in eadem Civitate instituti reperiuntur, consensus, scilicet Jesuitarum, Prædicatorum, & Conventualium, quæ omnia narrata constant ex scripturis, quæ danturIllustrissimoD. Secretario in manibus. Quæ omnia cum ita sint, & ad omnimodum tam pii operis effectum nihil modò aliud prorsus deesse videatur, quàm clemens Emin. DD. VV. nutus & approbatio, pro iis Patres Capucini humillimè supplicant.

Quam Deus &c.

Sacra Congregatio Emin. ac Reverendissimorum Cardinalium negot. & Consult. Episcoporum & Regularium præposita, attentâ relatione Emin. Episcopi Wratislaviensis, *& audito P. Procuratore Generali Ordinis Capucinorum, supplicem hunc libellum benignè remisit eidem Emo Episcopo, ut veris existentibus narratis, & accedente consensu illorum, quorum interest, postquam sibi constiterit, fabricam prædicti Conventûs cum Ecclesia, Campanili, Choro, Sacristia, Refectorio, hortis, & spatiis, numeris omnibus esse absolutam, & suppellectili tam sacra, quàm prophana sufficienter instructam, ac in eo loco saltem duodecim hujusmodi Religiosi ex eleemosynis piorum Benefactorum commodè ali possint, ad petitam erectionem pro suo arbitrio & prudentia procedat, ita tamen, ut in reliquis ea omnia, quæ circa novorum Regularium Conventuum erectiones præscripta sunt, religiosè serventur. Romæ.* 20. *Maii* 1678.

Gasp. Card. Carpineus.

Exempl. Autographum in Archivo Provinciæ.

Serenissimæ Hetruriæ Ducissæ Domum Fratrum Oppidi Reichstadiensis ingrediendi, facultatem largitur.

A tergo: *Dilectæ Filiæ, Nobili Mulieri, Mariæ Franciscæ Hetruriæ Ducissæ.*

INNOCENTIUS PAPA XII.

Dilecta in Christo Filia, Nobilis Mulier, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

NObilitatis Tuæ eximia in Deum pietas, & erga Nos, & hanc S. Sedem fides, ac devotio promerentur, ut spirituali tuæ consolationi paternâ pietate libenter consulamus. Volentes igitur Te, quæ dilecti Filii, Nobilis Juvenis, Principis Gastonis Medices, dilecti etiam Filii, Nobilis Viri, Cosmi, Hetruriæ sibi subjectæ Magni Ducis Nati Uxor existis, specialis favore gratiæ prosequi, Teque à quibusvis excommunicationis &c., & absolutam fore censentes, supplicationibus tuo nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Tibi, ut à quinque honestis Matronis provectæ ætatis, nec non aliquot Viris, moribus, & ætate gravioribus associata, Conventum Oppidi de Reichstadt in Regno Bohemiæ, Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupatorum, qui (ut asseris) à quodam Duce Saxolavenburgensi, Genitore tuo, dum viveret, sufficientibus pro sustentatione certi numeri Religiosorum eleemosynis assignatis fundatus fuit, octo vicibus duntaxat quolibet anno de Superiorum dicti Conventûs consensu ingredi liberè ac licitè possis, & valeas, dummodo tamen neque Tu, minusque Matronæ prædictæ inibi pernoctetis, licentiam Apostolica Auctoritate, tenore præsentium concedimus, & impertimur. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, aut Conventûs, & Ordinis prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice duntaxat

taxat specialiter, & expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die XXII. Martii MDCXCVIII. Pontificatûs nostri Anno septimo.

I. F. Card. Albanus.

Breve formatum in Archivo Provinciæ.

NOTA.

OBtinuerunt & aliæ Principissæ & Comitissæ, Conventuum Fundatrices, aut Benefactrices insignes, simile privilegium magis vel minus restrictum ingrediendi Fratrum Conventus, videlicet Principissa de Liechtenstein Conventum Rumburgensem per Breve Alexandri VIII. emanatum 1690.

Maria Margaritha Comitissa de Waldstein, nata de Ezernin Conventum Hradistiensem, & Hradschinensemper Decretum S. Congregationis emanatum 1718.

Eleonora Principissa de SchWarzenberg, nata Principissa de Lobkovitz, Conventum Budvicensem, per Decretum dictæ S. Congregationis emanatum 1719.

Maria Antonia S. R. I. Principissa de Liechtenstein & Nicolspurg, Ducissa Silesiæ in Tropau & Iagendorff, Comitissa de Zoberin Conventum Gajensem, per Rescriptum illimitatum Benedicti XIII. emanati 1728.

Renata Comitissa de Nostiz, Conventum Svidnicensem, per Breve Clementis XII. expeditum 31. Julii 1732. &c. &c:

Quorum Brevium, Decretorum &c. exempla authentica asservantur in Conventibus prædictis.

Fr. Vincentio à Wratislavia, prædictæ Hetruriæ Principissæ Confessario, ejusdemque Socio, ut eandem Principissam itinerantem commodo Rhedæ comitentur, indulget.

A tergo: *Dilecto Filio Vincentio à Wratislavia, FF. Minorum Sancti Francisci Capucinorum nuncupatorum Professori.*

CLEMENS PAPA XI.

Dilecte Fili salutem, & Apostolicam Benedictionem.

RElegionis zelus, vitę, ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis & virtutum merita, super quibus apud Nos fide digno commendaris testimonio, Nos inducunt, ut Te specialibus favoribus, & gratiis prosequamur. Cum itaque, sicut dilecta in Christo Filia, Nobilis Mulier, Anna Maria Francisca Principissa Etrurię Nobis nuper exponi fecit, ipsa Te, qui Frater expresè Professus Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupatorum existis, in suum Confessarium elegerit, Teque sibi, etiam dum iter agit, semper adesse velit; Tu verò illam iter agentem propter provectam tuam ętatem, viriumque imbecillitatem pedibus sequi nequeas, nec rheda tibi vehi liceat, attentâ expressâ Constitutionum dicti Ordinis prohibitione; Nobis propterea dicta Anna Maria Francisca Principissa humiliter supplicari fecit, ut Tibi in pręmissis opportunè providere, &, ut infra, indulgere, de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ipsius Annæ Mariæ Franciscæ Principissæ votis, quantùm cum Domino possumus, favorabiliter annuere, Teque specialis favore gratiæ prosequi volentes, & vestrûm singulares personas à quibusvis excommunicationis &c. harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Tibi, ac pro tempore existenti socio tuo, Ordinis prædicti Professori, ut de Superiorum licentia memoratam Annam Mariam Franciscam Principissam comitandi gratiâ, dum iter fecerit, quoties opus fuerit, rhedâ, seu aliô vehiculo liberè & licitè, ac absque ullius pænæ per Constitutiones prædictas quomodolibet impositæ incursu possitis, & valeatis, & vestrûm quilibet possit, & valeat, Auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, necnon dicti Ordinis, etiam juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus & singulis, illorum tenores pręsentibus pro plenè, & suffici-

cienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice duntaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die IX. Novembris MDCCXVIII. Pontificatus nostri Anno decimo octavo.

F. Card. Oliverius.

Cuilibet Christifidelium Ecclesiam Lauretanam Fratrum Pragæ visitanti, semel in anno, indulgentiam plenariam largitur.

BENEDICTUS PP. XIV.

Universis Christifidelibus præsentes litteras inspecturis salutem & Apostolicam benedictionem.

Ad augendam fidelium Religionem, & animarum salutem cælestibus Ecclesiæ thesauris piâ charitate intenti, omnibus utriusque Sexûs Christifidelibus, verè pœnitentibus & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui Ecclesiam B.M. Virginis Lauretanæ Fratrum Ord. Min. S. Francisci Capucinorum nuncupatorum, Civitatis Pragensis, ad quam, ut asseritur, devotionis causâ magnus populi Christiani, & præsertim Peregrinorum fit concursus, in quocunque anni die devotè visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem, semel tantùm quolibet anno per unum quemque Christifidelium lucrifaciendam, misericorditer in Domino concedimus. Præsentibus ad septennium valituris. Volumus autem, ut, si pro impetratione, præsentatione, admissione, seu publicatione præsentium aliquid, vel minimum detur, aut sponte oblatum recipiatur, præsentes nullæ sint.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XVI. Novembris MDCCXL. Pontificatûs nostri Anno primo.

D. Cardinalis Passioneus.

Breve formatum in Archivo Provinciæ.

N O T A.

Opus Lobkovitzianæ pietatis est celebris hæc Capella, amplo ære fundata, & Fratrum nostrorum spirituali curæ commissa, instrumento legitimè erecto, & tum ab Augustissimo Imperatore Leopoldo, tum ab ejus Filio, Augustissimo pariter Imperatore, Carolo VI. confirmato, ut sequitur.

Nos Carolus Sextus, Dei gratiâ Romanorum Imperator electus, semper Augustus, Germaniæ, Hispaniæ, Hungariæ, Boemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ Rex; Archi-Dux Austriæ, Marchio Moraviæ, Lucemburgi, &c. Silesiæ Dux, Marchio Lusatiæ &c.

His literis palam profitemur, & notum facimus quibuscumque, quod Nos Venerabilis Noster, dilectus, devotus Frater Ludovicus Antonius Iglaviensis Ordinis Capucinorum, Provinciæ Boemiæ Provincialis, submississimè rogaverit, quatenus Nos à Nostri Colendissimi Domini Parentis Leopoldi I. Majestate, & amabilitate Gloriosissimæ memoriæ, jam Anno 1676. ratificatum, & confirmatum Comitis Lobkovitz fundationis instrumentum, vi cujus Pragæ in Hradschin à prænominata Familia cum Cæsareo & Regio, ac etiam Pragensis illius temporis Archi-Episcopi consensu ædificata, & Comitum Lobkovitzianorum Dominio, Bylin dicto, inhærente capitali viginti millium Florenorum dotata Capella Lauretana cum appertinentiis contiguè situato Capucinorum Monasterio in spiritualibus tradita, & incorporata, mentionatæ autem Comitum Lobkovitzianorum Familiæ Jus Patronatûs, uti etiam Jurisdictio, administratio, ordinatio, & dispositio supra temporalia, & omnia huic fundationi & dotationi annexa, & appertinentia, reservata fuerunt, similiter clementissimè confirmaremus: Cujus tenor de verbo ad verbum sonat, ut sequitur.

Nos Leopoldus, Dei gratiâ electus Romanorum Imperator, semper Augustus, Germaniæ, Hungariæ, Boemiæ, Dalmatię, Croatię, & Sclavonię Rex, Archi-Dux Austrię, Marchio Moravię, Dux Lucemburgi, &c. Silesiæ, & Marchio Lusatię &c.

His literis palam profitemur, & notum facimus quibuscumque, quod Nobis Venerabilis noster, dilectus, devotus Fr. Marquardus Halberstadiensis PP. Capucinorum Provinciæ Boemiæ Minister Provincialis submississimè proposuerit, qualiter olim Benigna Catharina Popelin de Lobkovitz ex divina inspiratione ante viginti aliquot annos cum consensu Nostri in Domino quiescentis Colendissimi D. Avi Ferdinandi II. gloriosissimæ memoriæ, ac etiam Ernesti Adalberti, Cardinalis ab Harrach, olim Archi-Episcopi Pragensis, Capellam Beatæ Virginis Marię, a Laureto dictam, Pragæ in Hradschin fundaverit, eandem suis propriis sumptibus liberè ædificaverit, dotaverit, & eandem suo PP. Capucinorum Conventui ibidem in perpetuum incorporaverit, cum obedientissima, & humillima supplicatione, ut, quoniam Fundatrix hanc suam voluntatem, propter intervenientem illius ab hac vita decessum, cum omnibus appertinentibus juris solemnitatibus implere non potuerit, eam verò nunc noster Camerarius, & Fidelis, dilectus, Wenceslaus Ferdinandus Popel, Baro de Lobkovitz, utpote illius hæres, juxta tenorem confecti, etiam à moderno Archi-Episcopo Pragensi novissimè approbati, & Nobis in Originali producti Instrumenti consecutivè adimpleverit, Nos illud pro majori illorum stabilitate, tanquam regnans Boemiæ Rex, ratificare, & confirmare clementissimè dignaremur. Quod instrumentum de verbo ad verbum ita sonat:

Ego Wenceslaus Ferdinandus Popel de Lobkovitz, Dominus Bylinę, & Liebschausę Romano-Cęsareę & Hungaro-Boemo Regię Majestatis actualis Camerarius.

Notum facio, & hisce palam profiteor coram quibuscumque, præsertim, ubi id necessarium. Postquam olim Illustrissima Domina D. Benigna Catharina nata, & nupta Popeliana de Lobkovitz, ex divina inspiratione ante multos annos cum clementissimo consensu suæ Cæsareę Majestatis Ferdinandi II. gloriosissimæ recordationis, ac etiam suæ Eminentissimæ Celsitudinis DD. Ernesti Adalberti, Sanctę Rom. Ecclesię Cardinalis, & Archi-Episcopi Pragensis, Capellam ad nostram Dominam a Laureto dictam, in Hradschin præmemoratæ Regiæ Civitatis Pragensis, unacum in circuitu adhærentibus ædibus, & abinde ad proximè adjacens Monasterium FF. Min. Ordinis S. Francisci RR. PP. Capucinorum ducto transitu, ex ferventissima erga Gloriosissimam Virginem Dei Genitricem Mariam devotione ex suis propriis sumptibus ædificaverit, atque, ut Deus in Sanctis suis semper zelosiùs colatur, devotio Fidelium erga Beatissimam Cœlorum Reginam augeatur, prædictis RR. PP. Fratribus Minoribus Ordinis S. Francisci Capucinis nuncupatis, Provinciæ Boemię, intuitu evidentis experientiæ, quàm salutaria & juxta conceptam sanctam intentionem, cultus divinus, & pietatis exercitia (per quorum administrationem in spiritualibus devotio ergam prædictam Capellam notabiliter aucta est) proficua fuerint, sæpe mentionatam Capellam B. Virginis à Laureto, cum omnibus in circuitu erectis cubiculis, ædibus, ambitu in omnibus spiritualibus, futuris, & perpetuis temporibus tradidit, & ita traditam habere voluit, ut prædicta Capella Lauretana cum appertinentibus, adhærentibus rebus, & ædibus, eorum Conventui, & Monasterio propriè incorporata, & in omnibus & singulis spiritualibus administrationibus, ordinationibus, dispositionibus, & exercitiis prædictæ Religionis Capucinorum, & in Hradschin p. t. præposito Guardiano Superiori, vel alteri ab A. R. P. Provinciali Capucin. ad hoc deputato Priori, ejusdem Ordinis, plenè subjecta esse debeat, ita, ut ab hoc Sacro Ordine nunquam, sicut neque illorum Monasterium, & Ecclesia, per aliquam personam tolli & aliis Sacerdotibus, vel Religiosis cujuscumque Ordinis, dari, vel tradi, neque ille à quopiam in sua administratione, ordinatione, dispositione, & exercitiis omnium spiritualium inquietari, tentari, & turbari possit. Præterea mentionatam Capellam Lauretum dictam, cum omnibus adhærentibus, & appertinentibus ad peragendum cultum divinum, & alia spiritualia exercitia providit, & dotavit, specialiter verò pro conservandis sartis tectis hujus Lauretanæ Capellæ, & illi adhærentibus, atque etiam pro procurandis ad perpetuam divini Cultus continuationem, & aliorum spiritualium exercitiorum necessariis requisitis, quomodocunque nominentur, de suis in Prædio Poskovvitz sibi per Regias Boemicas Provinciæ tabulas assecuratis quinquaginta millibus florenorum Rhenanorum, viginti millia, liberè in censum perpetuum assignare, tradere, & applicare voluit, & propterea non solùm instrumentum apponi, ad Pergamenum mundari, & ab illius temporis P. Provinciali Capucinorum Viennæ pro sua parte actualiter subscribi, & appositione sigilli sui Ordinis roborari curavit, sed etiam in suo lectulo mortis in suo condito, & Regiis tabulis Provinciæ in coloris olivei Quaterno Emptionum A. 1653. 14. Decembris B. 13. incorporato testamento & ultima voluntate §. 10. versu pariter expressam mentionem fecit. Præterea etiam constantis intentionis fuit, ut ad sæpe dictum Lauretum, ejusdem appertinentia, dispositionem, & dotationem jus patronatus, apud Popel-Lobkovitzianam Domum, & quidem quavis vice, apud Seniorem hujus Familiæ, & ab illa descendente linea remanere debeat, & jam dudum hanc bonam voluntatem olim Illustrissimus D. D. Christophorus Ferdinandus Popel de Lobkovitz, Supremus Provinciæ Præfectus Aulicus in Regno Boemiæ, meus Dominus Parens, tanquam olim Dominæ Fundatricis filius, primus proximus hæres, & eo tempore Senior Popel-Lobkovitziani stemmatis, nominis, insignis, & galeæ, & consequenter suæ Defunctæ D. Matris bonam intentionem, ad plenum, actualem, & perpetuum effectum deducere, tenore unius in suo scrinio reperti, propria manu correcti articuli hujus Lauretanæ fundationis voluit, interea autem morte decessit. Nihilominus ante suum obitum hoc Capitale virtute factæ, & Regiis Provinciæ Tabulis in sexto viridi quaterno recordationum An. 1656. die Sabathi, in octava Sancti Martini 18. Novembris sub Lit. C. 28. incorporatæ transactionis, cum olim Excellentissimo D. de Rothal, Prædium Poskovitz ab omnibus eidem adhærentibus Hypothecis, & debitis mundavit, & ea de causa ad Lauretanam Capellam fundata viginti millia florenorum Rhenanorum à mentionato Prædio Poskovitz abstulit, ac ad Dominium Bylinense transtulit, & in illo hypothecavit.

Ea propter virtute horum pro exequenda præmemoratæ Dominæ D. Benignæ Catharinæ Popelianæ de Lobkovitz, & mei D. Parentis intentione per hoc publicum instrumentum mentionata prius Poskovitzio inhærentia, jam verò ad Bylinium assumpta, & in illo hypothecata viginti millia florenorum Rhenanorum in censum perpetuum, & ir-

& irredimibilem ac inalienabilem sæpe mentionatæ Lauretanæ Capellæ attribuere, appropriare, & tradere volui, ac etiam hisce trado & approprio, taliter tamen, ut administratio Capitalis viginti millium florenorum, atque etiam susceptio, & expositio inde cadentis interresse, sex pro Centum, quod annuatim facit mille ducentos florenos Rhenanos, semper maneat apud legitimum Successorem hujus Fundationis, & consequenter ad nil aliud, quàm unicè & solùm, ac præcipuè pro conservatione fabricæ Lauretanæ Cappellæ, & appertinentium, sincerè & honestè applicari debeat. Jus Patronatus verò hujus piæ fundationis debet apud me pro tempore vitæ meæ, post obitum verò meos descendentes Masculini sexus, & quidem qualibet vice apud Seniorem, & post illius mortalem obitum, iterum apud ejusdem Seniorem hæredem Masculum, & ita deinceps manere. In illorum defectu apud meum Agnatum, quamdiu tales in Popel-Lobkovitziana Familia hujus nominis, stemmatis, scuti & Galeæ persistent, in finali defectu Agnatorum, Cognatos proximos masculinos, tandem hisce cessantibus, Fœmininos Cognatos (ita tamen, ut quilibet Patronus, vel Patrona S. Rom. Ecclesiæ Catholicæ fidei deditus sit) esse & permanere, et penes hoc omnem jurisdictionem, administrationem, ordinationem, & dispositionem supra temporalia, & omne, quod huic fundationi, & dotationi annexum, & appertinens est, de jure habere & tenere debeat. Administratio verò in spiritualibus exercitiis debet, ut præmemoratum est, apud sæpe mentionatos PP. Capucinos omnibus, & perpetuis temporibus permanere.

Uti non minus, si per Dei gratiosam benedictionem, oblata & redditus hujus Capellæ ita accrescerent, & augerentur, volo, ut residuum ex hac fundatione, quod ad præpositum finem necessarium non esse agnosceretur, et ita hoc casu superfluum à Patrono tanquam eleemosyna, præcipuè RR. PP. Capucinis, dein domesticis pauperibus, & aliis necessitatem patientibus personis erogari debeat. In fidem, & firmitatem hujus erectæ piæ fundationis, & donationis, quæ post suæ Cæsareæ, & Regiæ Majestatis clementissimam ratificationem & confirmationem, ac etiam Archi-Episcopalem consensum, per consuetam ad hoc requisitam relationem, Regiis Provinciæ tabulis in Regno Boemiæ incorporari potest, & in vim supra positorum, ego unacum A. R. P. Marquardo Halberstadiense p. t. Provinciale Ministro, qui loco & nomine sæpe tacti Conventus RR. PP. Capucinorum in Hradschin in omnibus clausulis & punctis contentis eam ratam habuit, nostra sigilla apprimi curavimus, & nos propria manu subscripsimus, ac pro majori securitate, & confirmatione omni studio exoravimus Illustrissimum D. D. Bernardum Ignatium Borzitam, S. R. I. Comitem de Martinitz, Regentem Domus Smeizna, Dominum in Smeizna, Schlan, & Horzovitz, Equitem aurei Velleris, Romano-Cæsareæ, etiam Hungaro-Boemo-Regiæ Majestatis actualem intimum Consiliarium, Camerarium, Principalem Regium Locumtenentem, & supremum Burgravium in Regno Boemiæ, uti etiam Illustrissimum D. D. Wilhelmum Albertum Krakovvskii, S. R. I. Comitem de Kollovvrath, Dominum in Teinitzl, & Eichowitz, Romano-Cæsareæ Majestatis actualem intimum Consiliarium Camerarium, Regium Locumtenentem, & supremum Judicem Principalem in prædicto Regno Boemiæ, ut se tamquam testes (citra tamen suum & hæredum suorum damnum, & præjudicium) penes nos subscripserint & simul firmaverint. Actum Viennæ 22. Octobris Anno 1676.

W. Ferdinandus P. C. de Lobkovitz.
B. I. B. C. de Martinitz.

Fr. Marquardus Halberstadiensis Capucinorum Minister Provincialis.
Wilhelmus Albertus Comes de Kollowrath.

Autograph. in Archivo Provinciæ.

Joannes Fridericus, Dei gratiâ Archi-Episcopus Pragensis, S. R. I. Princeps, & Comes de Waldstein, Legatus natus, Regni Boemiæ Primas, Sacri Equestris Crucis Ordinis cum rubea Stella per Boemiam, Moraviam, & Silesiam, Poloniam supremus, &c. Generalis Magister.

Virtute Archi-Episcopalis jurisdictionis, & potestatis supra positam Lauretanam fundationem in omnibus clausulis, punctis, sicut de verbo ad verbum sonat, ad literam, & sensum approbamus, ratificamus, & confirmamus. Ad hoc etiam clementer volumus, ut ab omnibus ita agnoscatur, firmiter observetur, & nil in contrarium introducatur, quod eidem noxium, aut in uno vel altero quidquam derogare possit. In fidem Nos propria manu subscripsimus. & nostrum consuetum sigillum apprimi curavimus. Actum Pragæ in nostra Archi-Episcopali Residentia 7. Novembris 1676.

Joannes Fridericus Archi-Episcopus Pragen.

Joannes Franciscus Liepure Assessor, & Cancellarius.

Dum igitur Nos clementissimè consideramus, quod hæc Fundatricis pia intentio honorem Dei, & venerationem Gloriosissimæ Virginis Mariæ, cui nos etiam ferventer addicti sumus, respiciat, ac etiam per tale instrumentum prædicti PP. Capucini eò melius stabiliantur.

Eapropter Nos deliberato animo, bono præmisso maturo consilio Nostrorum Nobilium, Fidelium, Dilectorum, Consiliariorum, & certa scientia supra insertum fundationis instrumentum, tanquam Regnans Boemiæ Rex omnimodè clementissimè ratificavimus & confirmavimus, intendimus, ponimus, ordinamus, & volumus, ut sæpe dicti PP. Capucini in Hradschin omnes, & singulas spirituales administrationes, exercitia, ordinationes, dispositiones, & directiones, supra sæpe dictam Capellam Lauretanam in perpetuum habere, & illis omnibus, ut supra positum, & instrumento comprehensum est, quietè uti, frui, & gaudere, et a nemine, sive Religiosis, sive Sæcularibus in contrarium inquietari, et impugnari debeant.

Et insuper præcipimus omnibus, et singulis nostris modernis, et futuris Locumtenentibus, supremis Provin-

ciæ Officialibus, et Judicii Principalis Assessoribus, etiam omnibus nostris Subditis, qui, cujuscumque dignitatis, status, et officii, vel actus, sunt in nostro hæreditario Regno Boemiæ, ut hanc à prius memorata Benigna Catharina Popeliana de Lobkovitz factam, et à Wenceslao Ferdinando de Lobkovitz adimpletam fundationem Lauretanæ Capellæ, atque hanc nostram subsecutam illius ratificationem, et confirmationem omnimodè conservent, et sæpe dictos PP. Capucinos in eadem efficaciter tueantur, et manuteneant, nil in contrarium faciant, neque aliis, quicunque sint, facere admittant sub evitatione nostræ gravis pœnæ, et disgratiæ. Hoc seriò intendimus.

In fidem hasce literas munivimus nostro Cæsareo, et Regio appenso majori sigillo, quæ datæ sunt in nostra Civitate Viennæ decima octava die Mensis Novembris post Christi Domini, et Salvatoris nostri gratiosam Nativitatem Anno millesimo sexcentesimo septuagesimo sexto, Regnorum nostrorum, Romani decimo nono, Hungarici vigesimo secundo, Boemici vigesimo primo.

Leopoldus.

Ad mandatum Sac. Cæs. Regiæque Majestatis proprium Adolphus Wratislaus Comes de Sternberg.

Dum igitur Nos clementissimè consideramus, quod hæc honorem Dei, et venerationem Gloriosissimæ Virginis Mariæ, cui etiam ferventissimè dediti sumus, respiciant, atque etiam per tale confirmationis instrumentum dicti PP. Capucini eò meliùs stabiliantur.

Eapropter Nos deliberato animo, præmisso bono maturo consilio Nostrorum Nobilium, Dilectorum, Fidelium Consiliariorum, et cum certa scientia præinsertum fundationis instrumentum, tanquam Regnans Rex Boemiæ pariter clementissimè confirmavimus. Hoc agimus, & illud etiam scienter, præsentibus & virtute harum literarum confirmamus, intendimus, ponimus, ordinamus, & volumus, ut sæpe dicti PP. Capucini in Hradschin omnes & singulas spirituales administrationes, exercitia, ordinationes, dispositiones, & directiones supra sæpedictam Lauretanam Capellam In perpetuum habere, & omnibus supra positis, & in instrumento contentis quietè uti, frui & gaudere, & à nemine, neque Religiosis, neque Sæcularibus in eo inquietari, & impugnari debeant.

Ex his præcipimus omnibus, et singulis nostris modernis, et futuris Regiis Locumtenentibus, supremis Provinciæ Officialibus, et Judicii Provincialis Assessoribus, etiam omnibus nostris Subditis, cujuscumque dignitatis, status, et actus, qui in nostro hæreditario Regno Boemiæ persistunt, ut hanc à memorata Familia Lobkovitziana erectam, à Nostro Colendissimo D. Parente Leopoldo I. piissimæ memoriæ confirmatam fundationem Capellæ Lauretanæ, atque hanc nostram pariter subsecutam clementissimam Confirmationem omnimodè observent, et sæpè dictos PP. Capucinos apud eandem protegant, et manuteneant, in contrarium non faciant, neque ab aliis, quicunque etiam essent, fieri permittant, sub incursione gravis pœnæ, et disgratiæ. Hoc seriò intendimus.

In fidem hæ literæ, signatæ nostro Cæsareo, et Regio appensò majori sigillo, datæ sunt in nostra Civitate Viennæ vigesima quarta die Mensis Novembris Anno millesimo septingentesimo vigesimo primo, Regnorum Nostrorum Romani undecimo, Hispaniarum decimo nono, Hungarici, et Boemici etiam undecimo.

Carolus.

Leopoldus Comes Schlick Cancellarius.

Ad mandatum S. C. Regiæque Majestatis proprium Wilhelmus Krakowsky Comes à Kolowrath.

Joannes Christophorus de Jordan.

Præter amplam fundationem temporalem fruitur hæc Capella spirituali, varioque Indulgentiarum thesauro, videlicet Indulgentiis plenariis (præter supradictas) pto Oratione 40. horarum, in una Dominica cujuslibet mensis, in festo Annuntiationis B. V. Mariæ, & in aliis ejusdem Solemnitatibus Indulgentiis 7. annorum & totidem quadragenarum: Indulgentiis 7. Altarium duodecim vicibus per annum, Indulgentiis solitis pro feriis Sextis Martii &c. Reperitur in ea pariter Altare tribus vicibus hebdomadatim privilegiatum, habentque & contiguæ Capellæ in festis Patronorum Titularium Indulgentias plenarias &c.

PROVINCIA VIENNENSIS,

SEU

AUSTRIACO = HUNGARICA.

QUantùm heroicâ virtute, & Sanguinis ſplendore ſemper Auguſta Domus Auſtriaca Religionem noſtram beneficiis cumulaverit, encomiis celebraverit, & præſidio in Curia Romana foverit, ſolus ille, qui in Ordinis, & Sæculi hiſtoria alienus eſt, ignorat; hinc, ſicut effuſam communis benevolentiæ ſeriem hîc dari ſupervacaneum reor, ita magnalia, quæ Provinciæ Viennenſi fecit, ſpecialia, recenſeri dignum, juſtumque exiſtimo.

Præprimis, religioſum Fratrum noſtrorum zelum Curiæ Romanæ illuſtri teſtimonio commendare ſæpius dignata eſt, quod peculiariter elucet ex Litteris Auguſtiſſimi Imperatoris Ferdinandi III. ad Emin. D. Cardinalem Columna datis, ut ſequitur:

FERDINANDUS TERTIUS &c.

Reverendiſſime Pater.

Ubi percepimus brevì Capitulum Generale Ordinis Capucinorum in Urbe fore, non potuimus, quin Sanctitati Suæ Patres noſtrarum Provinciarum hæreditariarum ac Imperii commendaremus, uti Reverendiſſima Paternitas Veſtra ex annexis uberiùs intelliget. Et cum compertum ſit, Fratres hujus Ordinis in Vinea Domini bene, ac diligenter operari, magnumque fructum, tam Confeſſiones Sæcularium excipiendô, quàm Verbum Dei prædicando facere, deſideraremus illos in veteri utriuſque exercitio conſervari: quo fine etiam Rm̃a Paternitas Veſtra officia ſua, tum apud Suam Sanctitatem, tum alibi, ubi expedit, jungere, eòque rem perducere velit, cupimus, ne per

ali-

aliquam aliam dispositionem, & Ordo & Religio in aliquod discrimen adducatur, salusque Animarum in his potissimum Imperii, Ditionumque nostrarum partibus detrimentum patiatur, neve Populus noster spirituali, quod hactenus per hunc Ordinem Capucinorum hauserat, solatio destituatur. Quod sicut in Ordinis, ac Ecclesiæ bonum cedit, ita id à sententia eventurum confidimus, Nobisque imprimis gratum fore, Rm̃a Paternitas Vestra credat, velimus. Cui prægnantem affectum Cæsareum in omne tempus confirmamus. Datum in Arce nostra Laxenburgi, die 28. Maii Anno 1650.

Repetiit idem, Augustissimus, Litteris, ad ipsum summum Pontificem exaratis, sub tenore sequente:

BEATISSIME PATER.

Non dubitamus Sanctitati Vestræ optimè constare, quòd tam in Romano Imperio, quàm Regnis, & Provinciis nostris hæreditariis, Ordo Capucinorum passim vigeat, & hac maximè tempestate floreat, adeo, ut sibi penes omnes, tam majoris dignitatis, quàm minoris classis, & conditionis homines non exiguum comparaverit affectum: & quod caput est, apud eos etiam, qui aliâ censentur Religione, propensionem præ reliquis conciliaverit, quorum magna in Imperio copia, nec non in Provinciis nostris aliquis adhuc reperitur numerus, & semina hæreseos nondum plenè expurgata, eliminataque sunt. Quæ omnia inde vel maximè originem ducunt, quod ejus Ordinis Fratres monasticæ præsertim invigilent disciplinæ, ac Vineam Domini diligenter excolant, inque Verbo Dei deprædicando singularem exhibeant zelum, necnon in excipiendis sæcularium Confessionibus, juxta Populorum desideria, assiduos & sollicitos se præbeant; unde uber ac copiosus Religionis, Animarumque salutis fructus ex utroque emergit, ac penè necessarium videtur, ut his incumbant functionibus, cùm in plurimis tam Imperii, quàm Provinciarum nostrarum partibus sufficiens Clericorum, Sacerdotumque numerus haud habeatur, per quos ejuscemodi functiones exerceri, tum maximè Confessiones ab omnibus excipi possint, quibus illi adminiculantur, magnumque referunt salutis commodum: Quod si secus fieret, non exiguum Religionis, ac Animarum dispendium pertimescendum esset. Hinc est, quod, cùm brevî illius Ordinis Capitulum Generale in Urbe fore perceperimus, Sanctitatem Vestram eâ, quâ semper solemus, filialî observantiâ rogatam cupiamus, velit prædictos Fratres in prædicandi Verbi Dei, ac præsertim excipiendarum Confessionum exercitio ulteriùs conservare, nec aliud quidpiam in contrarium admittere; vergeret enim illud in hisce potissimum partibus tam in Ordinis discrimen, quàm ipsius Religionis detrimentum, quippe quò plures in Vinea Domini Operarii, quòque crebriores Dei Verbi Præcones efficiuntur, eò majus Ecclesiæ, salutisque Animarum resurgat incrementum, necesse, maximè si illud ipsum desideriis populorum deserviat, quod summæ sibi curæ Sanctitas Vestra semper habuit, & Nos id quoque prægnanti observantiæ nostræ studio rependere conabimur, Deum optimum maximum precantes, ut Sanctitatem Vestram pro universalis Ecclesiæ bono diu sospitem conservet.

Datum in Arce nostra Laxenburgi, die 28. Maii 1650.

Sanctitatis Vestræ

Filius

Ferdinandus Tertius.

Dum

Dum & idem Imperator ſalutare Reformationis opus in Boemia, & Auſtria, zelo Patris ſui Ferdinandi II. ductus continuari decrevit, non ſolùm Fratres noſtros in partes ſuæ ſollicitudinis, & DD. Parochorum ſubſidium delegit, ſed ipſemet etiam cum iis Fratribus, qui lege Conſtitutionum Ordinis Noſtri ad vineæ cultum exire necdum poterant, diſpenſari clementiſſimè requiſivit, datis ad Emin. D. Cardinalem Columna Litteris ita ſonantibus.

FERDINANDUS TERTIUS &c.

Rm̃am Paternitatem Veſtram celare non poſſumus, Nos pro ſingulari, quô erga Deum, ejuſque S. Eccleſiam ferimur, pietatis ac Religionis cultu in id nunc ſtudium incumbere, ut omnium noſtrorum Regnorum, Provinciarumque ſubditi, & eorum adhuc à via ſalutis aberrantes Animæ ad veram Orthodoxam Fidem reduci queant: & idcirco tam in Boemia, quàm Auſtria ſalutare Reformationis opus inſtituiſſe, ac inter alios etiam Patres Capucinos eò requiſiviſſe, ut operam ſuam huc conferrent, & hujus operis aſſidui, ac ferventes eſſent Coadjutores, Promotoreſque.

Et quia non dubitamus dictos Patres hac in Vinea Domini operam ſuam ſtrenuè navaturos & pro poſſe laboraturos: Cum verò eos ad excolendam vineam, & promovendam hanc Dei cauſam ſufficienti Operariorum ad hoc neceſſariorum numero deſtitutos intelligamus, qui porro defectus inde ſuppleri poſſet, ſi Provinciali Boemiæ & Auſtriæ liceret, certum numerum Clericorum Ordinis Profeſſorum, qui quinquennium, aut etiam ſexennium in Religione abſolverunt, & aliàs idonei ſint, ad Sacerdotium promovere, necnon Studioſos Conventûs Lincenſis, quibus ad ſtudii complementum juxta Ordinis Conſtitutiones unus annus deeſt, ad officium Concionatorum admittere, qui capaces & idonei ad illud ſint.

Quare, ne noſtrum ſalutare propoſitum ob defectum Operariorum ulla ex parte impediatur, quinimo eò magis promoveatur, ideo Rm̃am Paternitatem Veſtram impensè cupimus requiſitam, velit Miniſtro Generali Ordinis intentionem noſtram, ac vota pluribus explicare, & modîs omnîbus elaborare, ut Is permittat, ac Boemiæ, & Auſtriæ Provinciali expreſſam licentiam, & facultatem impertiatur, quatenus ille circa Clericos Profeſſos, & Studioſos Lincenſis Conventûs, ſuppoſita, ut ſuprà, idoneitate, de non completo annorum numero diſpenſare, eoſque reſpectivè ad Sacerdotium, & Concionatoris munus adhibere poſſit, & valeat.

Quod eò magis fore confidimus, cùm id ad Religionis, cauſæque Dei promotionem, & in ipſius etiam Ordinis bonum & augmentum cedat. Quod pergratum habituri, Rm̃æ Paternitati Veſtræ benevolentiæ noſtræ affectum in omne tempus confirmamus. Datum Pragæ die 9. Septembris Anno 1652.

Diſpenſatio ut certiùs ſubſequeretur, dedit & ad P. Miniſtrum Generalem ſimilis tenoris litteras, & ſequentes.

NOS FERDINANDUS TERTIUS &c.

Celare vos noluimus, Nos pro eximio noſtro in Deum, ejuſque Eccleſiam devotionis ſtudio, in Regnis & Provinciis noſtris, ac in Boemia & Auſtria præſertim, ſalutare Reformationis opus proſequi, ac à vera ſalutis via aberrantes ſubditos noſtros, ad Fidem Orthodoxam, verumque ovile Chriſti Salvatoris noſtri reducere conſtituiſſe, ac inter reliquos quoque Patrum Capucinorum operâ uti decreviſſe: non dubi-

dubitantes, eos insignes & sollicitos Reformationis Ministros, Sanctaque Religionis Cooperatores fore. Verùm, cum sufficienti Operariorum ad hoc necessariorum numero hodie carere videantur, eò, quod certo stringantur termino, intra quem nec Sacerdotium, nec Concionatoris munus, Fratribus, quamvis idonei & capaces sint, conferre liceat. Idcirco ad promovenda Reformationis vota, quæ etiam in ipsius Ordinis vestri augmentum cedunt; à Vobis benignè petimus, velitis P. Provinciali Boemiæ & Austriæ expressam obedientiam & facultatem impertiri, ut possit & valeat certum numerum Clericorum Ordinis Professorum, qui quinquennium, aut etiam sexennium in Religione absolverunt, & idonei reperiuntur, ad Sacerdotium promovere, necnon studiosos Conventûs Lincensis, quibus adhuc ad studii complementum, juxta Ordinis Constitutiones, unus annus deest, ad officium Concionatorum admittere. Quod cum in Religionis, causæque Dei promotionem, & in ipsius etiam Ordinis vestri bonum vergat, omnino à vobis exspectamus, uti de eo quoque Rmus Cardinalis Columna Vobiscum conferet, mentemque nostram ulteriùs explicabit. Id quod pergratum habituri, gratiæ nostræ Cæsareæ affectum Vobis, totique Ordini vestro confirmamus.

Datum Pragæ Die 9. Septembris Anno 1652.

Ne quoque Conventum Viennensem Fratrum extraneorum accursu gravari, illiusque quietem turbari contingat, tales sine expresso Cæsareæ Majestatis assensu, ultra tres vel quatuor dies ibi detineri, Augustissimus Imperator Carolus VI. inhibuit, Decretum aliàs desuper emanatum renovando, sub tenore sequenti.

Sacræ Cæsareæ, necnon Hispaniarum, & Hungariæ, Bohemiæque Regiæ Majestatis, Archiducis Austriæ, Dñi N. Clementissimi nomine, Patri Ephrem, Ordinis Capucinorum Conventûs hîc Viennæ Guardiano, hisce perbenignè significandum: reiteratis hucusque vicibus recentissimè Aulæ expositum fuisse, quod spretis superiorum temporum seriis inhibitionibus Cæsareis denuo nonnulli sacri hujus Ordinis Religiosi ab aliis extraneis Provinciis non sine gravi Conventuum, præcipuè verò hujatis Viennensis dispendio & molestia, absque prævio Sacræ Majestatis Suæ assensu, & permissu in Austriæ Ditiones venire, nullâque temporis habitâ ratione ad libitum hic commorari, & non solùm Aulam Cæsaream, verùm etiam alios Celsissimos Principes, & Magnates importunis suis accessibus lacessere præsumant. Cum autem, uti compertum habetur, in aliis exteris Regnis & Ditionibus ejusmodi Advenæ Religiosi Patres & Fratres sine prævia supremi Terræ Principis licentia non admittantur, qua de causa id etiam hîc nullatenus amplius concedendum, sed publicis Ordinationibus, & bonæ disciplinæ magis consentaneum esse videtur, ut præfati Advenæ potius longè hinc retineantur, & consultiùs in iis Provinciis, ubi in sortem Domini vocati sunt, vitam, & mores contineant. In quem finem itaque nòn immeritò altissimè præmemorata sua Sacra Majestas prioribus nuper ab utraque gloriosissimorum quondam Prædecessorum felicissimæ recordationis Majestate, desuper emanatis severis inhibitionibus recenter insistendo, clementissimè resolvit, atque hujus tenore Decreti seriò mandat, & præcipit, ut in hujate Viennensi Conventu futuris temporibus nullus Religiosus hospes extra isthanc Provinciam professus, absque speciali benigno Majestatis Suæ consensu ultra tres, vel quatuor dies detineatur, minùs unquam illorum aliquis sub quocunque prætextu ad Aulam Cæsaream (nisi ob urgentissimam causam Augustissimæ Majestati ritè prius propositam, & ab eadem ratihabitam) recurrere amplius permittatur; secus facturus gravissimam Aulæ Cæsareæ indignationem non evitaturus: hujus vigore Decreti Aulici Majestatis Suæ Cæsareæ Sigillo secretiore muniti, quod datum est Viennæ,

næ, die vigesima octava Mensis Novembris Anno millesimo septingentesimo decimo septimo.

Georgius Fridericus de Sclick.

Apici hujus Decreti inhæret moderna Augustissima Regina, & Imperatrix Maria Theresia, & illius observantiam PP. Superioribus iteratò jam inculcavit.

Præter charitatem, quâ Conventus omnes Provinciæ æquè, ac Statuum hæreditariorum dignatur, in ipso hujus Provinciæ sinu quatuor Monasteria à fundamentis erexit, videlicet illud Viennæ intra Urbem, Linciense ad S. Mathiam nuncupatum, Gmundense, & Vypalanckense, ultimo Hungariæ bello à Turcis totaliter combustum. Fratres nostros pro Altaris sui ministerio, & Missæ Sacrificiis, in Capella Cæsareo-Aulica, & Cameræ quotidie celebrandis, inter omnes, qui Viennæ degunt, Religiosos selegit. Residentiam æstivalem novissimè, Cæsareo Palatio Schönbruniano vicinam, pro novem Fratrum statione, jubente altefatâ Augustissimâ Imperatrice, & Regina Maria Theresia construxit, & alimoniam toto incolatûs tempore iis subministrari disposuit: Non solùm Fidei Fratrum Conventûs intra Urbem Sacrum thesaurum, commixto argenti, auri, & gemmarum apparatu pretiosissimum commisit, verùm etiam, ut affectus post mortem perennaret vivus, sepulturam suorum Cadaverum in Capella, seu Crypta Sacra ad hunc finem in Ecclesia nostra aptata delegit, prout fusior desuper sequitur relatio. Hinc Provinciæ huic manet justa sacris verbis gloriandi ratio, quod *Mamillâ Regum*, Imperatorum, & Archiducum *lactetur*, & exuviarum illorum honorata maneat Custos.

Nomen suum mutuat ab ipsa Archiducum, & Cæsarum Sede, Vienna, Austriæ inferioris Metrocomia, vel, cum Austriam, & Hungariam comprehendat, ex conflato utriusque statûs etymo se Austriaco Hungaricam scribit.

Apostolicus animarum zelus, effuso Fratrum sanguine, & ipsâ in odium Fidei illatâ morte celebris, ei coætaneus, & suæ originis scopus est: non enim Germania recipere consuevit Fratres, qui sacræ contemplationis otio sibi soli vivunt, sed eos amat, qui, dum largâ eleemosynâ fruuntur, eam divinæ prædicationis, & Sacræ Poenitentiæ Ministerio, ac hæreticorum convertendorum labore, benevolentiæ & communionis memores, compensant. Fulsit autem fatus in hac Provincia zelus eâ semper claritate, ut non solùm annuatim ingenti Poenitentium numero sacræ exomologeseos beneficium impendat, verùm etiam plures à Fide vera devios ad semitam salutis deducat. Tempore quoque prædictæ Reformationis fuit eousque felix Fratrum labor, ut uno eodemque anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo tertio, septemdecim mille, ducentos, & quadraginta hæreticos operâ Fratrum nostrorum ad Ecclesiam primitivorum Dei transiisse, Annales Provinciæ referant.

Jam prius verò Leopoldus Guilielmus, Archidux Austriæ, Episcopus Passavii &c. Verbum Dei in ore Fratrum ita foecundum probavit, ut eos non solùm plurium Ecclesiarum Concionatores ordinarios constitui, sed etiam, Parochis ad prædicandum impeditis, iis privativè pulpita committi mandaverit, Diplomate sequenti.

Nos Leopoldus Guilielmus, Dei gratiâ Archidux Austriæ, Dux Burgundię, Styrię, Carniolię, Carinthię & Wirtenbergę, Administrator Supremi Magisterii in Borussia, & Commendans Ordinis Teutonici in Germania, & Italia, Episcopus Argentinę, Halberstadii, Passavii & Olomucii, Administrator Ducalium fundationum Herchsfeld, Murbach, & Luders, Comes Tyrolis & Goritię &c.

Significamus, & publicè hisce profitemur, qualiter Nobis veridicè relatum fuit; Patres Capucinos diversis in locis sub Diœcesi Passaviensi & Olomucensi, videlicet in Parochialibus Ecclesiis, Passavii ad S. Paulum, & S. Severinum, Viennæ ad Scalas Marianas, Lincii in Hospitali, Gmundæ, Welsii, Freystadii, Crembsii, Steini, Styræ in Parochia & Hospitali, Corneoburgi, Tulnæ, Pruggi ad Laytham, & Waidhoviæ: necnon in Moravia Olomucii in Cathedrali, Brunæ, Nicolspurgi, & Viscoviæ per aliquot jam annos Verbum Dei plausibiliter prædicasse, tanto quidem cum fructu, & Animarum lucro, ut singularem & benignissimam obinde hauserimus complacentiam, & satisfactionem. Ne idcirco prædicti Patres in suscepto prædicationis munere, & Apostolico suo zelo futuris turbentur aut præpediantur temporibus, aut cùm unius, aut alterius Parochi mutatione, novoque superveniente dissordo introducatur, vel causetur, aut quocunque modo ordo violetur, hinc concedimus, ac harum virtute clementissimè indulgemus, ut Patres Capucini in prælibatis locis, cum præscitu tamen, & consensu Parochi localis, Conciones imposterum singulis diebus Dominicis & Festivis imperturbatè non tantùm continuare valeant, sed insuper volumus, & præcipimus, ut casu, quo unus, alterve Parochus in præspecificatis locis, nunc & futuris temporibus, Cathedram in Persona propria conscendere aut non possit, aut non velit, ea Patribus Capucinis, & nulli alii committatur, aut concredatur. Quocirca mandamus benignissimè utrique nostro Passaviensi & Olomucensi Officiali, ut sæpedictos Patres Capucinos in hac causa defendere, eisque pro temporis & causæ exigentia, assistentiâ suâ favere non intermittant. In cujus rei fidem & firmitatem hocce Decretum manu propria subscripsimus, & nostro Archiducali intimæ Cancellariæ Aulicæ sigillo roborari fecimus. Actum Viennæ Die 2. Aprilis Anno 1644.

Leopoldus Guilielmus.

Dividit gloriam Virorum illustrium cum Provincia Bohemica tempore, quo eidem mansit unita; inter eos verò, quos vel ex ortu inter fines Provinciæ, vel ex alio titulo verè suos numerat, primum locum tenet Fr. Emericus à Commoromio, Hungariæ loco, quem præclara virtus secretiori Imperatoris Leopoldi Concilio commiscuit, primum inter Ultramontanos Capucinos, ad Episcopium, & quidem Viennense in Austria, evexit, & inter Principes S. R. Imperii solium gloriæ tenere fecit, uti in primo Bullarii tomo fol. 130. partim notatum est, & infra ampliabitur.

Nomen Fr. Ludovici à Rosenhemio posteritatis memoria eò tenaciùs apprehendet, cum singularis prudentia, & Religionis zelus in eo enituerit, & bina vice Definitor Generalis electus, Fratres exemplo humilitatis anteire studuerit, deforme existimans, ab iis, quos dignitate præstaret, virtute superari.

In Fr. Jovita Burgundo, qui in Austria Sacrum Habitum, & Viennæ quietis tumulum suscepit, & trium Conventuum in Silesia fuit promotor, par virtu-

tis

tis studium, gradus fuit, quo ad paris Generalis officii meritum factus est ascensus.

Idem Definitorii Generalis subsellium, pariterque bis occupavit Fr. Ildephonsus à Carlshoven, Austriacus, virtute ita clarus, ut Augustissimus Imperator Leopoldus Eum speciali affectu prosequeretur, Purpuratis Ecclesiæ Patribus, *ceu Virum eximiis anni dotibus, vitæ integritate raràque prudentia ornatum, ac quarumcunque virtutum prototypon* commendaret, eique de collato Definitoris Generalis officio cum litteris applauderet. In Belgio & Helvetia dum Visitatoris, & Commissarii Generalis munus exercuit, sua prudentiâ, præmium communis laudis obtinuit.

Auget & Provinciæ decus Nobilium cætus, qui dato vanitati mundanæ repudiô in ea florem suæ ætatis virtuti sacrârunt, & fuêre Fr. Amantius, Marchio de Malaspina, Fr. Franciscus ex Comitibus de Marades & Valentia, prius Cæsaris Camerarius, Fr. Joan. Maria ex Comitibus de Thun, Fr. Ludovicus à Goritia, ex Prosapia Comitum de Colloredo, prophetiæ dono præditus.

Quibus si & alios inferioris Nobilitatis, ac tum pietate, tum doctrinâ conspicuos Viros, quos coactus ego reticeo, jungas, reperies omni ex parte Provinciam insignem, quæ

Numerat Conventus Fratrum XXXII.
Residentias IV.

Facultatem absolvendi eos, qui Turcas vel liberârunt, vel occultârunt, Fratribus nostris concessam esse, Joanni ab Austria renuntiat, eidemque Fratres speciatim commendat.

A tergo: *Dilecto Filio, Nobili Viro, Joanni ab Austria.*

GREGORIUS PAPA XIII.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Concessimus inter alia dilectis Filiis Guardiano & Fratribus Capucinis, qui ad procurandam salutem Christifidelium classis, cui Tu summo cum imperio præfectus es, missi sunt, facultatem absolvendi eos, qui captivos Turcas vel liberârunt vel occultârunt. Quod quidem Tibi significandum duximus, ut intelligas Nos id nulla alia de causa, sed solùm tuo consilio fecisse, ne Tuorum animæ illaqueatæ remanerent, quod Te, & confœderatos bonam in partem accepturos esse confidimus. Quoniam autem peccatum dimitti non solet, nisi re ablatâ restitutâ, valde opportunum & expediens esse censemus ad servandas animas ipsas, ut Nobilitas Tua, cæterique fœderati vestro edicto captivos Turcas habentibus de præterito condonaretis, adjectis gravissimis pœnis, si id imposterum quisquam admittere ausus fuerit. Præterea eosdem Guardianum, & Fratres Nobilitati Tuæ ex animo commendamus; gratum enim habebimus, si quæ tua est insignis pietas, ipsi sentiant nostram hanc commendationem, quotiescumque acciderit, sibi plurimùm profuisse. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die XXX. Maii MDLXXII. Pontificatus nostri Anno primo.

Autog. in Arc. Secr. Brev. Apostolicorum reg. mens. & anni præd. f. 2.

FF. Mariano & Salvatori cum 2. Sociis in Persidem ad prędicandum ibi Evangelium eundi licentiam, instante Maximiliano Archiduce Austriæ, largitur.

A tergo: *Dilecto Filio, Nobili Viro, Maximiliano, Archiduci Austrię.*

CLEMENS PAPA VIII.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Piis Servorum Dei desideriis, ac studiis benignè, quantùm cum Domino possumus, favemus, idque tanto propensiùs, quando Catholicorum etiam Principum pro eis apud Nos preces intercedunt, præcipuè verò Nobilitatis Tuæ, quam singulariter amamus, & intra paterna viscera nostra gerimus. Quod igitur Religiosi illi Viri ex Ordine Minorum Capucini, quos Nobis diligenter commendâsti, Fratres Marianus, & Salvator, ac Socii duo, zelo Dei incensi ad Fidem Catholicam disse-

minandam, & pro sua virili, divinâ juvante gratiâ propagandam, in Persidem ire cupiunt, Nos in Dei misericordia & virtute confisi, qui infirma eligit, ut fortia confundat, & cui non est difficile in paucis, aut in multis magna operari, statuimus illorum devotionem nostro assensu comprobare, eisque proficiscendi in Nomine Domini licentiam impartiri, hoc etiam Nobilitatis Tuæ commendationi tribuentes. Deus igitur, qui humilibus dat gratiam, det eis spiritum humilitatis & fortitudinis, ut corroborati in interiori homine, & solam Dei gloriam quærentes, strenuè in amplissima illa vinea laborent, & fructum multum afferant in patientia, quibus etiam, ut Tua Nobilitas à Nobis petit, ut opus Dei rectè, & feliciter agant, & verbo, atque exemplo animas multas Christo lucrentur, nostram Apostolicam Benedictionem paternæ charitatis affectu impartimur.

Datum Romæ apud Sanctos Apostolos sub Annulo Piscatoris, die XXVI. Aprilis MDCIII. Pontificatus nostri Anno duodecimo.

Ex Archivo secreto Vaticano Regest. Brevium ad Principes *mens. & anni prædictorum fol.* 150. *à tergo*.

Michaeli Adolpho, Comiti de Althann, pro intento Redemptionis Fidelium sub servitute Turcarum detentorum opere, quatuor Fratres in subsidium mitti, P. Ministro, seu P. Procuratori-Generalibus injungit.

A tergo: *Dilecto Filio, Ministro Generali Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupatorum, seu ejusdem Ordinis Procuratori & Commissario Generali.*

URBANUS PAPA VIII.

Dilecte Fili, salutem, & Apostolicam benedictionem.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus Filius, Michael Adolphus, Comes de Althan, quod ipse Christifidelium sub misera Turcarum servitute detentorum statui pio charitatis affectu compatiens, ac illorum redemptionis opus promovere desiderans, quò id meliùs atque efficaciùs exequi valeat, quatuor tui Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Capucinorum nuncupatorum Religiosos secum habere, & propterea per Nos desuper, ut infra, opportunè provideri summoperè desiderat. Nos pium ac laudabile ipsius Michaelis Adolphi desiderium hujusmodi plurimùm in Domino commendantes, illumque specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis &c. supplicationibus ejus nomine &c. inclinati, Tibi, ut quatuor dicti Ordinis Religiosos, quos ad id magis habiles & idoneos in Domino judicaveris, ad opus redemptionis hujusmodi unà cum dicto Michaele Adolpho, seu ab eo deputando mittere, ipsis verò Religiosis sic mittendis in itinere per eos propterea faciendo, equo, vel curru sive rheda uti, liberè & licitè possis & valeas, ac possint & valeant, Apostolica auctoritate, tenore præsentium, licentiam & facultatem concedimus & impertimur. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, dictique Ordinis etiam &c. roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XV. Januarii MDCXXVII. Pontificatus nostri Anno quarto.

M. A. Maraldus.

Autograph. in Arch. Secret. Brevium Apost. Reg. mens. & anni præd. fol. 5.

SS. Reliquias, à Mathia Imperatore, & Anna ejus Conjuge, Capellæ Cæsareæ in Ecclesia Fratrum nostrorum Viennæ sitæ donatas, instante Ferdinando, pariter Imperatore, recipi concedit.

URBANUS PAPA VIII.

Dilecti Filii salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CUm, sicut nuper Vestro nomine Nobis expositum fuit, aliàs clar. mem. Mathias, Romanorum Rex, in Imperatorem electus, & deinde similis mem. Anna, illius uxor, dum viverent, nonnullas Sanctorum, & Sanctarum sacrarum Reliquiarum particulas, quas apud se legitimè habebant, Vobis & Ecclesiæ vestræ, ad effectum eas in Capella, Cæsarea nuncupata, in eadem Ecclesia sita, collocandi donaverint, & assignaverint, seu donari & assignari voluerint, illasque propterea ad effectum prædictum recipere posse summopere desideretis. Nos specialem Vobis gratiam facere volentes, & vestrûm singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque ecclesiasti-

cis

cis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus Chariſſimi in Chriſto Filii noſtri Ferdinandi, Romanorum Regis, in Imperatorem Electi, Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Vobis, ut ſacrarum Reliquiarum particulas hujuſmodi, dummodò expreſſus Venerabilis Epiſcopi Viennenſis ad hoc accedat aſſenſus, recipere, eaſque in dicta Capella debitis cum honore & reverentia inibi aſſervandas collocare, liberè, & licitè poſſitis, & valeatis, licentiam & facultatem Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium concedimus & impartimur, non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XIX Junii MDCXXV. Pontificatus Noſtri Anno ſecundo.

M. A. Maraldus.

Breve formatum in Archivo Provinciæ.

Non obſtante, quod dictæ S. Reliquiæ in vaſis argenteis &c. forent repoſitæ, illas ad uſum â Fratribus acceptari poſſe confirmat.

A tergo: *Dilecto Filio, Provinciali Fratrum Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, Provinciarum Bohemiæ, Auſtriæ, & Moraviæ.*

URBANUS PAPA VIII.

Dilecte Fili, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

ALiàs pro parte Dilectorum Filiorum Guardiani & Fratrum Domûs Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum Viennen. Nobis expoſito, quod aliàs clar. mem. Mathias, Romanorum Rex, in Imperatorem electus, & deinde ſim. mem. Anna, illius Uxor, dum viverent, nonnullas Sanctorum & Sanctarum ſacrarum Reliquiarum particulas, quas apud ſe legitimè habebant, eis & eorum Eccleſiæ, ad effectum illas in Capella, Cæſarea nuncupatâ, in eadem Eccleſia ſita collocandi, donaverant & aſſignaverant, ſeu donari & aſſignari voluerant, illaſque propterea ad effectum prædictum recipere poſſe ſummoperè deſiderabant. Nos ſupplicationibus chariſſimi in Chriſto Filii noſtri, Ferdinandi, Romanorum Regis, in Imperatorem electi, Nobis tunc ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, eiſdem Guardiano & Fratribus, ut ſacrarum Reliquiarum particulas hujuſmodi, dummodo expreſſus Venerabilis Fratris Epiſcopi Viennenſis ad hoc accedat aſſenſus, recipere, eaſque in dicta Cappella debitis cum honore & reverentia inibi aſſervandas collocare liberè & licitè poſſent & valerent, licentiam & facultatem conceſſimus, & aliàs, prout in aliis literis noſtris deſuper in ſimili forma Brevis expeditis, quarum tenores &c. volumus, pleniùs continetur.

Cum autem, ſicut Nobis denuo nuper expoſitum fuit, dictæ Reliquiæ in argenteis ſeu aliis pretioſis vaſis repoſitæ, & quò decentiùs aſſerventur, nonnullis aliis ornamentis magni valoris decoratæ exiſtant, quas dicti Guardianus & Fratres recipere & acceptare nequeunt, Nos ſupplicationibus dicti Ferdinandi Regis nomine Nobis iterum humiliter porrectis inclinati, Tibi per præſentes committimus & mandamus, ut Reliquiarum prædictarum in argenteis ſeu quibuſcumque aliis pretioſis vaſis, ut præfertur, repoſitarum, necnon ſacræ ſupellectilis & ornamentorum quorumcumque, pro dictæ Cappellæ ornatu ac ipſarum Reliquiarum decore confectorum uſum, non autem proprietatem, acceptes & recipias, ac per dictos Guardianum & Fratres acceptari & recipi cures & facias, ad effectum illas in Eccleſia, eà, quâ decet, reverentiâ, conſervandi: Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon Domûs & Ordinis prædictorum, etiam &c. roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die XXVI. Auguſti MDXXVII. Anno quinto.

M. A. Maraldus.

Autogr. in Secret. Brevium Apoſt. Reg. menſ. & anni præd. fol. 30. de quo Breve formatum in Archivo Provinciæ.

Di-

Dictas Sacras Reliquias ex Capella Cæsarea extrahi sub censuris vetat, & prohibitionis copiam in valvis Capellæ continuò affixam teneri jubet.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

CUm, sicut nuper pro parte Dilecti Filii Guardiani Domûs Fratrum Ordinis Minorum Sancti Francisci Capucinorum nuncupatorum Viennen. Nobis expositum fuit, Charissima in Christo Filia nostra, Eleonora, Charissimi etiam in Christo Filii nostri, Ferdinandi Romanorum Regis, in Imperatorem electi Conjux, in executionem piæ mentis, bonæ memoriæ Annæ, claræ memoriæ Mathiæ, similiter Romanorum Regis, in Imperatorem electi Conjugis, dictam Domum cum Ecclesia, & in eadem Ecclesia unam Capellam construxerit, in qua Mathias, & Anna prædicti sepulti sunt, eandemque Capellam, ejusque Sacristiam variis Sacris Reliquiis, & Reliquiariis, ac paramentis & ornamentis, aliâque sacra supellectile instruxerit & ornaverit, Nos Sacrarum Reliquiarum, & Paramentorum, ac aliorum præmissorum conservationi & manutentioni, quantùm cum Domino possumus, benignè consulere volentes, supplicationibus dicti Guardiani Nobis super hoc humilitèr porrectis inclinati, ne de coetero quisquam, quavis auctoritate fungens, Reliquias & Reliquiaria, nec non ornamenta, & paramenta, & cujusvis generis sacram supellectilem, & quævis alia dictæ Capellæ, aut ejus Sacristiæ hactenus quomodolibet donata & assignata, seu imposterum donanda & assignanda, ex dicta Ecclesia, seu Sacristiâ, vel Domo, sub quovis quæsito colore, vel prætextu extrahere, sive, ut extrahantur, permittere audeat seu præsumat, sub excommunicationis, & quoad Regulares etiam privationis vocis activæ, & passivæ poenis, per contrafacientes eô ipsô incurrendis, Apostolica auctoritate, tenore præsentium interdicimus, & prohibemus. Non obstantibus Constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac, quatenus opus sit, Domûs, & Ordinis prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâvis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, quod præsentis prohibitionis copia in valvis dictæ Capellæ, seu Sacristiæ, aut aliquo alio perspicuo loco, unde ab omnibus cerni possit, continuò affixa maneat.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXIV. Decembris MDCXXXII. Pontificatus nostri Anno decimo.

M. A. Maraldus.

Autog. in Arch. Brev. Apost. Reg. mens. & anni præd. fol. 741. *de quo Breve formatum in Arch. Provinciæ.*

N O T A.

OMni ex parte convenit, hîc individuari præcipuas Sacras Reliquias, cum parte supellectilis, quæ in Cæsarea hac Capella, ac Sacro Thesauro conservantur, & præcipuè sunt.

1. *Particula magna, aurô & smaragdo ornata de Sindone, quâ pretiosissimus Christi Domini sanguis exceptus fuit.*
2. *Statua, seu Imago B. V. Mariæ argentea, sub qua habetur Particula de Velo, seu peplo, ejusdem B. Virginis, in quo, divinus Pusio jacuisse traditur.*
3. *Similis statua argentea Divi Josephi, complectens particulam de illius Pallio.*
4. *Statua parva S. Sebastiani, ex rubro corallio formata, tenens particulam de vexillo, ac simul exhibens particulam de sacris ejus ossibus in corde aureo.*
5. *In effigie, seu statua pectorali argentea, Cranium S. Christinæ Virg. & Martyris.*
6. *In simili magna statua argentea pectorali, exterius deaurata, magna Particula de S. Thecla V. & M.*
7. *In Simili argenta Imagine pectorali, margaritis & gemmis pretiosissimis distincta, Cranium S. Agnetis Virg. & Martyris.*
8. *In speculo quodam ex Concha margaritifera formato, Reliquiæ S. Laurentii Mart. cum liquore, qui ex ejusdem Corpore in Craticula posito defluxisse dicitur.*
9. *In simili speculo Cranium S. Vincentii Martyris.*
10. *In pari speculo ex Concha Margaritifera Reliquiæ Episcopi Anglici, S. Thomæ à Cantuaria.*
11. *In æquali speculo Particula de S. Petro Veronensi Martyre.*
12. *In pretiosissima quadam argentea & deaurata magna Cista integrum Corpus S. Thimothei Martyris.*
13. *In argentea, ac deaurata Cistula, manus adhuc incorrupta S. Athanasii, Ecclesiæ Doctoris.*
14. *In simili Cistula incorruptus Pes cujusdam S. Innocentis Martyris.*
15. *Duæ Monstrantiæ, seu Ostensoria argentea, decore, magnitudine, ac ultra centum librarum pondere pretiosissima, comprehendentia plures sacras Reliquias, & ossa Sanctorum, in iis denominatorum.*
16. *In columna eburnea Particula de Sacra Virga, quâ Salvator noster flagellatus fuit. Pariter tres Particulæ de sanguinea Columna, cui Christus in flagellatione fuerat alligatus, ac Particula de mensa Sacræ Cœnæ Domini.*

17. *In*

17. *In duabus Crystallinis magnis tabulis*, *Reliquiæ seu ossa de duodecim Sanctis Apostolis*.
18. *In ebenina, aureo ornatu distincta Cista*, *Sacrum Caput*, *& ossa S. Maximinæ Virg. & Martyris*, *unacum lampade*.
19. *In Arca argentea*, *Reliquiæ SS. Fabiani & Sebastiani Mart.*
20. *In simili argentea arca, ossa S. Adriani Martyris*.
21. *In Crystallino vasculo*, *seu scypho Cranium S. Joannis Damasceni*, *Ecclesiæ Doctoris*.
22. *In simili vasculo, Reliquiæ S. Gregorii Papæ*.
23. *Item in tali scypho Reliquiæ S. Dionysii Martyris*.
24. *In æquali vasculo Reliquiæ S. Udalrici Episcopi*.
25. *In effigie seu statua pectorali argentea*, *pretiosis margaritis decorata*, *Particula magna de Cranio S. Joannis Baptistæ*.
26. *In quodam Capite ex ære formato*, *margaritis & corona ornato*, *Cranium S. Elisabethæ*, *Hungariæ Reginæ*.
27. *Integrum Caput*, *specioso cum ornatu*, *S. Bonifacii Mart.*
28. *Duo integra Capita*, *in æquali forma*, *duorum Fratrum Prothi & Hyacinthi Martyrum*.
29. *Integrum Caput ejusdem ornatûs S. Sysinii Martyris*.
30. *Caput similis ornatûs S. Exsuperii Martyris*.
31. *Caput similis ornatûs S. Prudentii Mart.*
32. *Caput similis ornatûs S. Honorii Martyris*.
33. *Caput paris ornatûs S. Jobis Virg & Mart.*
34. *Caput similis ornatûs Cognati S. Ursulæ Virg. & M.*
35. *Aliquæ guttæ purissimi lactis ex uberibus Sacris, Mariæ, Matris Dei, in aurea theca, margaritis & unionibus contexta*. *Item de sacro Lacte & Sanguine à S. Catharina Virg. & Mart. profusis*. *Auro cinctus Dens S. Petri Apostoli*. *Pariter Dens auro inclusus S. Apolloniæ Virg. & Martyris*. *Simili ornatu vestitus Dens S. Cosmæ Martyris*. *Item Articulus de Pollice*, *cum Particula de vexillo S. Georgii M. Item Particula de pallio S. Josephi Nutritii Christi. Reliquiæ S. Christophori, & Patritii, Hyberniæ Apostoli dicti*, *ac demum dens de S. Ursula V. & M. & unus pariter de S. Elisabetha Hungariæ Regina*. *Hæ omnes Particulæ pendent in Arbore quadam*, *ex auro obrizo artificiosè confectâ*.
36. *Particula de sacro Indusio B. V. Mariæ in parva statua eburnea*, *adamantibus vestitâ*, *ac effigiem ejusdem B. Virginis repræsentante*.
37. *Statua seu Imago B. V. Mariæ*, *quam natura ipsa, nullo instrumento adhibito, efformavit ex ligno*.
38. *Duo ex auro ab Augustissima Imperatrice Anna consuta loculamenta*, *plurimas Sanctarum Virginum & Viduarum ibidem specificatarum Reliquias continentia*.
39. *Corbis ad formam Præsepis constructa*, *ac margaritis cincta*, *in qua Particulæ de vero Præsepio & fasciis Divini Pusionis asservantur*.
40. *In Theca eburnea cranium S. Infantis Innocentis*.
41. *In simili eburnea Theca particulæ de SS. tribus Regibus*.
42. *Arca ex chelonio*, *in qua plurima sacra Ossa*, *Mandibula*, *Crania*, *& aliæ Reliquiæ de S. Mauritio*, *ejusque Sociis habentur*.
43. *In Cista pretiosa, ebore decorata*, *incorrupta manus S. Euphemiæ Virg. & Mart.*
44. *Ex Ligno seu arbore S. Francisci Seraphici* (*quæ ex baculo ejusdem excrevit*) *statua B. V. Mariæ artificiosè effigiata*.
45. *Speciosissima cistula ossibus S. Floræ V. & Mart. referta*.
46. *Alia cum sacris ossibus S. Paulinæ Virg. & Mart.*
47. *In pari cistula Reliquiæ S. Sotteris Virg. & Mart.*
48. *In alia Reliquiæ S. Theclæ Virg. & Mart.*
49. *In alia Reliquiæ S. Martinæ Virg. & Mart.*
50. *In alia Reliquiæ S. Euphemiæ Virg & Mart.*
51. *In simili Reliquiæ S. Prudentii Martyris*.
52. *Item sacræ Reliquiæ S. Alumni Mart. in simili*.
53. *In simili Reliquiæ S. Isidori Mart.*
54. *Ac in tali tandem Cistula S. Ossa S. Alexii Romani Confess.*
55. *In antiqua eburnea Monstrantiola, seu Ostensorio digitus S. Stephani Proto Martyris*.
56. *Item in argenteo Ostensorio digitus S. Leopoldi*, *Marchionis Austriaci*.
57. *Particula magna de sacra Syndone*, *aurô obrizô*, *margaritis & gemmis vestita*, *qua Sacrum Corpus Salvatoris nostri in sepulchro tectum erat*.
58. *Sacræ Reliquiæ Sancti Colomani Martyris*, *auro & margaritis ornatæ*. *Item laqueus*, *quo suspensus fuit*.
59. *Reliquiæ S. Sigismundi Regis & Mart. pretiosissimè adornatæ*.
60. *Capilli cum effigie S. Wenceslai Boemiæ Regis & Martyris*, *in magna torque ex Gagata artificiosè elaborata*, *ad modum & formam aurei velleris*.
61. *Reliquiæ S. Eustachii Martyris*, *auro*, *argento*, *& unionibus inclusæ*.
62. *Tria sacra Capita ex societate S. Mauritii*, *&*
63. *Quatuor sacra Capita ex societate S. Ursulæ speciosissimè decorata*.
64. *Duo Angeli ex ligno sculpti*, *qui Altari majori Ecclesiæ nostræ aptati*, *in conspectu omnis Poepuli, etiam quorumdam Acatholicorum*, *per gradus descendisse*, *ac in medio coram Sanctissimo*, *seu Venerabili tunc exposito*, *profunda genuflexione facta*, *ad priorem suam stationem reversi perhibentur*.
65. *Particula de S. Matre Anna in sculpta ejusdem effigie*.
66. *Cranium S. Adelgundis Abbatissæ in patina argentea*.
67. *Reliquiæ S. Kiliani*, *& sociorum ejus in quadam argentea, ligno ebenino vestita Arca*.
68. *In æquali argentea Arca Reliquiæ Sanctorum Proto-Medicorum Lucæ*, *Cosmæ*, *Damiani*, *& Pantaleonis*.

69. Par-

69. *Particula de Habitu & Capucio S. P. Francisci Seraphici in ejusdem effigie sculpta ex ligno arboris, quæ incrementum suum à baculo Sancti habuit.*
70. *Capilli seu Crines S. Claræ Virginis pariter in ejusdem effigie, sculpta ex præmemorato ligno.*
71. *Una Costa de S. Martino Episcopo Turonensi, margaritis & gemmis pulcherrimè ornata.*
72. *Integer S. Innocens Infans, in Cistula holoserico & argento vestita.*
73. *Caput integrum cum Capillis S. Brunosæ Virg. & Mart. quæ viva in fornacem calcariam conjecta fuit, in arca ex Crystallo confecta.*
74. *Reliquiæ S. Episcopi & Martyris Cassiani, in cista.*
75. *Reliquiæ S. Martyris Maximi, in Cista.*
76. *Reliquiæ S. Martyris Hyacinthi, in arca.*
77. *Reliquiæ S. Martyris Zenobii in arca.*
78. *Reliquiæ S. Antonii Abbatis & aliorum in Arca.*
79. *Cista plena Ossibus sacris ex societate S. Ursulæ*: Quæ omnes cistæ & arcæ margaritis & alio ornatu pretioso fulgent.
80. *Mandibulum S. Petri Cælestini Papæ, margaritis & alio ornatu decorum.*
81. *In pari forma & ornatu Cranium S. Ursulæ Virg. & Mart. capiti argenteo inclusum.*
82. *Incorruptus pedis digitus de S. Maria Magdalena in tabula Ebenina, unionibus pretiosis & auro adornata.*
83. *Scapula S. Elisabethæ, Reginæ Hungariæ, in arca deaurata.*
84. *Particula de Rubo Mosaico, auro cincta.*
85. *Pariter particula quædam de Virga Moysis, auro vestita.*
86. *Visibilis gutta Sanguinis Christi Jesu in chrystallo, auro & pretiosis unionibus adornata.*
87. *In theca deaurata magna pars de brachio S. Longini, Capitanei.*
88. *Particula de Sancta Cruce Domini & Salvatoris nostri, in chrystallo, auro & gemmis speciosissimè decorato.*
89. *Particula de S. Helena Imperatrice, decore pretiosa.*
90. *Alia magna particula de S. Cruce Jesu Christi in aurea Cruce.*
91. *In capsula aurea, Sanguinis gutta Salvatoris nostri Jesu Christi.*
92. *Sanguis S. Maximi Martyris, chrystallo inclusus.*
93. *In simili chrystallo sanguis S. Bonifacii Martyris.*
94. *In quadam ex gemmis composita Arula particula de S. Matre Anna.*
95. *In æquali speciosa Arula particula de Sac. Indusio B. V. Mariæ.*
96. *Pretiosissima, ex adamantibus, rubinis, aliisque unionibus, auro, & margaritis adornata Arula, repræsentans in medio Crucifixum Dominum ex una margarita: formatum præterea continens particulam de Spinea Corona, ac etiam particulam de Veste purpurea Christi Domini Salvatoris nostri.*
97. *In æquali Arula, formâ, decore & pretio priori correspondente, sacra Spina adhuc sanguinea de Corona Salvatoris nostri.*
98. *In chrystallo particula de sacra veste Christi Domini.*
99. *In magna aurea monstrantia pretiosissimus Sanguis Christi Jesu Domini nostri.*
100. *Crumena elemosynaria S. Stephani Regis Hungariæ auro contexta, pariter & tænia, qua caput tegebat, in cristallo.*
101. *Corpus S. Successi Martyris in arca, tabulis vitreis diaphana. Habentur præterea in hoc Cæsareo Thesauro & aliæ quàm plurimæ aliorum Sanctorum & Sanctarum Martyrum, Confessorum & Virginum Reliquiæ, Particulæ, Ossa, aliaque memorabilia, quæ quidem omnia specioso pariter ornatu sunt amicta, non tamen adeo pretioso, prout Reliquiæ superius specificatæ.*

In eodem Sacello primum occupat locum insignis, & miraculosa Imago B. V. M. à nostro F. Josepho Antonio â Triviliano, Concionatore & Missionario Apostolico pro Augustissima Imperatrice allata, ab Augustissima autem publicæ venerationi Sacello Cæsareo exposita: Hanc plurimùm adornant coronæ B. Virgini & Sanctissimæ Proli impositæ, ac ex auro & pretiosissimis unionibus & gemmis confectæ, necnon Coronis, quâ cingitur, quadrata argentea cum suis figuris & splendore deaurato, pretio suo sex mille florenos excedens, ad quam diu noctuque quinque lampades argenteæ ardent. Eam insuper insigniunt anathemata aurea & argentea penè innumera, quæ ob gratias impetratas à copiosissimè confluente deponi solent Populo, cujus devotionem plurimùm augent Indulgentiæ, à S. M. Benedicto XIII. (ut infra dicetur) concessæ.

Quod sacram Cæsarei hujus Sacelli supellectilem concernit, pro apparatu & fastu Sacro adest præter gemmas, uniones & margaritas, quæ in magna copia visuntur, ex argento, 1. Crucifixi Imago, una cum Cruce & postamento, longitudinem duorum pedum & quatuor palmitum emetiens. 2. Imagines seu tabulæ argenteæ pro omnibus festis Domini. 3. Duo Angeli. 4. Sex magna ex Jaspide confecta, & deaurata candelabra, quorum quodlibet sex mille florenorum æstimatur. 5. Duodecim magna candelabra pro Altari. 6. Duo alia sat procera candelabra ponderis 44. marcarum & 16. unciarum. 7. Candelabra minora undecim. 8. Lampades decem, majores & minores. 9. Amula magna cum sua lustrica. 10. Pastorale ex unicornu, cujus superior pars argentea. Et alia multa vasa, & res, quæ omnia ex purissimo argento facta, aliquot centenas suo pondere efficiunt.

Spi-

Spiritualem Sacelli, seu Capellæ Beatæ Virginis Mariæ Auxiliatricis à Marquardo Barone de Schwendi in Monto Civitatis Pataviensis, vulgò *Passav*, fundatæ curam Fratribus nostris committi confirmat.

URBANUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilecto Filio, Officiali Venerabilis Fratris nostri Episcopi Viennensis salutem, & Apostolicam Benedictionem.

EX injuncto Nobis desuper, meritis licèt imparibus, Apostolicæ servitutis officio, ad ea, per quæ divinus cultus, & piorum operum instituta augentur, libenter intendimus, ac his partes officii nostri favorabiliter interponi mandamus, prout Personarum, rerum & locorum circumstantiis debitè pensatis conspicimus, in Domino salubriter expedire.

Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum Filiorum Marquardi Baronis Schwendi nuncupati, Administratoris, & Decani Ecclesiæ Pataviensis, ac Capituli dictæ Ecclesiæ petitio continebat: Quod aliàs ipse Marquardus, S. Spiritûs gratiâ inspirante, in honorem Gloriosissimæ Virginis Dei Genitricis Mariæ, Auxiliatricis humani generis, ac Sancti Francisci, Capellam non collativam, in quodam Monte, Civitati Pataviæ proximo, ære suo, de voluntate & assensu dicti Capituli fundavit, & dotavit, ac ei cohærentem Domum Ordinis Fratrum Sancti Francisci Capucinorum nuncupatorum in Provincia Austriaca construxit: Insuper statuit, quod prædicta Capella debeat in omnibus & singulis, quoad spiritualia, & Divini Officii exercitia, ac eorumdem spiritualium plenariam ordinationem, & dispositionem totaliter subjacere prædicto Ordini, & pro tempore existenti Guardiano Fratrum Capucinorum prædictorum ibidem commorantium: quoad temporalitatem verò, dotationem, proventus, oblationes, census, & bona voluit eam simpliciter, & totaliter Decano pro tempore existenti dictæ Ecclesiæ & prædicto Capitulo conjunctim, & simultaneè subjacere, ut, quicquid in dotationem, proventum, & pro oblatione tunc, aut in futurum prædictæ Cappellæ datum, oblatum, aut offerendum foret, tam quoad sacra quàm in prædiis, proventibus, redditibus, censibus, & pecuniis, eisdem Decano pro tempore existenti, & Capitulo prædictis subjaceat, & subsit, qui vigili curâ, sollicitudine, & zelo unanimiter in hoc incumbant, ut omnia & singula prædictæ Capellæ proventus, & bona in nullum alium usum, quovis etiam quæsito colore, aut prætextu necessitatis, aut pietatis non obstante, quàm in jam existentis fabricæ integram conservationem, cum omnibus pertinentiis, præcipuè aquæductu, ejusdemque Capellæ decus, honorem, & usum convertantur & impendantur, neque in minimo aliquid de hujusmodi proventibus, ac bonis imminuatur, hoc tamen cum moderamine, & intellectu; quod, si successu temporis contingeret, ulta ea, quæ dictus Marquardus Baro & Administrator pro sua devotione dedit in fabricam, ornatum, cultum, luminaria, & similia, non autem in Clerum (Clerus enim ibi nullus est, nec esse debet, præterquam dictæ Domûs Religiosos Capucinos prædictos, qui prædictæ Capellæ serviunt, & ibidem, ut in Capella, ipsis & habitationi ipsorum immediatè incorporatâ, Divina peragunt, nullo terrestri salario, aut præmio, sed cælesti haud dubio honorandi) oblationes, & dona mobilia & immobilia, ad notabilem quantitatem se extenderent, adeo, ut Decano pro tempore existenti, & Capitulo prædictis videretur non urgere ullam necessitatem fabricæ, cultûs, aut necessariorum dictæ Capellæ, de fructibus, redditibus & emolumentis ejusdem Capellæ, salutarem elargitionem facere, & ad pios usus hujusmodi proventuum abundantiam applicare, declaravit idem Marquardus Baro & Administrator, ut tunc ante omnia potissima, & singularis habeatur ratio Viduarum & Puellarum, & Orphanarum dictæ Civitatis Pataviensis, & earum necessitati, & pudicitiæ consulatur dote congruâ, aut alimentis. Statuit ad hoc idem Marquardus Baro & Administrator, ut id, quod ulterius de præsentibus emolumentis, & fructibus bonorum dictæ Cappellæ superfuerit, impendatur in unum aut plures Alumnos Juris Canonici in probata Universitate Catholica studiosos, qui à Seniore pro tempore existente Familiæ, dicti Marquardi Baronis & Administratoris, Catholicæ tamen Religionis, pro tempore existenti Decano, & Capitulo prædictis pro stipendio præsentabuntur, primariò verò curabunt Decanus pro tempore existens, ac Capitulum prædicti, ut, si quæ indigentia, vel necessitas extraordinaria Domui Capucinorum hujusmodi obveniret, iis, uti qui jugiter Cappellæ prædictæ inserviunt, congruâ eleemosynâ succurratur. Domus autem ejusdem Marquardi Baronis, & Administratoris, quam ante aream dictæ Cappellæ extra Clausuram eorundem FF. Capucinorum ædificavit, inalienabiliter in suum, & uniuscujusque

pro tempore exiſtentis Decani dictæ Eccleſiæ proprietatem & uſum, non debeat manuteneri ex proventibus dictæ Capellæ, ſed manuteneat eam unuſquiſque pro tempore Decanus de ſuo, ſi vult, ſi tamen vetuſtate, vel incendio, aut alio caſu fortuito deſtrueretur, reparetur pro uſu Decani rurſum de proventibus reddituum dictæ Capellę; aliàs voluntariæ impenſæ in eam non fiant de proventibus dictæ Cappellæ. Omne autem, quod de hac conſtructione, & fundatione eidem Marquardo Baroni, & Adminiſtratori competeret, Juſpatronatus, advocatia, aut quodvis aliud, in Decanum pro tempore exiſtentem, & Capitulum prædictos transfundit.

Cum autem non tantùm peccatum ipſum, ſed ejus occaſio, & incentivum, in quantum fieri poteſt, vitandum ſit, ſtatuit, & voluit idem Marquardus Baro & Adminiſtrator, ex tunc in perpetuum, ut nulla ratione poſſit in prædicto Monte, vel circa, hoſpitium vel diverſorium erigi, aut pocillatio exerceri, quandoquidem dicta Civitas, ejuſque ſuburbium in pede dicti Montis juxta eſt, ubi hoſpitia abundè ſatis ſunt pro incolis, & advenis, niſi eſſet aliqua extraordinaria cauſa in Capitulo peremptorio unanimiter approbanda; voluit verò dictus Marquardus Baro, & Adminiſtrator, unumquenque de ſua Familia Baronum de Schwendi Seniorem, Catholicæ Religionis, inſpectionem habere poſſe, & inſtantiam facere apud Decanum pro tempore exiſtentem, ac Capitulum prædictos, aut etiam, quatenus opus erit, apud loci Ordinarium, ut huic dicti Marquardi Baronis, & Adminiſtratoris diſpoſitioni nullatenus contraveniatur, ſine prætenſionibus illius Juriſpatronatûs, aut Advocatiæ, quod nulli hominum, neque Eccleſiaſtico neque ſæculari, præterquam Decano, & Capitulo prædictis, unacum omnimoda diſpoſitione in temporalibus voluit competere.

Et quia ſanctè, piè, & juſtè inchoata, à malignis hominibus ſuggeſtione diabolicâ frequenter impugnari & impediri ſolent, ne hujuſmodi dicti Marquardi Baronis, & Adminiſtratoris opus, iniquorum calumniatorum malitia, ſucceſſu temporis poſſit infeſtari, aut in alium, vel alios Religioſos Ordines, cujuſcunque nominis, Religionis, & Ordinis exiſtant, transferri, vel immutari, neve etiam procreatis apud dictam Cappellam divitiis filia ſuffocet matrem, dictus Marqurdus Baro, & Admiuiſtrator prohibuit, ne quis prædictos Fratres Capucinos in exercitio, diſpoſitione, & ordinatione cultûs Divini, & ſpiritualium circa dictam Cappellam, neve Decanum pro tempore exiſtentem, & Capitulum prædictos in adminiſtratione, tuitione, diſpoſitione temporalium circa dictam Cappellam, atque in aſſervatione ejuſdem reddituum, & proventuum in ejuſdem uſum & honorem, ullatenus indebitè valeat perturbare, vel inquietare. Si quis autem, quod Deus avertat, auſu nefario hoc aggreſſus fuerit, ſi tertiò legitimè commonitus congrua ſatisfactione ſe non emendaverit, ſe anathematis laqueo infallibiliter irretitum agnoſcat. Et aliàs, prout in ſcripturis deſuper confectis pleniùs dicitur contineri.

Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, firmiora ſint, & longè meliùs obſerventur ea, quæ Sedis Apoſtolicæ munimime roborantur, pro parte Marquardi Baronis, & Adminiſtratoris, ac Capituli prædictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus dictæ Capellæ fundationem, dotationem, & ſtatuta præmiſſa approbare, & confirmare, aliàſque in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui bonorum operum incrementum ſinceris deſideramus affectibus, ac certam de præmiſſis notitiam habentes, præfatum Marquardum Baronem, & Adminiſtratorem, ac Capituli hujuſmodi ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis cenſuris, ſententiis, & pœnis, â jure, vel ab homine quâvis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, necnon ſcripturarum prædictarum tenores &c. veriores, præmiſſis tamen non contrarios, præſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Diſcretioni tuæ, attento, quod, ſicut aſſeritur, Venerabilis Frater noſter Epiſcopus Viennenſis vicinior Ordinarius exiſtat, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus fundationem, dotationem, & ſtatuta præmiſſa ejuſdem Capellæ, aliaque omnia, & ſingula præmiſſa, & prout illa concernunt ſcripturas deſuper confectas, licita tamen, & honeſta in ſe continentes, ſine tamen alicujus præjudicio, authoritate noſtra perpetuò confirmes, & approbes, illiſque perpetuò, & inviolabiliter Apoſtolicæ firmitatis robur adiicias, ac omnes, & ſingulos, tam juris, quàm facti, & ſolemnitatum de Jure, uſu, conſuetudine, ſeu aliàs quomodolibet requiſitarum, vel neceſſariarum, & quantumvis ſubſtantiales defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſuppleas, ac fundationem, dotationem, ſtatuta, & alia præmiſſa à dicto Marquardo Barone, & Adminiſtratore, ut præfertur, facta, & ordinata, ſemper, & perpetuò valida, & efficacia fore, & eſſe, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere debere, ac tam per pro tempore exiſtentem Decanum, & Capitulum dictæ Eccleſiæ,

ſiæ, quàm dictæ Domûs Capucinorum Religioſos, & quoſvis alios, ad quos quomodolibet ſpectat, & pro tempore ſpectabit, perpetuò firmiter, & inviolabiliter obſervari, & adimpleri debere, nec ab illis ullo unquam tempore reſiliri, vel recedi poſſe. Præſentes quoque literas perpetuò validas, & efficaces fore, & eſſe, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere debere. Sicque per quoſcunque Judices, Commiſſarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Vice Legatos, ac dictæ Sedis Nuncios judicari, & diffiniri debere, authoritate Apoſtolica prædicta facias. Decernentes irritum, & inane, quicquid ſecus ſuper his à quoquam, quavis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in Synodalibus, Provincialibus, & univerſalibus Conciliis editis, vel generalibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, necnon Domûs Capucinorum, & Ordinis hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apoſtolicis, illis, illorumque Superioribus, & perſonis ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & decretis in contrarium forſam quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis; Quibus omnibus, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat, harum ſerie ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, quod per præſentem gratiam dicta Capella non cenſeatur effecta exempta, vel libera, quò minus illa, quoties opus fuerit, ab Ordinario loci viſitari, & ratio adminiſtrationis illius fructuum, & bonorum à pro tempore exiſtentibus illorum Adminiſtratoribus temporalibus, qui ad redditionem rationis adminiſtrationis hujuſmodi, quoties deſuper requiſiti fuerint, omnino obligati ſint, peti, & haberi poſſit.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ, anno milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo primo, XXII. Idus Auguſti Pontificatus noſtri Anno octavo.

Ja. Albaretus &c.

Exempl. in Archivo generali Ordinis Armario s Provincia Auſtriaco-Hungarica.

N O T A.

SOnat autographum Fundationis & diſpoſitionis, â piiſſimo Fundatore factæ in terminis, ut ſequitur:

IN NOMINE SACROSANCTÆ, ET INDIVIDUÆ TRINITATIS.

Marquardus, Dei gratiâ Adminiſtrator Plenarius Epiſcopatûs Paſſavienſis, & Vicarius ibidem, liber Baro à SchWendi, Sac. Cæſ. Majeſtatis Conſiliarius &c.

Cum ea, quæ temporis injuriâ & vetuſtate obumbrantur, ſcripturæ fulciantur ſuffragio in memoriæ ſtabilitatem, innoteſcere præſentibus volumus cunctis in perpetuum; Quatenus pro ſalute & remedio animæ noſtræ, conſiderantes, quod poſt mortem hominem nihil ſequitur, niſi, quod boni præmiſit in vita, Sancti Spiritûs gratiâ cœlitus inſtigati, prævidimus ecce locum, in quo ex concepto liberè voto in honorem Glorioſiſſimæ Virginis Dei Genitricis Mariæ, Divæ Auxiliatricis humani generis, ſimul & Seraphici Patris Franciſci exſtruximus, & de modico exiguæ noſtræ ſubſtantiæ fundavimus Capellam ibidem in Monte Seraphico Patrum Capucinorum hîc Paταviæ, de voluntate atque conſenſu totius Venerabilis Capituli Patavienſis, comparantes ei fundum, quem ære noſtro ab omni præſtatione & exactione reddidimus liberum, & fabricari fecimus eam in ſtructura congrua, prout patet, atque habitationi & Clauſuræ dictorum Capucinorum, quam ante annos aliquot ipſis in eodem monte extruximus, eandem ædificatam & incorporavimus, authoritate inſuper Sanctiſſimi Domini noſtri Urbani VIII. Pontificis Maximi ſtatuentes, quod præfata Capella B. Virginis Auxiliatricis debet in omnibus, & ſingulis quoad ſpiritualia, & divini Officii exercitationem, & eorumdem plenariam ordinationem ac diſpoſitionem totaliter ſubjacere & ſubeſſe Venerabili Ordini & Guardiano Capucinorum ibidem commorantium, prout ad inſtantiam, & preces noſtras unà cum Venerabili Capitulo Cathedralis hujus Eccleſiæ nobiſcum ad pedes Sanctiſſimi Domini noſtri deſuper emanatas, & per Bullam ſpecialem Suæ Sanctitatis approbatas, & Seraphico Ordini deſuper factam mentionem, Apoſtolica authoritate irrefragabiliter ſancitum. Obſecramus deſuper unumquemque Epiſcopum ac Succeſſorem, uti loci Ordinarium & Principem terræ, Dominum noſtrum Clementiſſimum, per viſcera Chriſti, ut in hoc, etiam in minimo contraveniri, ac deflecti aliquando, & Fundatoris animam in hoc contriſtari ullô modô patiatur.

Quoad temporalitatem verò, dotationem, proventus, oblationes, cenſus, & bona, volumus ea ſimpliciter & totaliter ſubjacere unicuicumque Decano pro tempore exiſtenti, & toti Venerabili Capitulo Patavienſi conjunctim & ſimultaneè, quorum conſcientiam deſuper oneramus, & quicquid dotatione, proventu, & obla-

oblatione nunc aut in futurum præfatæ Capellæ datum, offerendum, aut oblatum est, tam quoad sacra, quàm in prædiis, proventibus, redditibus, censibus, ac pecuniis, omnimode bene memorato Decano, & Capitulo subjaceat & subsit, qui vigili cura, sollicitudine, & zelo unanimiter in hoc incumbant, ut omnia & singula sæpe dictæ Capellæ proventus & bona in nullum alium usum (quovis etiam quæsito colore aut prætextu necessitatis aut pietatis non obstante) quàm in jam existentis fabricæ integram conservationem cum omnibus pertinentiis & ornamentis, præcipuè aquæductu, quo vel maximè indigere solent hujusmodi Ordinis Religiosi, ejusdem Capellæ decus, honorem & usum convertantur, & impendantur, neque in minimo aliquid de hujusmodi proventibus ac bonis imminuatur, hoc tamen cum moderamine: Quod, si successu temporis contingeret super ea, quæ nos quidem pro exigua devotione nostra dedimus in fabricam, ornatum, cultum, luminaria & similia, non autem in Clerum (Clerus enim ibi nullus est, nec esse debet, præterquam pauperes Capucini, Montis hujus Seraphici devoti, & benemeriti Incolæ, qui Capellæ huic serviunt, & ibidem, ut in Capella, ipsis & habitationi ipsorum immediatè incorporatâ divina peragunt, nullo terrestri salario aut præmio, sed cœlesti haud dubio honorandi.) Quod si, inquam, sensim contingeret, prout devotio & zelus ingens Fidelium fore indicant, quod oblationes & dona mobilia & immobilia in notabilem quantitatem se extendent, adeo, quod Decano & Venerabili Capitulo consultum videretur, non exigente ulla necessitate fabricæ, cultûs, aut necessariorum Capellæ, salutarem elargitionem facere, & ad pios usus hujusmodi proventuum abundantiam applicare. Tunc volumus omnino ante omnia ac potissimam & singularem haberi rationem Viduarum puellarum orphanarum hujus Civitatis Pataviensis, ut illarum necessitati & pudicitiæ consulatur dote congruâ, aut alimentis, ut occasio & animus sit heu! nimis jam dudum malè educato fœmineo sexui, & ejusdem constitutis Tutoribus Virguncularum impuberum ob egestatem nil sinistri meditandi, sed spem firmam concipiant, dummodo irreprehensibiliter, & honestè vivant, quod providebit ipsis diva Auxiliatrix, & Nos & unusquisque pro tempore Decanus, uti Officialis in matrimonialibus perpetuus, unà cum Venerabili Capitulo dotaturi easdem pro conditione, qualitate, & statu uniuscujusque illarum, opem Deiparæ divæ Matris Auxiliatricis implorantes.

Deinde verò statuimus etiam, ut id, quod ulterius de proventibus, emolumentis & fructibus bonorum superest, impendatur in unum & plures Alumnos juris Canonici in probata Universitate Catholica studiosos, qui à Seniore Familiæ nostræ, Catholicæ tamen Religionis, Venerabili Decano, & Capitulo pro stipendio præsentabuntur. Primariò verò curabit supradictus Decanus & Capitulum, ut, si quæ indigentia, vel necessitas extraordinaria Venerabili Cœnobio Patrum Capucinorum obveniret, iis, uti qui jugiter Capellæ serviunt, congrua eleemosynâ succurratur.

Domus autem nostra, quam ante aream Capellæ extra Clausuram Ordinis Capucinorum ædificavimus, inalienabiliter in nostrum & uniuscujusque pro tempore existentis Decani proprietatem & usum, non debet interteneri de proventibus Capellæ, sed interteneat eam unusquisque pro tempore Decanus de suo, si vult, si tamen vetustate, vel incendio, vel alio casu fortuito destrueretur, reparetur pro usu Decani rursum de proventibus redituum Capellæ. Aliàs voluntariæ impensæ in eam non fiant de proventibus Capellæ: omni insuper jure, quod ex constructione & fundatione nobis competit, ut jure Patronatûs, Advocatiæ, aut quovis alio semel pro semper totaliter in Decanum & totum Venerabile Capitulum transfuso, qui eò magis hanc nostram dispositionem ac fundationem manuteneri facient, authoritatem etiam Sanctissimi Domini nostri, ac brachium pro tempore Episcopi, uti Principis terræ & Ordinarii desuper, quatenus opus, implorantes.

Cum etiam non tantùm peccatum ipsum, sed ejus occasio & incentivum, in quantum fieri potest, vitandum sit, statuimus; & volumus ex nunc in perpetuum, quod nulla ratione possit in Monte hoc, vel circa Hospitium, vel diversorium erigi, aut pocillatio exerceri, quandoquidem Civitas, ejusque suburbium in pede montis juxta est, ubi Hospitia satis sunt pro incolis & advenis, nisi esset aliqua extraordinaria causa urgentissima, quod tamen futurum non speramus, Capitulo peremptorio unanimiter approbanda.

Volumus etiam unumquemque de Familia nostra Baronum de Schvvendi Seniorem, Catholicæ Religionis, inspectionem habere posse, & instantiam facere apud Decanum pro tempore & Venerabile Capitulum, aut etiam, quatenus opus erit, apud Dominum Ordinarium, ut huic nostræ dispositioni & fundationi nullatenus contraveniatur, sine prætensione tamen ullius juris Patronatûs, aut Advocatiæ, quod nulli hujusmodi, neque Ecclesiastico, neque Sæculari, præterquam Decano & Capitulo unacum omnimoda dispositione in temporalibus, volumus competere.

Cum autem omnia sanctè, piè, & justè inchoata, à malignis hominibus suggestione diabolicâ impugnari, imò frequentiùs soleant impediri. Ne hujusmodi opus nostrum Religiosum ad honorem D Virginis, ac Seraphici P. Francisci factum & feliciter consummatum, iniquorum calumniatorum malitiâ successû temporis audeat vel valeat infestari, aut in alium, vel alios Religiosos Ordines, cujuscumque tandem nominis, Religionis, & Ordinis existant, vel sint, transferri, vel immutari. Neve etiam, uti fit persæpe proh dolor! procreatis assiduâ pietate apud Capellam hanc sensim divitiis, filia suffocet matrem, recogitantes iterum, quatenus assiduis PP. Capucinorum diu noctuque ad Deum profusis lacrymis, Mons hic coagulatus, Mons pinquis, Mons, in quo habitare visum fuit Altissimo, & Deiparæ, infinitis dotibus cœlestis gratiæ mediante intercessione divæ Auxiliatricis meruit obumbrari. Inhibemus sub æternæ damnationis, & anathematis pœna, ne quis præfatos Patres Capucinos in exercitio, dispositione, & ordinatione Cultûs divini & spiritualium circa hanc Capellam, neve Decanum, & Venerabile Capitulum Pataviense, in administratione, fruitione, & dispositione temporalium circa eandem, atque in asservatione ejusdem redituum ac proventuum in ejusdem usum ad honorem, ullatenus valeat turbare, vel inquietare.

Si quis autem, quod Deus avertat, ausu nefario hæc transgressus fuerit, si tertiò commonitus congrua satisfactione se non emendaverit, anathematis laqueo infallibiliter se irretitum, sortem cum Dathan & Abiron, cumque Juda pessimo mercatore partem se habiturum indubitanter agnoscat.

Conservantibus autem pax & misericordia in præsenti & in futuro sæculo Amen Amen.

Hanc nostram Fundationem, & Ordinationem de communi Confratrum nostrorum, ac totius Venerabilis Capituli voluntate & assensu unanimiter erectam, authoritate Apostolicâ in omnibus & singulis confirmatam, & sub comminatione anathematis latæ sententiæ erga contravenientes tam Sæculares, quàm Ecclesiasticos quo-

scun-

scunque roboratam, manu & sigillo nostro, ac Venerabilis Capituli munitam, in perpetuam rei memoriam tam apud Archivum Cancellariæ Episcopalis, quàm benefati Venerabilis Capituli fecimus imbreviari & registrari.

Acta sunt hæc Pataviæ in ædibus Capitularibus Anno millesimo sexcentesimo trigesimo primo præsente majore parte Capituli &c.

Autograph. in Archivo Provinciæ.

Quæ ulterius lite obortâ circa hanc dispositionem ad favorem Fratrum acta sunt, vide infra.

DECRETO

S. Congregat. Episc. & Regul.

Fabricam Domûs Hollobrunensis contra inhibitionem â RR. PP. Reformatis obtentam perfici, Apostolico Nuntio committitur.

SAcra Congregatio Eminentissimorum, ac Reverendissimorum S. Rom. Eccl. Cardinalium negot., & consult. Episc. & Regul. præposita, in causa Fabricæ novi Conventûs in loco Hollbrum, â PP. Capucinis inceptæ, D. Nuntio Viennensi scribi mandavit, ut revocatâ S. Nuntiaturæ sententiâ, ad favorem PP. Reformatorum emanatâ, prædictam Fabricam â PP. Capucinis perfici concedat, non obstantibus quibuscumque in contrarium facientibus. Romæ 30. Julii 1666.

M. Card. Ginettus.

Ex Regestro Secret. S. Congreg. mens. & anni prædict.

NOTA.

VIgore hujus Decreti Illustrissimus D. Nuntius mentem S. Congregationis explevit, Decreto sequenti:

Julius Spinula, Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ, Archiepiscopus Laodicensis, Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri Domini Alexandri, divina providentia Papæ VII. Prælatus Domesticus, & Assistens, ejusdemque, & Sanctæ Sedis Apostolicæ apud S. Cæsaream Majestatem Leopoldi in Imperatorem electi, necnon per Germaniam, Hungariam, Boemiam, Austriam, Styriam, Carinthiam, Carnioliam, Croatiam, Goritiam, Tyrolim, universumque Romani Imperii Districtum cum facultate Legati â latere Nuntius.

Visis literis S. Congregationis super negot. Episc. & Regular. sub Datum Romæ die 30. Julii anno 1666. quibus inhærendo inhibitionem ad instantiam R. P. Provincialis Provinciæ Austriæ, & RR. PP. Reformatorum Strictioris Observantiæ S. Francisci in hoc S. Nuntiaturæ Tribunali obtentam, ac emanatam contra RR. Patres Capucinos ejusdem Provinciæ de desistendo ab incepta Fabrica Conventûs in Terra Hollobrun, revocavit, annullavit, ac nullius roboris & momenti esse declaravit, liberamque facultatem & licentiam eisdem RR. PP. Capucinis Fabricam præfati Conventûs continuandi, ac perficiendi concessit, juxta tenorem prædictarum literarum, non obstantibus quibuscumque &c. ita &c. omni &c. In quorum fidem &c. Datum Viennæ ex Palatio nostro Apostolico 16. Augusti 1666.

Julius, Archiepiscopus Laodicensis, Nuntius Apostolicus.

Autograph. in Arch. Provinciæ.

Con-

Conventus Viennenses à Provincia Boemiæ separantur, & in propriam Provinciam instante Augustissimo Imperatore Leopoldo eriguntur.

A tergo: *Dilecto Filio, Ministro Generali, Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupatorum.*

CLEMENS PAPA X.

Dilecte Fili salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CUM, sicut Nobis nuper exponi fecisti. *Residuum Litterarum Apostolicarum cum erectionis &c. Instrumento, vide supra f.* 218.

Duos novos Conventus in Hungaria ad vota Leopoldi Imperatoris erigi concedit.

A tergo: *Dilecto Filio, Ministro Generali Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupatorum.*

CLEMENS PAPA X.

Dilecte Fili salutem, & Apostolicam Benedictionem.

EXponi Nobis nuper fecisti, quod, cum Nos Tibi Provinciam Boemiæ, tui Ordinis, Fratrum Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupatorum, propter nimiam ejus amplitudinem in duas dividendi facultatem, sub certis modo & forma tunc expressis tribuerimus, eâ lege inter cætera, ut in Provinciis sic divisis, novi Conventus erigi inposterum nullatenus possent sine expressa Sedis Apostolicæ licentia, per litteras in forma Brevis expedienda, quæ derogaret hujusmodi prohibitioni, & aliàs, prout in nostris desuper in simili forma Brevis. die XXII. Martii proximè præteriti expeditis, quarum tenorem presentibus pro plenè & sufficienter expresso & inserto haberi volumus, uberiùs continetur, Tu vigore facultatis hujusmodi eamdem Provinciam Boemiæ in duas, unam quidem Boemiæ, alteram verò Austriæ respectivè nuncupandas, in actu visitationis divisisti.

Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, charissimus in Christo Filius noster, Leopoldus, Romanorum Rex Illustris, in Imperatorem electus, duos novos Conventus Fratrum dicti Ordinis in Hungaria erigi & institui plurimùm desideret, Nobis propterea humiliter supplicari fecisti, ut opportunam Tibi ad id facultatem concedere, de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ad ea, quæ in divini cultûs, ac Religionis, piorumque operum incrementum cedere possunt, ex commissi Nobis cælitus Pastoralis officii debito propensis studiis intendentes, ac piis memorati Leopoldi Regis votis favorabilem assensum præbere cupientes, Teque specialibus &c. volentes, & à quibusvis &c. censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Tibi duos Conventus Fratrum Ordinis præfati in Hungaria, modò tamen in reliquis ea omnia, quæ circa hujusmodi novorum Regularium Conventuum erectiones præscripta sunt, religiosè serventur, Auctoritate nostra Apostolica erigendi & instituendi, facultatem & licentiam, eadem auctoritate, tenore præsentium concedimus & impertimur. Non obstantibus prohibitione præfata, ac Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dicti Ordinis, aliisve quibusvis, etiam &c. statutis & consuetudinibus, privilegiis &c. innovatis: Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores &c. derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die XV. Septembris MDCLXXIII. Pontificatus nostri Anno quarto.

I. G. Slusius.

Autog. in Secret. Brev. Apostolicorum Regest. mens. & anni præd. fol. 55.

Novam Domum in Loco de Poysdorff construi committit.

A tergo: *Ven. Fratri Episcopo Passavien.*

CLEMENS PP. X.

Venerabilis Frater salutem, & Apostolicam Benedictionem.

SOllicitudo Pastoralis officii, quo Catholicæ Ecclesiæ regimini divinâ dispositione præsidemus, Nos admonet, ut circa ea, per quæ Conventus & alia Regularia loca ad divini cultûs & Religionis incrementum, ac Ani-

Animarum ſalutem erigi & inſtitui valeant, propenſis ſtudiis intendentes, muneris noſtri partes deſuper interponamus, prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire.

Cum itaque, ſicut dilectus Filius Procurator Generalis, Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum, Nobis dilecti pariter Filii Miniſtri Provincialis Provinciæ Auſtriæ dicti Ordinis nomine nuper exponi fecit, ipſe, ut ejuſdem Provinciæ neceſſitati conſulatur, novum Conventum Fratrum ejuſdem Ordinis in loco de Poyſdorff, Paſſavienſis Diœceſis, erigi & inſtitui plurimùm deſideret: Nos ſpecialem ipſis Procuratori Generali, & Miniſtro Provinciali gratiam facere volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis &c. cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine Nobis &c. inclinati, de Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis & conſultationibus Epiſcoporum & Regularium præpoſitorum conſilio, Fraternitati Tuæ per præſentes committimus, & mandamus, ut, veris exiſtentibus narratis, & auditis intereſſe habentibus, poſtquam Tibi conſtiterit, fabricam prædicti novi Conventûs cum Eccleſia, campanili, choro, ſacriſtia, clauſtris, dormitorio, refectorio, hortis, & ſpatiis fuiſſe numeris omnibus abſolutam, & ſupellectili tam ſacra, quàm profana ſufficienter inſtructam, ad petitam erectionem novi Conventûs in dicto loco, quatenus ibi ſaltem duodecim hujuſmodi Religioſi ex eleemoſynis piorum Benefactorum commodè ali poſſint, Auctoritate noſtra Apoſtolica, pro tuo arbitrio, & conſcientia procedas; ita tamen, ut in reliquis ea omnia, quæ per Conſtitutiones Apoſtolicas circa hujuſmodi novorum Conventuum Religioſorum erectiones præſcripta ſunt, religioſè ſerventur, ac ſalvâ ſemper in præmiſſis Auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium. Non obſtantibus Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, ac, quatenus opus ſit, dicti Ordinis, aliiſve quibuſvis etiam &c. ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis &c. innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, illorum tenores &c. derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die XVI. Januarii MDCLXXV. Pontificatus noſtri Anno quinto.

I. G. Sluſius.

Autog. in Arch. Secret. Brev. Apoſt. regeſto menſ. & anni præd. f. 17.

LITTERIS PONTIFICIIS.

Studium & zelus Fr. Emerici Commoromienſis commendatur, & ad illum pro rei chriſtianæ bono continuandum incitatur.

Reverende Pater.

Relatio continua, quæ hîc tum de zelo, quo Paternitas Veſtra eminet, tum de Spiritu prudentiæ, quâ res ad Dei cultum dirigit, tum de ſtudio, quo rationi cauſæ communis, & majoris boni Chriſtianitatis incumbit, ab Illuſtriſſimo Domino Nuntio recipitur, Sanctitati ſuæ ſingularem erga Paternitatem Veſtram exiſtimationem, ſummumque de ejus operatione beneplacitum impreſſit. Ex quo & occaſio mihi nata eſt, Eidem, etiam ex ipſius ſuæ Sanctitatis mandato, ſignificandi paterna ſenſa, quibus Eam complectitur, & approbat omnes partes, quas in tam gravibus & periculoſis Religionis Catholicæ circumſtantiis ob progreſſum Turcarum, ſeditionem Hungariæ, alioſque Europæ motus, in quibus Hæretici, à Catholicis ſuffulti, armis Fidelium utuntur ad ſuæ ſectæ incrementum, adimplere ſtudet. Deploranda ſanè hæc eſt infelicitas, quâ continuus Sanctitatis ſuæ dolor progignitur, & dignisſima religioſo Patern. Veſtræ ſtudio. Imputaretur ipſi à Deo ad culpam, ſi cum ſinceritate, & libertate, Sacro ſuo Habitui proportionata, repræſentare negligeret ſtatum rerum, quæ tanta paſſione, tantiſque periculis, quæ diſcernere privatum commodum haud permittit, cinguntur. Operetur P. V. omni niſu, ut difficultates occurrentes ſolvantur, animetque Aulam Cæſaream ad capiendas neceſſarias reſolutiones, à quibus derivet gloria Dei, à quo dum Pat. Veſtræ omnia bona precor, ex animo perſiſto.

Romæ 26. Novembr. 1672.

Pat. Veſtræ.

Fridericus Card. Borromæus.

Autogr. in Archivo Vaticano Secreto Reg. Brevium ad Princ. *menſ. & ann. præd.*

Eundem Fr. Emericum, ut Auguftiffimo Imperatori concludendæ pacis confilia fuggerat, hortatur.

A tergo: *Dilecto Filio, Religiofo Emerico, Ordinis Capucinorum S. Francifci.*

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dilecte Fili falutem, & Apoftolicam Benedictionem.

IMminente Poloniæ, adeoque Chriftianorum Reipublicæ univerfæ gravi, ac penè extremo periculo ab immani Turcarum apparatu, Chariffimum in Chrifto Filium noftrum Leopoldum, Imperatorem electum, per literas, & Nuncii noftri vivam vocem vehementer hortamur, obfecramufque, ut pacem, in qua omnis tuendæ publicæ falutis fiducia repofita eft, alacriter amplecti velit, donando etiam liberaliter, fi ita res ferat, aliquid de rationibus, & juribus fuis. Quia verò probè novimus, Te eum apud Majeftatem fuam gratiæ, & favoris locum obtinere, quem Pietas, Virtufque tua meritò poftulat, quique præfenti negotio prodeffe plurimùm poteft, eidem Nuncio injunximus, ut operâ, & officiis tuis in eo peragendo utatur. Rem nobis pergratam feceris, qui Paterno erga Te animo femper fuimus, non defuturi occafionibus illum Tibi uberiùs declarandi, cui interim peramanter benedicimus.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem fub Annulo Pifcat die XVII. Julii MDCLXXVIII. Pontificatus Noftri Anno fecundo.

Marius Spinula.

Autogr. in Secret. Brev. ad Principes *Reg. Menf. & anni præd. fol.* 124.

Eundem Fr. Emericum Cathedrali Ecclefiæ Viennenfi Epifcopum præfici, rem quidem arduam, difficultates tamen in obfequium femotas effe, Auguftiffimo Imperatori Leopoldo renuntiat.

Chariffimo in Chrifto Filio noftro, Leopoldo, Hungariæ, & Boemiæ Regi Illuftri, in Romanorum Imperatorem electo.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Chariffime in Chrifto Fili Nofter, falutem, & Apoftolicam Benedictionem.

REM planè novam, ac perdifficilem poftulat Majeftas tua, ut Religiofum Virum, Emericum Capucinum, Cathedrali Ecclefiæ Viennenfi præficiamus, neminem enim ex eo Ordine, ex quo is fuit inftitutus, hæc Sancta Sedes infignivit Epifcopali gradu, tanquam nimis alieno ab humilitate, & honorum, omniumque rerum humanarum contemptu, quem Sanctiffimus ille Ordo profitetur: quia tamen perfpicimus ex Majeftatis tuæ literis, Te id vehementer cupere, præfatum verò Emericum iis præditum effe virtutibus, quæ paftorali muneri ftrenuè obeundo in primis conducunt, temperare non potuimus paterno noftro erga Te amori, qui propendere Nos facit in omnes obfecundandi defiderio Tuo occafiones, quin quafcumque difficultates de medio tolleremus. Et fanè non levi ad id incitamento Nobis eft fufcepta fpes, fore, ut ejus Viri virtus altiori loco pofita, non folùm Viennenfi Ecclefiæ, & Ditionibus Regnifque tuis, quà paftorali vigilantia, quà falubribus confiliis, ingentes utilitates fit allatura, fed etiam Germaniæ Clerum, ac præcipuè Epifcopos ad veterem Ecclefiæ difciplinam, pro qua reducenda tantopere laboramus, non mediocriter exemplo fuo inflammatura. Præterea ad fingularem Majeftatis tuæ laudem, & Capitulorum Germaniæ documentum maximè pertinet, tam præclara electione declarari, qua pietate, ac zelo, quâ doctrinâ, ac prudentiâ ornatum eum effe deceat, qui eligi debet, ut in adeo excelfa dignitate exerceat artem artium, regimen animarum. Reliqua fuper hoc negotio â Venerabili Fratre, Francifco, Archiepifco Theffalonicenfi fufiùs cognofcet Majeftas tua, cui Apoftolicam Benedictionem amantiffimè impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem fub Annulo Pifcatoris die XXVI. Octobris MDCLXXXVIII. Pontificatus noftri Anno quinto.

Marius Spinula Secret.

Aut. in Arch. Secret. Brev. Apoft. ad Princ. *Reg. menf. & anni præd. fol.* 159.

NO-

NOTA.

Literæ ab Auguſtiſſimo Imperatore ad Summum Pontificem datæ, & arduam Fr. Emerici ad Mytram Viennenſem promotionem commendantes, fuêre tenoris ſequentis:

Beatiſſime in Chriſto Pater, Domine Colendiſſime.

Cum Eccleſia Cathedralis Epiſcopatus Viennenſis per obitum quondam Venerabilis Wilderici, Epiſcopi Viennenſis, Principis, devoti, Nobis dilecti, utpote ultimi & immediati illius Poſſeſſoris, vacare contigerit, Noſque pro jure Patronatus, Nobis tanquam Archiduci Auſtriæ competente, ipſi rurſus de alio idoneo Epiſcopo & Paſtore proſpectum eſſe velimus, ſollicita ſanè cura hactenus diſquiſivimus, quem Sanctitati Veſtræ in hoc afflicto rerum ſtatu ad eundem potiſſimum præſentaremus, qui conſternatis adhuc ob nuperam peſtilentiæ luem oviculis in Civitate ampla, & omnis generis populo referta, ſingulari morum integritate, vitæ innocenter actæ luculento exemplo, & ſolerti Verbi divini præconio ſalubriter præiret, & ad cujus fidelis ſui Paſtoris notam vocem balantes, atque ſpiritualis ſolatii cupidæ, univerſali gaudio congregarentur. Adducti itaque indubiè ſecuturo fidelium bono, & præſentis temporis calamitate, quæ frequentiſſimi populi Viennenſis Præſulem exigit vigilantiſſimum, in manifeſtam plurimorum ſalutem, & Eccleſiæ illius viduatæ certiſſimum incrementum, eruimus reluctantem, & inveteratum humanarum dignitatum oſorem, ex optatiſſimæ quietis ſuæ placido ſtatu, clauſtro nimirum Familiæ S. Franciſci Capucinorum, honorabilem & Religioſum Virum, P. Emericum, Apoſtolicæ ſuæ Sedis Miſſionarium, hominem perfectionis Chriſtianæ planè ſtudioſum, perque diuturnas ſuas conciones de Civitate noſtra Viennenſi, quinimo de univerſis noſtris Provinciis per converſionem multorum millium Acatholicorum ad Fidem Orthodoxam apprimè meritum, & proinde ſummis, infimiſque, Nobis inſuper præcipuè, totique Cæſareæ Aulæ noſtræ, ob prudentiam in agendo, ſuavitatis peculiaris efficaciam, & humanitatis mirificæ fragrantiam, gratum atque charum. Iſtum itaque hac Epiſcopali promotione dignum, & gregi Dominico ſibi committendo verbis & opere ſalubriter conſulturum, Sanctitati Veſtræ ſiſtimus, & hiſce noſtris in Dei Omnipotentis nomine præſentamus, Veſtram Sanctitatem filiali obſervantia requirentes, ut dictum P. Emericum, Religionis ſuæ, & præſtitorum ſolemnium votorum nexu, Apoſtolica authoritate prius exſolutum, & ad capienda beneficia Clericalia habilitatum, atque ſub obedientia Sanctæ Sedi debita adactum, vel legitimum ejus Procuratorem de memorato Epiſcopatu Viennenſi, ſuiſque juribus & pertinentiis univerſis inveſtire, & canonicè (ut moris eſt) inſtituere, ac confirmare dignetur. Sanctitatem Veſtram de reliquo Eccleſiæ Dei diutiſſime ſalvam & incolumen ſupereſſe, ex animo filiali cupidiſſimè precamur. Datum in Arce noſtra Lincii die 14. Novembris 1680.

Leopoldus.

Quantùm de ſpe petitę Apoſtolicę proviſionis per antepoſitum Breve factâ, Auguſtiſſimus gaviſus eſt, tantùm illius executionem commendavit per alias literas, & quidem ad Eminentiſſimum D. Cardinalem Cybo ita exaratas.

Leopoldus electus Romanorum Imperator &c.

Cumulatas profitemur Reverendiſſimæ Veſtræ Paternitati gratias, quod ſua, qua apud Summum Pontificem pollet, authoritate cundem diſpoſuerit, ut confirmationem Apoſtolicam futuræ noſtræ præſentationis Honorabilis Patris Emerici, ex Familia Capucinorum, ad viduatam Eccleſiam Cathedralem Viennenſem haud difficulter largiturus, idque Brevi ſuo Apoſtolico teſtatus ſit. Iſti igitur Apoſtolicæ bonitatis propenſioni confiſi præſentationis noſtræ literas ad ſuam Sanctitatem dirigi, & Reverendiſſimi Cardinalis Protectoris diligentiæ committi fecimus, ut illas quamprimum ad Pontificios Pedes deferret, ſummoque ſtudio curaret, quatenus Apoſtolica confirmatio deſuper in forma debita impetraretur. Cum itaque Reverendiſſima Veſtra Paternitas hujus piiſſimi operis telam feliciter exorſa ſit, Eandem porrò benevolè requirimus, ne fatigetur, in dictæ Eccleſiæ certiſſimum emolumentum, & animi noſtri haud vulgare ſolatium, honorifico huic negotio ſupremam manum imponere, & deſideratæ confirmationis Apoſtolicæ expeditionem pro ſolito ſuo erga Nos affectu impensè promovere. Reponemus hoc præclarum & pergratum ſuum officium inter cætera ſtudii erga Nos ſui perpetua monumenta, idque Cæſareæ noſtræ benevolentiæ promptitudine, per omnes benefaciendi opportunitates compenſabimus. Datæ in Arce noſtra Lincii die 14. Novembris 1680.

Leopoldus.

Aliæ ad Eminentiſſimum Dominum Cardinalem Pium datæ ita ſonarunt:

Leopoldus &c.

Cum non ita pridem Venerabilis Wildericus, Epiſcopus Viennenſis, Princeps, devotus, Nobis dilectus, è vivis diſceſſerit, Noſque dicto Epiſcopatui de alio idoneo Præſule providere cupiamus, Sanctitati Suæ per adjunctas literas, quarum exemplum adjacet, pro jure Patronatus, Nobis tanquam Archiduci Auſtriæ competente, ad

hunc Episcopatum Viennensem, Honorabilem P. Emericum ex Familia Sancti Francisci Capucinorum Religiosum, & Missionarium Apostolicum duximus præsentandum: imitati in hoc aliorum Regum & Principum auspicatum exemplum, qui nominando ad Ecclesiarum Regimen Ordinum Religiosos, magnum Rei Catholicæ addidere augmentum. Idipsum a memorati P. Emerici singularibus animi dotibus & virtutibus, quæ in illo prorsus raræ dignoscuntur, certò Nobis pollicentes, Reverendissimam Vestram Paternitatem benevolè & amicè requirimus, velit Suæ Sanctitati has nostras præsentationis literas decenter offerre, ab eaque efficacibus precibus impetrare, ut præsentatum dissoluto Religiosi sui voti vinculo, dignitatis Episcopalis capacem habilemque reddere, eique Apostolicam confirmationem desuper impertiri, & sub Apostolicæ obedientiæ authoritate (invitum enim ad hanc sublimitatem protrahimus) injungere dignetur, ut istam eximiis suis meritis condignam Episcopalem dignitatem citra tergi versationem acceptet. Præstabit in hoc officium Nobis maximoperè gratum, & Ecclesiæ Viennensis commoda non leviter promovebit, Cæsareæ nostræ benevolentiæ in omnes occasiones perpetuò secura. Datæ in Arce nostra Lincii, die decima quarta Mensis Novembris, Anno millesimo sexcentesimo octuagesimo.

Literæ verò ad Apostolicum Dominum Nuntium datæ, erant tenoris subnexi:

Leopoldus &c.

Gratum & acceptum attulit Nobis Tua Devotio nuncium, quod Sanctissimus Romanus Pontifex sua, & Reverendissimi Cardinalis Cybo efficaci interpositione permotus, futuræ nostræ præsentationi ad viduatam Ecclesiam Viennensem, qua in personam meritissimi Patris Emerici, ex Religione Capucinorum, collimamus, paternè annuere & gratificari intendat, idque Brevi suo Apostolico declarare dignata sit. Hac Pontificiæ voluntatis inclinatione freti, nostræ præsentationis literas ad Suam Sanctitatem exarari, easque Reverendissimo Cardinali Pio, Regnorum & Provinciarum nostrarum hæreditariarum Protectori includi fecimus, Apostolicis manibus actutum offerendas: Et quia in Reverendissimi Cardinalis Cybo authoritate ad impetrandum supremum effectum, momenti ponimus plurimum, eundem per has annexas porro requirendum duximus, ut ad extrahendam confirmationem Apostolicam ulterioris operæ suæ solertiam accommodare velit, Devotionem tuam benignè requirentes, ut inclusas memorato Cardinali propediem mittere, suamet ipsa proficua officia ad efficiendum & consummandum hoc pium negotium conferre non gravetur. Quod profectò singularis sui erga Nos studii argumentum erit, omni benevolentiæ Cæsareæ genere a Nobis rependendum. Datæ in Arce nostra Lincii die 14. Novembris Anno 1680.

Leopoldus.

Alia, quæ eximium Fr. Emerici meritum concernunt, reperiet Lector in Tomo primo fol. 130. quæ omnia ibi & hìc data concludunt aliæ literæ, quibus Augustissimus Eundem itineris & lateris comitem sibi dari, mediante P. Ildephonsi Definitoris Generalis officio petiit, ita sonantibus:

Leopoldus Divinâ favente clementiâ electus Romanorum Imperator, semper Augustus.

Honorabilis, Religiose, Devote, Dilecte.

Vobis jam innotuisse nulli ambigimus, quod ob periculosum Epidemiæ morbum, latiùs in dies hac in urbe serpentem, aliò Nos hinc ad tempus recipere atque conferre, proximèque hunc in finem discessum meditari destinaverimus; & cum assistentia & opera Patris Emerici Guardiani Viennensis in omnibus hactenus uti consueverimus, talemque in modum eadem quotidiè indigeamus, ut ejus persona & præsentia carere nequeamus.

Idcirco ab eodem benignissimè flagitavimus, ut iter nobiscum suscipere, Aulamque nostram, seu comitari, seu sequi ocyus vellet: qui se quidem ab initio, Guardiani, Definitoris, Concionatorisque sibi a Sacra Religione concreditorum officiorum intuitu valdè excusavit, tamen se nostræ dispositioni & Sanctæ Superiorum obedientiæ submisit, id tamen sine prævio assensu tam Patris Generalis, quàm Patris Provincialis sibi haud licere respondit.

Quapropter a Vobis benignissimè contendimus, velitis apud Reverendissimum Patrem Generalem Ordinis Vestri eò allaborare, ut dicto Patri Emerico non tantùm in hoc, verùm etiam in omnibus aliis itineribus licentiam ac benedictionem Nobiscum veniendi impertiri, ac, si opus, in virtute Sanctæ Obedientiæ præcipere & jubere vellet, prouti hunc in finem peculiares ad ipsummet Patrem Generalem damus, simul & easdem cum copia Vobis hisce includimus, ut eas ipsimet quàm proximè vel ei tradere, vel eò locorum, ubi modò moratur, securè transmittere possitis, confidentes & Vos desiderium hoc nostrum eò promptiùs, lubentiusque adimpleturos, quòd compertum Vobis sit, continua ejus præsentia indispensabiliter Nobis opus esse. De reliquo Vobis gratia nostra Cæsarea benignissimè propensi manemus. Datum in Civitate nostra Viennæ, die 20. Augusti Anno 1679. Regnorum nostrorum, Romani vigesimo secundo, Hungarici vigesimo quinto, Boemici verò vigesimo tertio.

Leopoldus.

Christophorus de Abele.

Pa-

Paritatem votorum Provinciæ in Comitiis generalibus concedit, & deinceps in hac nova loca sine recursu ad S. Sedem recipi posse indulget.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

AD Pastorale fastigium, meritis licet imparibus &c. *Residuum vide supra fol.* 20.

RESCRIPTO PONTIFICIO.

Imago B. V. Mariæ sub titulo *Consolatricis Afflictorum*, in Capella Cæsarea conservata, *insignis* declaratur, & coram ea orantibus specialissimæ Indulgentiæ conceduntur.

Beatissime Pater.

IMperatrix Regnans, Filia Sanctitatis Vestræ obedientissima exponit, quod erga imaginem Beatissimæ Virginis Mariæ, *Consolatricis Afflictorum*, cum Sanctissimo Puero Jesu lactante in tela depictam, cum coronide deaurata, mensuræ ordinariæ, â P. Josepho Antonio â Triviliano, Missionario Capucino Italo eidem donatam, in Capella Cæsarea conservatam, & magno populi affluxu ob gratias, quas B. Virgo dispensare solet, cultam, peculiari devotione feratur; quapropter Sanctitati Vestræ debitâ veneratione supplicat, ut eandem, *Imaginem insignem* declarare, & Indulgentias plenarias pro omnibus ejusdem B. Virginis festis, pro Nativitate Domini nostri Jesu Christi, ac pro festis SS. Josephi, Joachim, Annæ, Elisabeth, & Caroli; nec non Indulgentias septem annorum S. Missæ Sacrificium ibi audientibus concedere dignetur, cum facultate eas applicandi per modum suffragii, quatenus juxta Oratricis desiderium devotio Fidelium erga eandem miraculosam Imaginem augeatur. Quam gratiam.

Placet die 29. *Augusti* 1727.

Benedictus PP. XIII.

Ex Audientia Sanctissimi die 29. *Aug.* 1727. *Factâ per me relatione Sanctissimus benignè annuit, & propriâ manu, ut supra, signavit.*

J. Archiepiscopus Philippens. Auditor.

Autogr. in Archivo Provinciæ.

PONTIFICIO MANDATO.

Literas Fundationis Capellæ B.M.V. Auxiliatricis Patavii ad literam servari, & abusus á Capitulo Cathedrali inductos coërceri, Episcopo Principi ibidem committitur.

Illustrissime, ac Reverendissime Domine.

DElatum fuit ad Sanctissimum Dominum, jus & possessionem, quæ Patribus Capucinis competit in directione spirituali Ecclesiæ, B.V.M. Auxiliatrici, divoque Francisco dicatæ supra istum Seraphicum Montem perturbari, ac lædi â Decano & Capitulo istius Cathedralis variis in rebus, & præcipuè administrando Matrimonii Sacramentum, & jubendo, ut Missæ in eadem Capella persæpe cantentur sine prævia P. Guardiani notitia, aliæque Missæ de Requiem celebrentur, etiam diebus duplicis ritûs, & majorum Ordinis Solemnitatum contra Decretum S. Congregationis Rituum; necnon illiusmet Decreti tabellam, jussu prædictorum Decani & Capituli abstractam quoque fuisse â Sacristia, in qua reperiebatur appensa.

Et quia repræsentatur, & asseritur fundationem ejusdem Capellæ â Barone Schwendi factam, & confirmatam ab Urbano VIII. tribuere, & reservare Patribus Capucinis, eorumque Patri Guardiano curam & directionem Exercitiorum spiritualium, necnon divinorum Officiorum, concedendo dumtaxat Decano & Capitulo administrationem aliarum rerum, propterea vult Sua Beatitudo, ut, quando præfati abusus & attentata subsistant, Vestra Illustrissima Dominatio monere Decanum, & Capitulum, eisque præcipere non omittat, ut sese imposterum abstineant â quocunque actu læsivo jurium Religiosorum, & contrario dispositionibus factis â Fundatore Capellæ.

Ego Illmam Dominationem Vestram de Pontificia mente certiorem faciens, minimè dubito, quin eo lubentius curatura sit illius adimplementum, quò magis mihi compertum est, quanto ipsa ferveat zelo pro justitia, & bono Ecclesiasticæ disciplinæ. Et interim ipsius manus deosculor.

Romæ die 18. Maii 1726.

Domin. Vestræ Illustrissimæ.

Servus.

F. Card. Paulutius.

Exemplar in Archivo Provinciæ.

NOTA.

Repetiit idem post duos annos similis Epistola, data ex Secretaria Pontificia Status, ut sequitur:

Illustrissime, ac Reverendissime Domine.

Illustrissima Dominatio Vestra, quæ abundat zelo pro justitia, & observantia disciplinæ Ecclesiasticæ, nullum dubitandi locum relinquit, quin juxta mentem Sanctissimi Domini nostri, ipsi literis hujus Secretariæ Status sub die 18. Maii anno 1726. expressam, necessario calore incumbat manutentioni fundationis hujatis Capellæ B. Virginis Auxiliatricis, â Barone de Schvvendi factæ, & ab Urbano VIII. P. M. confirmatæ, quæ attribuit & reservat, prout ipsi constat, PP. Capucinis & eorum Guardiano curam, & directionem spiritualem ejusmodi Capellæ, concedendo Decano & Capitulo suæ Cathedralis solummodo administrationem aliarum materiarum: nihilominus Sanctitati Suæ adeo cordi est, ut integrè removeantur abusus introducti in prædictam Capellam contra dispositionem Fundatoris, quod jusserit me præsenti Epistola Illustrissimam Dominationem Suam noviter excitare. Unde non dubito, quin eò libentius & enixè hanc rem sit adimpletura, cum in eadem Se Sanctitatis Suæ mentem executuram sciat. Datum Romæ die 10. Julii Anno millesimo septingentesimo vigesimo octavo.

Cardinalis Lercarius.

Motus hac Epistola Celsissimus, & Reverendissimus Princeps, & Episcopus Passaviensis, causæ, Visitatione Canonica factâ, sequenti Decreto providere studuit.

Nos, Dei gratiâ, Josephus Dominicus Episcopus, & S. R. I. Princeps Passaviensis ex Comitibus de Lamberg &c. &c.

Venerabiles, Illustrissimi, Nobis sincerè Dilecti, Fideles.

Ex habita nostra nuper ad ordinationem nostram in Monte Beatæ Virginis Mariæ Auxiliatricis Canonica Visitatione humillimè Nobis expositum est, qualiter â Venerabili nostro Capitulo illuc Deputati ad varia proposita quæsita, præcipuè circa rubricam literarum fundationis minimè responderint, sed ea ad desuper referendum acceperint. Quandoquidem verò hac ratione visitatio plenum effectum sortiri nequit, ideo prædicta interrogatoria, quorum responsio adhuc desideratur, huic nostro mandato adjungere voluimus, ut ad summum intra octiduum debita ad ea responsa reddantur, atque ad nostrum Officium Ecclesiasticum transmittantur. De cætero sacris Canonibus omnino adversatur, quod claves tam ad Tabernaculum, quàm sacros Liquores Ministro Laico custodienda relinquatur: & quamvis illæ in Sacristia asserventur, Patribus tamen Capucinis ad eas non pateat accessus, sed exspectare primum debeant, donec Janua ab Æditio aperiatur. Eapropter clementissimè mandamus, ut â Venerabili nostro Capitulo etiam memoratis Patribus Capucinis, quibus per piissimum Fundatorem spiritualia omni efficaciâ concessa sunt, ad Ecclesiam perinde, ac ad Sacristiam clavis tradatur, atque Tabernaculi, uti & sacrorum Liquorum custodia iisdem relinquatur: Æditui verò crebrior inebriatio justâ severitate coërceatur, & inhibeatur. Quibus omnibus juri & æquitati fiet satis. Nos verò toti gremio Capitulari Paterno semper affectu benevoli manemus. Datæ in Civitate nostra Passaviensi die 16. Septembris anno 1728.

Decreto hoc non obstante, Reverendissimum Capitulum ad quæstionis articulos respondere supersedit, ita, ut habita quoque visitatio suum non fuerit sortita effectum. Hinc Frater Adrianus â Gravenegg, pro tempore Minister Provincialis, denuo ad Sacram Sedem humiles repetiit pro remedio preces. Quibus auditis, sanctæ memoriæ Benedictus XIII. Pontifex Maximus, ad altefatum Episcopum sequentem in forma Brevis dedit Epistolam.

Exempl. in Arch Provinciæ.

Celſiſſimi, ac Reverendiſſimi Joſephi Dominici, Epiſcopi Paſſavienſis, zelum, quo jura Fratrum circa adminiſtrationem ſpiritualem Capellæ B. V. Mariæ Auxiliatricis contra prætenſiones Capituli Cathedralis ſacra tecta ſervari curavit, commendat, & Decretum proviſionale deſuper editum confirmat.

A tergo: *Venerabili Fratri, Joſepho Dominico, Epiſcopo Paſſavienſi.*

BENEDICTUS PAPA XIII.

Venerabilis Frater ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

NOn ſine gravi animi dolore accepimus à Dilecto Filio, Hadriano de Gravenegg, Ordinis S. Franciſci Capucinorum in Auſtria & Hungaria Miniſtro Provinciali, quæ iſthic in Eccleſia ſeu Capella, B. V. Mariæ Auxilatricis nuncupatâ, à Decano & Capitulo Cathedralis ſuæ Eccleſiæ innovata contra diſertam Inſtitutoris mentem, & fundationis Documentum, ab hac Sacra Sede confirmatum per Apoſtolicas litteras felic. recordat. Urbani VIII. Romani Pontificis, Prædeceſſoris noſtri datas XII. Kalendas Auguſti anno milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo primo, & contra apertiſſima jura Fratrum Ordinis Sancti Franciſci Capucinorum quoad ſpiritualia, Divinique Officii exercitationes invaluiſſe, Nobis eſt renuntiatum. Mirifico tamen ſolatio Nobis fuit, quod Paſtorali zelo obviàm ire ſuſceperis, & ſuſceptâ ejus Eccleſiæ Epiſcopali viſitatione opportunum remedium adhibere curaveris novis rebus, adversùs Sacrorum Canonum, & Fundationis præſcriptionem, & Apoſtolicarum litterarum confirmationem admiſſis. Omnem proinde curam, mœroremque Nobis demiſſet ſollicitudo, & prudentia Fraternitatis Tuæ, ſi cœptam viſitationem abſolvere, & proviſionale Decretum, cujus exemplum accepimus, exequi potuiſſes.

Ne quid igitur ulteriorem Canonicis remediis moram objiciat, ſed abuſus temerè invecti prorſus eliminentur, à Fraternitate Tua editum proviſionale Decretum, noſtra etiam authoritate confirmamus, ejuſque executionem Tibi omnino injungimus, & mandamus. Volumus præterea, ut cœptam Viſitationem perficias, facultateſque Tibi neceſſarias & opportunas Tibi impertimur, ut impedimenta, ſi quæ obſiſtant, removere poſſis, & quæ in fundationis inſtrumento, Apoſtolicis litteris confirmato, ſunt conſtituta, vindicare, ſi qui verò abuſus irrepſerint, authoritate quoque noſtra evellere & emendare valeas & nitaris. Hanc autem de eximia tua Paſtorali virtute fiduciam luculento fore Tibi teſtimonio ſperamus præcipuæ charitatis, præclaræque opinionis, quam de Tua Fraternitate gerimus, cui Apoſtolicam Benedictionem peramanter elargimur.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXI. Januarii MDCCXXIX. Pontificatus Noſtri Anno quarto.

Exemplar. in Archiv. Provinciæ.

APOSTOLICA AUCTORITATE.

Fratribus in expeditione Militari contra Turcas cura Animarum in Hoſpitalibus Hungariæ, inſpectio Hoſpitalium, & infirmorum &c. committuntur; ac nonnulla privilegia conceduntur.

Camillus Paulutius, ſacroſanctæ Lateranenſis Eccleſiæ Canonicus, utriuſque Signaturæ Referendarius, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratiâ Archiepiſcopus Iconenſis, Sanctiſſimi Domini Noſtri Domini, Clementis Divina providentia Papæ XII. Prælatus domeſticus, & Aſſiſtens ejuſdem, ac dictæ Sanctæ Sedis Apoſtolicæ apud S. Cæſaream Majeſtatem, Carolum VI. in Imperatorem electum, nec non per Germaniam, Hungariam, Bohemiam, Croatiam, Auſtriam, Styriam, Carinthiam, Carnioliam, Tyrolim, Goritiam, univerſumque Romani Imperii diſtrictum cum facultate Legati de latere Nuncius.

Dilectis Nobis in Chriſto RR. Patribus Marcello Cremiſanenſi, Nicodemo Pruggenſi, Wendelino Reinbergenſi, Walthero Pobonienſi, Geroldo Budenſi, & Narciſſo Welſenſi, Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum ſalutem in Domino ſempiternam.

CUM Sanctiſſimus Dominus Noſter Papa non minùs ſpirituali, quàm corporali Militis Cæſarei curæ, in præſenti contra Turcas expeditione conſultum eſſe cupiat, ac ad ſublevandas Cæſarei ærarii vires concurrere libe-

liberaliter volens, aliquam pecuniæ ſummam in pios uſus, videlicet in medicinas, & alimenta Militum, in hac eadem expeditione vulneribus conficiendorum, vel fatiſcentibus viribus in varios morbos incidentium convertendam, quantùm in Domino poteſt, elargiri intendat; ut ſanctæ hujuſmodi intentioni debitè ſatisfiat, Nos de veſtro in proximum zelo, & in S. Sedem obſervantiâ plurimùm in Domino confiſi, Vos & veſtrûm ſingulos, ut in Hoſpitalibus Caſtrorum Cæſareorum in Hungaria, peſte tamen non infectis, in præſenti expeditione, tam curam Animarum quoad adminiſtrationem Sacramentorum Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, & Extremæ Unctionis gerere, quàm etiam inſpectionem, ut infirmis alimenta, & pharmaca ritè præbeantur, habere poſſitis, & valeatis, Auctoritate Apoſtolica, Nobis à Sanctiſſimo ſpecialiter conceſſa, conſentiente, imò ſollicitudinem Pontificiam approbante Auguſtiſſimo Cæſare, per præſentes conſtituimus, & deputamus, ita, ut de modo, fidelitate, & vigilantia, quibus præfatæ militiæ in hoſpitalibus, ut ſupra, detentæ, de medicinis & alimentis proſpectum fuerit, Nos ſingulis menſibus, dum ratiocinia unà à Vobis ſubſcribenda, ad hanc Aulam deſuper mittentur, certiores reddere debeatis, & non aliter. Interim pro veſtro ſpirituali ſolatio, ac quò commodiùs infirmis aſſiſtere, veſtramque valetudinem curare valeatis, eadem auctoritate, ut ſuper altari portatili in itinere celebrare, & induſiis, ac fœmoralibus pro tempore commiſſi Vobis muneris uti, nec non pecuniam pro indigentiis veſtris contrectare, ſervare, & expendere valeatis, Vobis licentiam concedimus, & impertimur.

Datum Viennæ Auſtriæ ex Palatio ſolitæ reſidentiæ noſtræ die decima tertia menſis Julii 1739.

Archiepiſcopus Iconienſis Nuncius Apoſtolicus.

Autograph. in Archivo Provinciæ.

Altare Capellæ, in qua Imperatorum, Principum & Principiſſarum ex Domo Auſtriaca &c. ſepeliuntur, privilegiat.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Omnium ſaluti paternâ charitate intenti, Sacra interdum loca ſpiritualibus Indulgentiarum muneribus decoramus, ut inde Fidelium Defunctorum animæ, Domini noſtri Jeſu Chriſti, ejuſque Sanctorum Suffragia meritorum conſequi, & illis adjutæ ex purgatorii poenis ad æternam ſalutem per Dei miſericordiam perduci valeant.

Cum itaque, ſicut accepimus, ſubtus Eccleſiam Conventûs Fratrum Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, Civitatis Viennenſis, quædam Capella, in qua Cadavera Imperatorum, ſeu in Imperatores Electorum, eorumque Uxorum, nec non aliorum Principum, & Principiſſarum ex inclyta Domo Auſtriaca, ſeu in eam Nuptarum ſepulta ſunt, reperiatur, Nos Capellam hujuſmodi hoc ſpeciali dono illuſtrare volentes, authoritate Nobis à Domino traditâ, ac de omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus authoritate confiſi, ut, quandocunque Sacerdos aliquis Sæcularis, vel cujuſvis Ordinis Regularis Miſſam Defunctorum pro anima cujuſcunque Imperatoris electi, ejuſve Conjugis, Principis aut Principiſſæ ex Familia præfata, vel Principiſſæ in eandem Familiam nuptæ, quæ Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, ad prædictam Capellam celebrabit, anima ipſa de theſauro Eccleſiæ per modum Suffragii indulgentiam conſequatur, ita, ut ejuſdem Domini noſtri Jeſu Chriſti, & Beatiſſimæ Virginis Mariæ, Sanctorumque omnium meritis ſibi ſuffragantibus è purgatorii pœnis liberetur, concedimus, & indulgemus, in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcunque, præſentibus ad decennium tantùm valituris.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die v. Aprilis MDCCXLII. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

D. Cardinalis Paſſioneus.

Breve formatum in Archivo Conventûs.

NO-

NOTA.

Circa annum 1618. decrevit Fratribus Cæſareorum Cinerum cuſtodiam Auguſtiſſima Imperatrix Anna, Auguſtiſſimi Imperatoris Mathiæ Coniux; dum enim intra Viennam iis Domum, ad S. Mariam Angelorum nuncupatam ædificari voluit, ſub hujus Eccleſia, & Cryptam, Altari, in quo quotidie tria Sacra celebrari debent, ornatam, pro ſua, Auguſtiſſimi Conjugis &c. Sepultura conſtrui juſſit, prout patet ex paragrapho, ex teſtamento excerpto, & ita ſonante: *non dubito, quin Auguſtiſſimus Imperator, amantiſſimus meus Coniux in reſolutione ſua clementiſſimè ſit perſtiturus, Schaumburgerianam Domum PP. Capucinis donaturus, & pro fabrica illorum Eccleſiæ neceſſaria ex proprio ſubminiſtraturus. Si verò ſua Cæſarea Majeſtas Eccleſiæ ædificium ex integro in ſe ſuſcipere nollet, ſitumque duntaxat (de quo non dubito) Capucinis donare vellet, ordino & diſpono, ut præter duodecim millia florenorum, pro ædificatione Sacelli & Altaris à me legata, decem alia millia florenorum pro fabrica Eccleſiæ expendantur.* Cadente funeſto mortis caſu, Auguſtiſſima Cadavera ad portas Eccleſiæ magnificâ pompâ portari, ibi humili cultu à Fratribus noſtri recipi, & ad cryptam, locumque quietis deferri ſolent, ubi à ſupremo Aulæ Præfecto Sarcophagus, recognito prius à P. Guardiano intus jacente Funere, obſeratur, clave unâ eidem P. Guardiano concreditâ, & aliâ in Aula conſervata. Quieſcunt ibi ab illo tempore Cadavera, quorum nomina cum inſcriptionibus & epitaphiis ibi appoſitis, hîc ſubnectuntur.

I. Auguſtiſſima Imperatrix ANNA Tyrolenſis, Auguſtiſſimi Imperatoris Mathiæ Conjunx.

INSCRIPTIO.

D. O. M. S.

Monumentum Auguſtiſſimæ Imperatricis, Annæ, Conjugis Auguſtiſſimi Imperatoris Mathiæ, Reginæ Hungariæ & Boemiæ, Archiducis Auſtriæ &c. piè Defunctæ vitæ & Imperio, 15. Decembris 1618.

II. Auguſtiſſimus Imperator MATHIAS, cujus ſequens eſt

INSCRIPTIO.

D. O. M. S.

Monumentum Auguſtiſſimi, & invictiſſimi Cæſaris, Mathiæ, Regis Hungariæ & Boemiæ, Archiducis Auſtriæ &c. qui beato Fine vitam, & Imperium concluſit. Anno 1619. 20. Martii.

III. Sereniſſimus Archidux, PHILIPPUS AUGUSTINUS, Ferdinandi III., & Mariæ, Infantis Hiſpaniæ Filius.

INSCRIPTIO.

Philippus Auguſtinus, Archidux Auſtriæ &c. Filius Ferdinandi III., Imperatoris Auguſti, ex Maria, Infante Hiſpaniarum, Philippi III. Regis Filia &c. natus 15. Julii 1637. denatus 22. Junii 1639.

IV. Sereniſſimus Archidux Auſtriæ, MAXIMILIANUS THOMAS, Ferdinandi III. & Mariæ, Infantis Hiſpan. Filius.

IN-

INSCRIPTIO.

Maximilianus Thomas, Archidux Auſtriæ, Ferdinandi III. & Mariæ, Infantis Hiſpaniarum Filius, natus 20. Decembris 1638. denatus 29. Junii 1639.

V. Auguſtiſſima Imperatrix, MARIA, Conjux Ferdinandi III., & Infans Hiſpan. cum Sereniſſima ſua Prole, Maria.

INSCRIPTIO.

Exſpecto, donec veniat immutatio mea. Job. 14.

Monumentum Auguſtiſſimæ Mariæ, Cæſaris Ferdinandi III. Conjugis, Hiſpaniarum Infantis, Philippi III. Regis Filiæ, Et Mariæ, eorundem Cæſaris & Auguſtæ Filiæ, ex utero paulò poſt mortem Matris ferrô extractæ, quarum Animæ in Cœlis, Corpora in terris hìc tumulata univerſalem reſurrectionem exſpectant. Obierunt Lincy die 13. Maii 1646.

VI. Auguſtiſſima Imperatrix, MARIA LEOPOLDINA, Tyrolenſis, Ferdinandi III. ſecunda Conjux.

INSCRIPTIO.

Spes mea Dominus.

Hoc clauſa tumulo Maria Leopoldina, Auguſtiſſimi Cæſaris Ferdinandi III. Auguſtiſſima Conjunx, Hungariæ, & Boemiæ Regina, Sereniſſimorum Archiducum Leopoldi & Claudiæ Sereniſſima Filia. Ubi Auguſtam Prolem, Orbis delicium, vitæ dedit, vitâ exceſſit, digna ſæculis, vix imperii annum, ſimul & vitam, & maxima virtutum merita complevit die 7. Auguſti 1649.

VII. Sereniſſima Archiduciſſa, MARIA TERESIA, Filia Ferdinandi III. ex Maria Eleonora Mantuana.

INSCRIPTIO.

Maria Thereſia Joſepha, Archiduciſſa Auſtriæ, Filia Ferdinandi III. Imperatoris Auguſti, ex Maria Eleonora, Mantuæ Principiſſa, Caroli Filia, nata Kalendas Aprilis 1652. Denata 17. Julii 1653.

VIII. Auguſtiſſimus Romanorum, Hungariæ & Boemiæ Rex, FERDINANDUS QUARTUS, Primogenitus Ferdinandi III., & Mariæ Infantis Hiſpaniarum.

INSCRIPTIO.

Pro Deo, & Populo.

Ferdinandus Quartus, Romanorum, Hungariæ, Boemiæque Rex, Archidux Auſtriæ, Ferdinandi III. Cæſaris ex Maria, Hiſpan. Infante Filius Primogenitus, natus 8. Septemb, 1633. denatus 9. Julii 1654.

In

In tabula quadam ad hujus magnæ ſpei Principis
Tumbam, ſequens legitur Epitaphium.

Quicunque eſtis vos
Imperator, Reges, Principes
Hic gradum ſiſtite.
Muneris veſtri ſpectaculum ſub hoc marmore jacet.
Luxit vobis natus brevi tempore
Et in ſeram poſteritatem naſcituris
Ferdinandus IV. Ferdinandi III. Cæſaris Filius;
Romanorum, Hungariæ, Boemiæque Rex,
Ætatis annum, nondum vigeſimum primum,
Coronationis Cæſareæ quatuordecim menſes,
Sed virtutum actu ſæcula implens,
Ea vitæ, morumque ſanctitate
Ac præmaturâ in geſtis Prudentiâ,
Ut in amorem, admirationemque ſui
Vel ignotos ſolo aſpectu raperet.
Ne Cœlebs orbi decederet, ſolus Virtutum Genitor
Genitorem ſuum Filii loco reliquit
Superſtitem, ſimulque imitandum.
Hoc facite, ita vovet, qui à cunis ad tumulum
uſque mortuo
Fidelis ad proprium uſque erit,
Et hoc monumentum in lachrymarum otio meritò poſuit
Joannes Weichardus, Princeps ab Averſperg.

IX. Auguſtiſſimus Imperator FERDINANDUS III.

INSCRIPTIO.

Ferdinandus III. Romanorum Imperator, Hungariæ, Boëmiæque Rex, Archidux Auſtriæ &c. &c. Ferdinandi II. Cæſaris Filius, ejuſque in Imperio Succeſſor & in Regnis, natus Græcii 13. Julii Anno 1608., denatus Viennæ, 2. Aprilis 1657.

Tumbæ ejuſdem etiam ſequens Epitaphium
appenſum cernitur.

Lege & luge, ora & plora,
En! quieſcit in hoc Ferdinandus III., Sarcophago,
Princeps pius Deo, & juſtus Populo

*

Imperator
Ex Sereniſſimo Familiæ Auſtriacæ Sanguine
Et virtute in terris
In Cœlis.

*

Rex
Tribus redimitus coronis, quas hîc deposuit mortales;
Ut quartam ibi poneret immortalem.
Ad quartam præmisit in Cælum Filium Ferdinandum
IV. amabilem
Ad duas reliquit in mundo alterum Filium Leopoldum
Affabilem.
De tertia Imperiali ex hoc mundo ab intestato quidem decessit,
Cui tamen consilio & industriâ Leopoldus successit,
Sponsus & Pater
Tertio procedens de thalamo suo, ut Sponsus, decies ut Pater,
Maria, & Leopoldina præivit, quò nunc ille ivit,
Eleonora ibit.
Tres ex unaquaque, unum superstitem reliquit Filium
Ut trini sint, & uni in terris
(Divisô Imperiô) cum uno Deo & trino in Cœlis.
Imperavit
Annis 21. priùs hostes videns in Imperio, quàm coronam acciperet
Ab Imperio.
Ne ante victoriam de hostibus ageret triumphum, sine hostibus
Gloriosior post Bella imbella in pace ferenda, quam tulit Princeps
Pius Deo
Quam Bella imbella inferenda, quæ abstulit Princeps Justus Populo
Moritur.
Eheu! moritur Ferdinandus annorum nondum 50. natus.
Sed quinquagesimus inter cælites pro Jubilæo fuit reservatus.
Anno 1657. inter mortales ipse erat mortalis, Imperio
Inter fata fatalis.
At Ferdinando inter mortales erat natalis.
Christo tunc 1. Aprilis resurgente, mox secunda die cecidit Ferdinandus
Ut hoc Paschate cum Christo ovaret tutiùs, & resurgeret citiùs.
Oriente Sole nostro Cælesti, occidit Sol noster Patriæ,
Ibi æternò oriturus, & nunquam moriturus.
Aurora tunc Ipsi, Ipse Auroræ valedixit, quandò dixit.
Voluntas Dei vita mea: hæc dixit, & vixit.
Hâc demum Augustus totius Mundi Monarcha
Angustâ conditur quinque cubitali in arca.
Cui vivus nemo par, nemo major, sub sphera ignis
Moriens pariatur Minoribus Capucinis
Qui est mundi gloriæ finis.
Hæc lege & luge, ora & plora
Plorando ne tace, sed ora, requiescat in pace.

X. Serenissimus Archidux, FERDINANDUS JOSEPH, Filius Ferdinandi III. & Mariæ Eleonoræ Mantuanæ.

IN-

INSCRIPTIO.

Ferdinandus Josephus Aloysius, Archidux Austriæ, Filius Ferdinandi III. Imperatoris, ex Maria Eleonora Mantuæ Principe, Caroli Filia, natus 11. Februarii 1657., denatus 16. Junii 1658.

XI. Serenissimus Archidux LEOPOLDUS GUILIELMUS, Frater Germanus Ferdinandi III.

INSCRIPTIO.

Timore Domini.

Hâc urnâ conditur Leopoldus Guilielmus, Archidux Austriæ, Imperatorum Ferdinandi II. Filius, Ferdinandi III. Frater, Leopoldi Patruus, Augustissimæ Domûs fidelissimus Princeps, Ordinis Teuton. Magnus Magister, plurium Ecclesiarum piissimus Antistes, Cæsareanorum Exercituum fortissimus Dux, Boemiæ & Belgii sapientissimus Gubernator, qui natus Neostadii in Austria Anno 1614., die 6. Januarii, Viennæ die 20. Novembris CoMpLeVIt DIes sVos.

EPITAPHIUM.

In scopulum incidisti, Viator, subsiste, & lege.
Ad hoc saxum ingentes titulos, dicam, orbis miracula, mors allisit.
Archiducem, Antistitem,
Belli Imperatorem, Serenissimum
Leopoldum Guilielmum,
Imperatorum Ferdinandi secundi Filium,
Ferdinandi Tertii Fratrem,
Leopoldi Patruum.
Archidux
Natalium splendore Serenissimus, Augustâ Stirpe Austriacus.
Parentum appellatione, & innocentiâ vitæ Angelicus.
Indole flexibilis, ingenio docilis, morum decore Virgineus.
Animo candidus, sermone affabilis, oculorum gratiâ Magneticus.
Affectibus temperatus, irasci difficilis, placari facilis.
Vindictæ ignarus, benefacere avidus, neminis bono invisus
Suorum amans, charus suis, omnibus idem, singulis alius,
Virtute communis, æquè ac singularis.
Paucorum exemplo, honorem doctus spernere, & mereri.
Antistes.
A prima ætate amplissimis è Vaticano litteris
Sed propria virtute magis commendatus,
Uno Capite multis par Infulis.
Rarò Ecclesiis suis præsens, nunquam absens,
Necessitate publica, consensu Pontificio, postulatione Cæsarea avulsus
vel sic cura conjunctissimus,
Profusus in Deum, liberalis in homines, in unum se parcus,
Æquè justa negare, & iniqua condere nescius.
Auxit Ecclesiarum nitorem, expunxit nomina, adjecit animas.

Belli Imperator
Teutonici Ordinis Magnus Magister.
Cruce Domini, vel ut Clypeo, vel ut hastâ usus
Sub Cæsare, & Rege Catholico Exercituum Generalis
Pro Deo, Imperio, Belgio, vitæ prodigus,
Sub Marte pius, sed armis innocens,
Sine furore magnanimus: sine tumore victoriosus.
unus utrisque fortunæ Dominus.
Pacis amans, dum Bella gessit
Arma, victorias, Fidem iisdem labaris contulit.
Tandem de Religione & Orbe Christiano præclarè meritus
Magno hîc relicto mortalibus desiderio
Æternùm memorandus Archidux
Verum Christianorum Principum Exemplar
CoMpLeVIt DIes sVos.
Vigesimâ Novembris.
Legisti hæc Viator?
Abi
Et Principibus, Episcopis & Ducibus narra.

XII. Serenissimus Archidux, CAROLUS JOSEPHUS, Filius Ferdinandi III., & Mariæ Leopoldinæ Tyrolensis.

INSCRIPTIO.

In hac urna clauditur magna mundi spes, Carolus Josephus, Archidux Austriæ, Ferdinandi III. Cæsaris, & Leopoldinæ Augustæ Filius, natus Viennæ 1649., die 7. Augusti, denatus Lincii 1664. die 27. Januarii, humatus Viennæ eodem anno die 21. Februarii. Cujus Animæ, quisquis es, bene precare.

EPITAPHIUM.

Siste Viator,
Tot inter coronas & sceptra,
Quæ in hoc reconditorio defodit mors,
Rari valoris gemmam invenisti,
Multùm carbunculi habere credo,
Nam & in his tenebris mirè lucet.
Hic reconditur
Carolus Josephus
Archidux Austriæ
Magni Cæsaris Ferdinandi Tertii
Ex Leopoldina nata Proles:
Cui Mater Augusta sic lucem dedit, ut sibi adimeret,
Ita Animam inspiravit, ut exspiraret.
Et verè Prolem usque ad mortem amavit, & animavit,
Tam carò chara soboles Matri stetit.
In hoc Principe combinata mundus obstupuit senium & juventutem,
Nam in Annis

Pro-

Provectam ætatem, in Puero ſcientias ſeniles
In Adoleſcentulo canas virtutes ſuſpexit.
Immaturè quis occubuiſſe hunc diceret,
Niſi præcocia in eo omnia fuiſſent?
Hinc maturus Cælo, maturiùs è mundi cœno ſublatus
Illi Januarius, qui anni fores aperit, vitæ clauſit,
LInzII DIe 27. noCtV sVb hora M. 2.

XIII. Sereniſſimus Archidux, FERDINANDUS LEOPOLDUS WENCESLAUS, Filius Leopoldi I. & Margaritæ Infantis Hiſpan.

INSCRIPTIO.

Ferdinandus, Leopoldus, Wenceslaus, Ignatius, Michael, Elzearius, ArchiDux Auſtriæ, Filius Leopoldi I. Imperatoris, ex Margarita Hiſpan. Infante, Philippi IV. Regis Filia, natus 28. Septemb. 1667., denatus 13. Januarii 1668.

XIV. Sereniſsimus Archidux, JOANNES Auſtriacus, Filius Leopoldi I., & Margaritæ Hiſpan. Infantis.

INSCRIPTIO.

Hìc jacet Joannes Auſtriacus, Leopoldi I., Imperatoris, & Margaritæ Hiſpanæ Filius, multis votis poſtulatus, præmaturo partu obtentus, præmatura morte ereptus, ſemi-horæ ſpatio vitam clauſit. Deplorabitur tantò diutius, quantò breviorem fecit ſui copiam, natus & denatus Anno Domini 1670. die 20. Februarii.

XV. Sereniſsima Archiduciſſa, MARIA ANNA, Filia Leopoldi I. & Margaritæ Hiſpan. Infantis.

INSCRIPTIO.

Hæc Urna tegit Mariam Annam, Apolloniam, Joſepham, Scholaſticam, Auguſti Leopoldi I. Filiam, tenellos Corpuſculi cineres lachrymis diluere vetuit Cœlo jam recepta Animula. Lucem primam aſpexit Divæ Apolloniæ Feſto, Anno MDCLXXII. clauſit XXIII. Februar.

XVI. Auguſtiſsima Imperatrix, MARGARITA Infans Hiſpan., & prima Conjunx Leopoldi I.

INSCRIPTIO.

Hâc tumbâ clauditur redacta in pulverem Margarita, Infans Hiſpaniarum, Philippi IV. & Mariæ Annæ Auſtriacæ Filia, Leopoldi I. Cæſaris prima Conjunx, quatuor Auguſtarum Prolium Mater, quarum tres in cælos præmiſit, unam ſuperſtitem in ſolatium afflictæ Auſtriæ, quia ſimilem ſibi, reliquit Mariam Joſepham, quintam, dum cum orbis exſpectatione maternis fovet viſceribus, præmatura mors Matri, & Proli vitam, Auſtriæ ſpem ſuccidit, vixit innocentiſsimè annos XXI. Menſes VIII., imperavit ſanctiſsimè Annos VI., Men-

ſes

ses IV., obiit piisimè Anno MDCLXXIII., die XII. Martii, nunc felicissimè requiescat in pace.

XVII. Serenissima Archiducissa, Anna Maria, Filia Leopoldi I., & Claudiæ Felicitatis Tyrolensis.

INSCRIPTIO.

Serenissima Archiducissa, Anna Maria, Josepha, Theresia, Antonia, Dominica, Xaveria, Theodora, Augustissimæ Imperatricis Claudiæ Felicitatis prima Proles, quæ Anno MDCLXXIV. nata in autumno, Deo maturivit in hyeme, dedit illam mundo Septemb. die XI., transcripsit Cælo Decemb. die XXI. sub noctem hora X. compendioso itinere! Vix viam ingressa, pervenit ad terminum humanæ Peregrinationis, & modò æternùm requiescit in pace.

XVIII. Cor Augustissimæ Imperatricis Claudiæ Felicitatis: *Corpus enim apud RR. PP. Dominicanos tumulatum est.*

XIX. Serenissima Archiducissa, Maria Josepha, Filia Leopoldi I. & Claudiæ Felicitatis.

INSCRIPTIO.

Hîc quiescit Serenissima Archiducissa, Maria Josepha, Clementia, Antonia, Francisca, Dominica, Eva, Placida, Augustissimæ Imperatricis Claudiæ Felicitatis Proles secunda, sub autumno effloruit, & æstate exaruit, Anno MDCLXXV. die XI. Octobris, rore sub Auroræ communem hujus vitæ ingressa auram, inter tertiam & quartam mundo apparuit: Anno MDCLXXVI. die XI. Julii post medium noctis horâ primâ & quadrante supra dempta solo, inserta Polo, rursum disparuit, omnia quatuor anni tempora percurrit, nullum placuit, amodò lassa quieti se dedit. Requiescat in pace.

XX. Serenissimus Archidux, LEOPOLDUS JOSEPHUS, Filius Leopoldi I., & Eleonoræ Magdalenæ Theresiæ Neoburgianæ.

INSCRIPTIO.

Serenissimus Leopoldus Josephus, Guilielmus, Franciscus, Antonius, Erasmus, Archidux Austriæ hâc urnâ conditur, Viennæ natus 1682. 2. Junii, Laureaci 1684. mundo denatus est. Quantæ ob miram indolem spei, tanti ob præcocem mortem causa doloris, verè Filius Benoni.

XXI. Serenissimus Princeps, sub conditione baptizatus, Filius Ducis Palatini & Mariæ Annæ, Archicucissę Austrię.

XXII. Augustissima Imperatrix, ELEONORA, Mantuana, tertia Conjunx Ferdinandi Tertii.

IN-

I N S C R I P T I O.

In hoc monumento condita sunt Ossa Augustæ, Ferdinandi III. Imperatoris Viduæ, Eleonoræ, Imperatricis Roman., Germaniæ, Hung. & Boemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclavoniæ Reginæ, Archiducis Austriæ, Ducis Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carnioliæ, Comitis Tyrolis, natæ Principis Mantuæ, & Montisferrati, quæ piè obiit Viennæ 6. Decemb. 1686. Anima ejus in manu Domini est.

XXIII. Serenissima Archiducissa, MARIA ANNA, Filia Ferdinandi Tertii, & Eleonoræ Mantuanæ.

I N S C R I P T I O.

In hoc monumento condita sunt ossa Serenissimæ Principis, & Dominæ Dominæ Mariæ Annæ Josephæ, Archiducis Austriæ, Augustissimorum Parentum Ferdinandi Tertii, & Eleonoræ Mantuanæ Magnæ Filiæ, Serenissimi Electoris Guilielmi Ludovici Serenissimæ Conjugis, quæ Viennæ Austriæ 4. Aprilis in Christo suaviter obdormivit 1689.

XXIV. Serenissima Archiducissa, MARIA MARGARITA, Leopoldi I., & Eleonoræ Magdalenæ Theresiæ Neoburg. Filia.

I N S C R I P T I O.

Hîc in tumba clauditur Maria Margarita, mundum 1690. die 22. Julii, Coelum 1691. die 22. Aprilis ingressa: nimirum longo tempore non egent, ut maturæ reddantur dignæ coelestî coronâ Austriacæ Margaritæ.

XXV. Serenissima Archiducissa, MARIA ANTONIA, Filia Leopoldi I. & Margaritæ Infant. Hispan.

I N S C R I P T I O.

Maria Antonia Josepha, utriusque Bavariæ & Palatinatûs superioris Ducissa, Com. Pal. Rhen. S.R.I. Electrix, Landgravia Leychtenbergii, nata Regia Princ. Hung., Boemiæ, Archidux Austriæ, Burg., Tyrol. &c. &c. obiit Viennæ Austriæ 1692. die 24. Decembris, Princeps ortu, Conjugio, Partu, morte Illustrissima.

Ex altera parte:

Conjugium iniit cum Maximiliano Emanuele utriusque Bavariæ, & Palatinatûs Duce, Sac. Rom. Imperii Archidapif., & Electore &c. 1685., die 12. Julii, Viennæ Austriæ, quo tempore is jam sæpius Turcas in Hungaria gloriosè devicerat: ortum traxit à Leopoldo I., Rom. Imperat. & Margarita Theresia, Philippi IV. Regis Hispaniæ Filia 1669., 18. Januarii, partu felicissimo enixa est in spem Patriæ Serenissimum Josephum Ferdinandum, Principem Electoralem, Viennæ Austriæ 1692., die 28. Octobris, mortem oppetiit, quia vixerat, pietate Austriaca, bimestri post editam Prolem, Auroræ instar, quæ dum Solem orbi peperit, extinguitur.

Se-

XXVI. Serenissima Archiducissa, MARIA THERESIA, Filia Leopoldi primi, & Eleonoræ Magdalenæ Neoburg.

INSCRIPTIO.

Sita hic est Serenissima Maria Teresia, Archidux Austriæ, in lucem data 1684., die 22. Augusti, cùm Austriacas in se virtutes sedulò coleret, maturitatem mors vidit, aut invidit, atque in hanc urnam conjecit mortuam Eberstorffii 1696., die 28. Septembris.

XXVII. Serenissima Regina Poloniæ, & Ducissa Lotharingiæ Vidua, MARIA ELEONORA, Filia Ferdinandi III., & Eleonoræ Mantuanæ.

INSCRIPTIO.

Hic quiescit Serenissima Maria Eleonora, nata 1653. 21. Maii, primùm Michaelis, Poloniæ Regis, deinde Caroli V. Lotharingiæ Ducis, Christianorum fortissimi Conjunx dulcissima, tanta virtute, quantam fœmina capere potest, Elisabetham, aut Brigittam sui sæculi sancta mors abstulit 1697., die 17. Decemb.

SYMBOLA.

Primum: *Mors metens flores.*
Inscriptio.
Mitior esset, sed cæca est, virtutum Compendium.
Secundum: *Sol & Luna.*
Inscriptio.
Magno lucebam Fratre Leopoldo M. Soror.
Tertium: *Arbor trajecta jacens in terra.*
Inscriptio.
Hoc quoque putrescet Ferdinandi III. Filia.
Quartum: *Mors stans uno pede super Galeam Altero super alveare.*
Inscriptio.
Fortem, dulcemque æquo pede Lotharingiæ Ducissa.
Quintum: *Mors tenens vacuum annulum in una Manu, in altera Gemmam,*
Inscriptio.
Eripui Gemmam.
Sextum: *Mors tenens duas coronas abreptas.*
Inscriptio.
Jam nec Majestas, nec Amor.
Poloniæ Regina.

XXVIII. Serenissimus Archidux, LEOPOLDUS JOSEPHUS, Filius Primogenitus Josephi Primi, & Amaliæ Hanoverianæ.

IN-

I N S C R I P T I O.

O luctum! Sereniſsimus Leopoldus Joſephus ſæculari Anno 1700., die 29. Octob. genitus, jam Anno 1701., die 4. Auguſti, Cœlo & urnæ huic illatus fuit: quàm acerbus ictus fuit, qui Leopoldi Magni Nepotem, Joſephi Primi, Roman. & Hungariæ Regis, & Amaliæ Filium primogenitum, ſpem ipſam Humani Generis decidit.

XXIX. Sereniſsima Archiducіſſa, MARIA JOSEPHA, Filia Leopoldi Primi, & Eleonoræ Magdalenæ Thereſiæ Neoburgianæ.

I N S C R I P T I O.

Heu tu Mors! quid in Viridario Auſtriaco? O te malum Hortulanum! ipſo vere, quo flores ubique ſurgunt, Roſam à ſanguine, pulchritudine, virtutibuſque nobilem, die 14. Aprilis 1703. cadere juſsiſti, Sereniſsimam Mariam Joſepham, Archiduciſſam Auſtriæ, Magni Cæſaris Leopoldi Primi, & Eleonoræ Magdalenæ Neoburg. Filiam, natam Viennæ 6. Martii 1687. Viator! flos quidem hic putruit, ſpirat tamen odorem, virtutem enim ſepultam non exiſtima.

XXX. Auguſtiſsimus Imperator LEOPOLDUS Primus.

I N S C R I P T I O.

Qui à Cæſaribus Primus tot victoriarum patratis prodigiis, pro pace ſupplicem ipſam coegit Turciam, hac quieſcit in urna, Leopoldus, orbis acclamatione Magnus. Obiit Anno 1705. Nonas Maii ætatis 65. Manet æternùm Diadema Monarchiæ, nunquam marceſcet Laurea Juſti, Pium mors ipſa coronat.

XXXI. Auguſtiſſimus Imperator JOSEPHUS Primus.

I N S C R I P T I O.

Oſtendunt terris hunc tantùm fata: Joſephus I., commodatus Orbi MDCLXXVIII. Regno Hungariæ MDCLXXXVIII., Regno Romanorum MDCLXXXXI., Amaliæ Wilhelminæ MDCXCIX., Imperio Romanorum, Boemiæ & Provinciis cæteris MDCCV., Cœlo redditus MDCCXI., die XVII. Aprilis. Victor ubique perpetuus, amore & timore. Imperatori, Cæſari Auguſto, Joſepho Primo, ſemper invicto, Fratris Pietas.

XXXII. Sereniſſimus Archiepiſcopus Trevirenſis & Elector, Carolus, Filius Sereniſſimi Ducis Lotharingiæ, & Mariæ Eleonoræ, Archiduciſſæ Auſtriæ & Reginæ Poloniæ,

XXXIII. Sereniſſimus Archidux, LEOPOLDUS JOSEPHUS, Filius Primogenitus Caroli VI., & Eliſabethæ Chriſtinæ Wolffenbit.

INSCRIPTIO.

Christianæ Posteritati
Sacrum.
Hîc dormit in pulvere
Leopoldus Josephus, Cæsaris Augusti Caroli VI. Filius
D. Leopoldi M. Nepos, Archidux Austriæ,
Princeps Asturiæ,
Quem fata tantùm ostendunt 1716. Idibus Aprilis,
infandâ acerbitate rursus eripiunt
Pridie Nonas Novembris
Ah! Dolor Augusti magis intelligi
Quàm legi potest.

XXXIV. Augustissima Romanorum Imperatrix, Vidua, Eleonora Magdalena Theresia, Leopoldi I. Tertia Conjunx, nata Principissa Neoburgiana.

Inscriptio supra loculum ligneum facta
ad mentem, & petitionem ipsiusmet
Augustissimæ

Eleonora Magdalena Theresia
Misera Peccatrix
Mortua 1720., 19. Januarii.
Inscriptio.
Supra Urnam stanneam.
Diva
Eleonora Magdalena Theresia
Palatina,
D. Leopoldi M.
Augusta
Imperatorum Josephi, & Caroli
Mater
Nata VI. Jauuarii MDCLV.
Mortua XIX. Januarii MDCCXX.

XXXV. Serenissima Archiducissa, Amalia, Caroli VI., & Elisabethæ Christinæ Filia.

INSCRIPTIO.

Pietati & Memoriæ
Imperatoris Caroli desideratissimæ Filiæ
Serenis. M. Amaliæ Archi-D. Austriæ
Hispan. Infant.
Quæ publicæ spei nata MDCCXXIV. Non. Aprilis,
Brevis vitæ dies explevit Anno MDCCXXX.
XIII. Kal. Maii.
Novit Dominus dies Immaculatorum
Et hæreditas Eorum in æternum.

Se-

XXXVI. Serenissima Archiducissa, ELISABETHA AMALIA, JOANNA, JOSEPHA, ANTONIA, GABRIELA, AGATHA, Filia Serenissimæ Mariæ Theresiæ, Hungariæ & Boemiæ Reginæ, Archiducis Austriæ &c. & Suæ Regię Celsitudinis Francisci Stephani, Magni Ducis Hetrurię, ac Ducis Lotaringię, nata 1737., Februarii 5. Demortua 1740. Junii 7.

XXXVII. Augustissimus Imperator CAROLUS VI.

EPITAPHIUM.

I.

Æter. Mem. Sacr.
Infandum dolorem renovant
Sacri Cineres
Divi
Imperat. Caroli VI. Aug. P. fel. PP.
Constantia & fortitudine Austriaci,
Nec solùm in utroque
Sed in omnibus Heroicis virtutibus
Consummatissimi Perfectissimique
Cæsaris,
Qui adhuc in sepulchro vivit.
Ut scias Viator, vel sepultam
Majestatem nunquam interire.

II.

Commodatus publicæ saluti
Anno Christi D. N. MDCLXXXV. Kal. Octobris,
Cælesti Patriæ redditus
Anno MDCCXL. XIII. Kal. Novemb.
Nullum potuit Monumentum clarius
Relinquere,
Quàm effigiem suæ Virtutis, Sapientiæ,
Pietatis,
Mariam Theresiam Augustam,
Regnantis Justitiæ, & Clementiæ
Decus, Exemplar, Disciplinam.
Vixit Ann. LV. D. XIX. Hor. IIX.

A. ☧. Ω.

XXXVIII. Sereniſſima Archiduciſſa, MARIA CAROLINA, ERNESTINA, ANTONIA, JOANNA, JOSEPHA, Filia Sereniſſimæ Mariæ Thereſiæ, Hungariæ, & Boemiæ Reginæ, Archiducis Auſtriæ &c., & Suæ Regiæ Celſit. Franciſci Stephani, Magni Ducis Hetruriæ, ac Ducis Lotharingiæ, nata 1740. Januarii 12. Demortua 1741. Januarii 25.

XXXIX. Cor Auguſtiſſimæ Imperatricis Viduæ, AMALIÆ WILHELMINÆ, natæ Principiſſæ Hannoverianæ, Conjugis Auguſtiſſimi Joſephi I., Romanorum Imperatoris.

INSCRIPTIO.

Amalia Wilhelmina Auguſta
Cor ſuum
Ad Pedes Joſephi Imperatoris
Conjugis Dulciſſimi
Reponi juſſit
Die 14. *Aprilis Anno* 1742.

Corpus Auguſtiſſimæ hujus Imperatricis ſepultum eſt apud Moniales S. Franciſci Saleſii extra Urbem, ab ipſa funditus fundatas.

XL. Sereniſſima Archiduciſſa, MARIA MAGDALENA, ANTONIA, JOSEPHA, GABRIELA, Filia Leopoldi I.. duorum Auguſtiſſimorum Imperatorum Joſephi I., & Caroli VI., Sereniſſima Soror, nata 1689. Martii 26. mortua 1743., Maii 1.

INSCRIPTIO.

Cineres
Mariæ Magdalenæ
Archi-Ducis
Natæ XXVI. Martii MDCLXXXIX.
Mortuæ I. Maii MDCCXLIII.
Virtutem Poſteri imitentur.

Mariæ Thereſiæ, Comitiſſæ de Dietrichſtein &c. Conventum Hollobrunnæ ingrediendi, & ad Oratorium privatum accedendi licentiam concedi, comittit.

A tergo: *Dilecto Filio noſtro, Joſepho Dominico, S.R.E. Presbytero Cardinali de Lamberg nuncupato, Eccleſiæ Paſſavien. ex conceſſione & diſpenſatione Apoſtolica Præſuli.*

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecte Fili Noſter ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi Nobis nuper fecit Dilecta in Chriſto Filia, Maria Thereſia, Comitiſſa de Dietrichſtein, nata Comitiſſa de Althan, Dilecti Filii moderni Comitis de Dietrichſtein Uxor, quod Mulieres tam ex hujuſmodi Familia ortæ, quàm aliæ in eadem Matrimonio conjunctæ, tanquam ex Familia Fundatorum Conventûs Hollobrunæ nuncupat. Ordinis FF. Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, Paſſavien. Diœc. habitæ fuerunt, & facultate tranſeundi per quamdam Januam dicti Conventûs, & accedendi unà cum earum comitatu tum Virorum, tum Mulierum ad quoddam privatum Oratorium dicti Conventûs, per quod proſpectus datur illius Eccleſiæ, ad effectum, ut ex illo ſacroſanctum Miſſæ Sacrificium audiri poſſit, utpote Eccleſia parva & anguſta exiſtit, & populus magno concurſu ad illam accedere ſolet, gaviſæ fuerunt, donec quædam noſtræ in ſimili forma Brevis expeditæ litteræ ſuper clauſura quorumcunque Monaſteriorum Virorum Regularium die tertia Januarii 1742. emanatæ, ad earum notitiam devenerunt, propter quas hujuſmodi ingreſſus mulieribus vetitus fuit, Nobis propterea dicta Maria Thereſia Comitiſſa ſupplicari fecit humiliter, ut ſibi in præmiſſis opportunè providere, &, ut infra, indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremus. Nos igitur ipſam Mariam Thereſiam ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis &c. abſolutam fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Circumſpectioni Tuæ per præſentes committimus & mandamus, ut veris exiſtentibus narratis, &, poſtquam Tibi de fundatione hujuſmodi conſtiterit, eidem Mariæ Thereſiæ Comitiſſæ, ut, ipſa vitâ ſuâ natali durante, ſupradictum Conventum, ad præmiſſum effectum duntaxat, ſervatis aliàs ſervandis, ingredi liberè, & licitè poſſit & valeat, ſervatâ tamen in reliquis præfatarum noſtrarum litterarum formâ & diſpoſitione, licentiam Auctoritate noſtra Apoſtolica concedas, & indulgeas: non obſtantibus noſtrâ prædictâ, aliiſque conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, nec non Conventûs & Ordinis præfatorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hâc vice duntaxat, ſpecialiter & expresſè derogamus, cœteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXIII. Julii MDCCXLV. Pontificatûs noſtri anno quinto.

D. Card. Paſſioneus.

Breve formatum in manu D. Comitiſſæ.

Aſſiſtentibus orationi 40. harum in Eccleſia Fratrum Viennæ, & Apoſtolicam Benedictionem & indulgentias plenarias pro die proximæ Comunionis largitur.

Beatiſſime Pater.

OCcaſione Exercitii 40. horarum, quod Viennæ Auſtriæ in Eccleſia Patrum Capucinorum in feſto Nativitatis Domini & Sancti Stephani Proto-Martiris, Anni elapſi: *vel* Dominica die Palmarum & Lunæ ſequentis Anno currente juxta morem celebratum eſt, aſtiterunt alternatim per ſingulas integras horas ſingulæ Perſonæ ſupremæ Nobilitatis, quæ in annexa charta notatæ leguntur, & præcipuè Sacræ Cæſareæ Majeſtates, Auguſtiſſimus Imperator, & Imperatrix, unà cum Eminentiſſimo, ac Celſiſſimo Cardinali Domino Domino Sigiſmundo S. Rom. Imp. Principe à Kolonitz, Archi-Epiſcopo Viennenſi, & Comitatu Aulico, excubantes in Oratione coram Diviniſſimo Sacramento. Quæ omnes & ſingulæ ad complementum propriæ devotionis & meriti, nec non Spiritualis Animarum ſuarum profectûs Apoſtolicam Sanctitatis Veſtræ Benedictionem, & Indulgentias plenarias ad diem proximæ Sacræ Communionis humiliter implorant.

Huic itaque ſupplicationi ſemper ſubſcribitur. Die Menſis Anno

Sanctiſſimus annuit, ut petitur.

Card. N. N.

PRO-

PROVINCIA STYRIÆ.

MAlum Lutheranæ Hæreseos, quæ per quadraginta annorum cursum, Ducatum Styriæ toxico suo miserè infecerat, induxit bonum, quod fundatio hujus Provinciæ ad hodiernum usque diem multiplicat. Ut enim Serenissimus Archidux Austriæ, Dux Styriæ &c. ac postmodum Ferdinandns, Secundus hujus nominis Imperator Romanorum, restituto Anno millesimo sexcentesimo Fidei Catholicæ flori consuleret, vacillantes Neophytos in susceptæ veritatis agnitione solidaret, contusamque hæreseos potentiam sub frœno teneret submissionis, Fratres nostros à Sancta Sede in subsidium petiit, probè gnarus, quantùm eorum zelus, & religiosæ vitæ exemplum alibi Fidei conservationi prodesset. Incidit & petitio in opportuna & ea tempora, quibus & Archiepiscopus Zbignæus ad eundem finem, & ab eadem Sacra Sedes Fratres nostros Pragam vocavit. Inde dum selectus, & Ven. Dei Servus, Fr. Laurentius, à Brundusio, cum sociis per Styriam iter illuc conficiebat, altissimè fatus Archidux eidem piâ humanitate excepto, fundum in ipsa Ducatûs Capitali Civitate, Græcii, pro construenda Domo consignavit. Mansit hæc sub Custodiæ Boemicæ jure, usque dum aliis Conventibus aucta distinctæ Provinciæ acquisivit formam.

Labor Evangelicus, quo hæc Provincia occupatur, eò major æstimari debet, quod ad incultas Croatiæ, Sclavoniæ, & Licaniæ terras diffundatur, & ipsa Thraciæ confinia attingat, suntque fructûs præcones tum pœnitentes innumeri, qui ad Sacrum Fratrum tribunal confluunt, tum pulpita, in quibus cœlestem panem frangunt, & jejunos reficiunt animos, & amplus eorum numerus, quos annuatim Fratres ad Ovile Christi ducunt.

Varia Scriptorum suorum deplorat & passa est infortunia, ita, ut amplior Virorum Illustrium series non possit adjungi; prætermitti tamen non debet nomen Fr. Antonii à Cramburgo, qui nostro tempore Definitorio Generali assedit, binâ vice electus, & ex zelo, quo jura Ordinis & Provinciæ sarta tecta servari voluit, ac ex pietate, quæ doctam prudentiam comitem habuit, sibi omnium existimationem conciliavit.

Comprehendit Conventus Fratrum XXXIII.

Residentiam Missionariam I.

Monasteria Monialium Capucin. I.

EPI-

EPISTOLA.

Sac. Congreg. Episc. & Regul.

Inchoatam Conventûs Fabricam Tergesti, oppositione factâ non obstante continuari, Episcopo ibi committitur.

SAnctissimus Dominus noster Amplit. Tuæ scribi jussit, quatenus fabricam Ecclesiæ & Conventûs, quem PP. Capucini in illâ Civitate construere cœperunt, continuari disponat, non obstante oppositione, à Patribus Conventualibus sub hoc prætextu factâ, quod inter unum & alterum Conventum solita cannarum distantia non intercedat. Circa quod Sanctitas Sua, attento fructu Spirituali, quem partes illæ de hujusmodi Religiosis percipiunt, ab Amplitudine Tua dispensari ordinat. Romæ 25. Maji 1619.

Ex Regesto Secret. Congreg. anni & mens. prædict. fol. 185.

Ab emptione Calicis Fratres eximit, & destinatos ad hunc ducentos florenos in subsidium Fabricæ loci de Cormons applicari indulget.

URBANUS PAPA VIII.

Venerabilis Frater, sive dilecte Fili, salutem & Apostolicam Benedictionem.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti Filii, Superiores & Fratres Domûs Regularis, Ordinis Fratrum Minorum, S. Francisci Capucinorum nuncupatorum, Oppidi seu loci de Cormons, Aquilejensis Diœcesis, quod aliàs dilectus Filius Isidorus, in sæculo Ærardus Teurbach, Herbipolensis Diœcesis, Ordinem ipsum expresse professus, in testamento per eum, antequam professionem in dicto Ordine emisisset, condito, inter alia ducentos Florenos monetæ Domui Regulari, & Fratribus prædictis in emptionem unius Calicis, & si quid superesset, in fabricam ejusdem Domûs applicandos, & convertendos legavit, prout in dicto testamento pleniùs contineri dicitur.

Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, Ecclesia dictæ Domûs Calice hujusmodi minimè indigeat, ob idque cupiant Exponentes prædicti ducentos Florenos hujusmodi eidem fabricæ integraliter applicari: Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt Exponentes prædicti, ut eis in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur Exponentes eosdem specialis gratiæ favore prosequi volentes, necnon Superiores, & Domûs Regularis prædictæ singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, certam tamen de præmissis notitiam non habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Fraternitati tuæ, Frater Patriarche, seu Discretioni tuæ, Fili Vicarie, per præsentes committimus & mandamus, quatenus constito Tibi legitimè de narratis, eosdem Exponentes ab obligatione emptionis unius Calicis hujusmodi, authoritate nostra eximas, & liberes, ipsisque, ut dictos ducentos Florenos in subsidium fabricæ Domûs hujusmodi integraliter consumere & applicare liberè, & licitè valeant, simili authoritate concedas, & indulgeas, dictique Isidori voluntatem quoad hoc, quatenus opus sit, sufficienter & expresse commutes. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis; necnon Domûs & Ordinis prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, aut quavis alia firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXVI. Aprilis MDCXXVII. Pontificatus Nostri Anno quarto.

S. Ghezzius.

Exempl. in Arch. Generali Ord. Armario, Provincia Styriæ.

Lega-

Legatum centum Scutorum à Novitio Conventui loci Mureponti assignatum, Fratri ejus Germano egestate presso, in sublevamen relinqui ratihabet.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus Filius, Didacus, Brixiensis, Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Capucinorum nuncupatorum Professor, quod ipse aliàs, dum probationis annum in dicto Ordine perageret, inter alia tunc per eum disposita, summam centum scutorum monetæ semel dumtaxat persolvendam, Domui Regulari ejusdem Ordinis loci *Prugg* reliquit, prout in testamento, seu aliis scripturis desuper confectis pleniùs dicitur contineri. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, Domus Regularis prædicta legato hujusmodi non indigeat, sed illius Guardianus, & Fratres dictum legatum omnino renunciaverint, dilectus verò pariter Filius Andreas de Zivellis, Laicus, Brixiensis Dioec., dicti Didaci Frater germanus, qui ad solutionem legati tenetur, maximâ egestate promatur, suisque labore, & industriâ dumtaxat vivat, & propterea dictus Didacus, ob factum à se inadvertenter, & nullâ habitâ ipsius Andreæ paupertatis ratione legatum hujusmodi, gravibus conscientiæ stimulis agitetur, Nobis propterea dictus Didacus humiliter supplicari fecit, ut super præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur Didacum, & Andream prædictos specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis &c. & absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Andream præfatum à solutione legati hujusmodi, Apostolica authoritate, tenore præsentium absolvimus, & liberamus, dictumque legatum ei gratiosè remittimus, & condonamus. Decernentes eumdem Andream desuper à quoquam, quavis authoritate fungente, molestari, probari, vel inquietari nullatenus posse, sicque per quoscumque Judices, Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & diffiniri debere, ac irritum & inane, si secus super his à quoquam quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non Ordinis, & Domûs prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXIV. Januarii MDCXXVIII. Pontificatus Nostri Anno quinto.

M. A. Maraldus.

Ex Regesto Secret. Brev. Apostol. mens. & anni præd. fol. 72.

Fundationem Monasterii S. Claræ, loci Goritiæ pro viginti Monialibus approbat, hoc Nuntio Apostolico in Germania existenti subjicit, Dotem à Puellis, tum Originariis, tum Extraneis dandam determinat, privilegia Ordinis ei communicat, & locum pro educandis Puellis in illo erigi indulget.

INNOCENTIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei,

Dilecto Filio, nostro & Sedis Apostolicæ Nuntio in partibus Germaniæ commoranti salutem, & Apostolicam Benedictionem.

DEbitum pastoralis Officii Nobis Divinâ Dispositione commissi exposcit, ut ad ea, per quæ Monasteria & alia regularia loca propagari, & in eis prudentes Virgines, spretis hujus mundi illecebris, & Religionis Habitu assumpto, uni sponso Jesu Christo voto celebri Virginitatem suam præstare, ac flores honoris, & fructus honestatis, æternamque beatitudinem consequi valeant, propensis studiis intendamus, & in his ejusdem Officii nostri ministerium favorabiliter interponamus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum Filiorum Universitatis, & Hominum nobilium, ac Habitatorum, ac incolarum oppidi, Civitatis nuncupati, Goritiæ, Aqui-

Aquilejensis Diœcesis, à parte Imperii, petitio continebat, quod ipsi aliàs, videlicet de anno Domini millesimo sexcentesimo vigesimo primo, providè considerantes, quod in dicto Oppido nullum Monasterium Monialium, in quo puellæ hujus mortalis vitæ illecebras evitare, ac lubricas mundi divitias fugere, earumque Virginitatis flores, altissimo animarum Sponso in holocaustum dicare & in spiritu humilitatis vitam sub suavis Religionis jugo traducere cupientes, recipi possint, eatenus non reperiebatur, zelo ducti unum Monasterium in dicto Oppido, locoque decenti, & honesto ac commodo, de licentia Dilecti Filii nostri, Cyriaci, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyteri Cardinalis Rocci nuncupati, tunc nondum in Cardinalem nominati, sed Sedis Apostolicæ apud Charissimum in Christo Filium, Ferdinandum, Romanorum Regem & Imperatorem electum Nuntii, stante absentia, & impedimento Ordinarii loci concessâ fundârunt, & illius fabricam cum sua Ecclesia & decenti Clausura, omnibusque suis membris necessariis & opportunis construi curârunt, ac pro illius Dote redditus annuos, perpetuos, tutos, ac securos, usque ad summam octingentorum Scutorum monetæ Romanæ in bonis stabilibus, fructiferis & securis, merè laicalibus, ac in dicto Oppido, & territoriis existentibus pro viginti Monialibus, computatâ Abbatissa, & duabus Conversis assignârunt.

Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, si dicta fabrica in Monasterium Monialium hujusmodi erigeretur, ut infra, & Puellæ inibi monachari volentes in illo introducerentur, hoc in Divini cultûs, & fidelium devotionis incrementum, Puellarumque hujusmodi spiritualem consolationem & animarum earumdem cederet. Quare pro parte Universitatis, & Hominum, Nobilium, ac habitatorum & incolarum hujusmodi Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus eis in præmissis opportunè providere, de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui Divini cultûs, & piorum operum augmentum, Religionisque propagationem nostris potissimum temporibus, sinceris desideramus affectibus, Universitatem & Homines, Nobiles, ac habitatores & incolas præfatos, eorumque singulares personas à quibusvis excommunicationis &c. harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ex voto Congregationis Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, negotiis Regularium præpositorum, Discretioni Tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus dictam fabricam omnibus suis membris absolutam, & decenti clausura munitam, in Monasterium Monialium Ordinis Sanctæ Claræ, sub titulo, invocatione, & denominatione ejusdem Sanctæ Claræ, cum Ecclesia, Clausura, Cellis, Area, Refectorio, Dormitorio, Cœmeterio, Hortis, Hortalitiis, aliisque membris, & officinis suis universis, pro commodis, ac perpetuis usu & habitatione unius Abbatissæ, seu Priorissæ, & eâ computatâ, viginti Monialium, quæ omnes Habitum per Moniales aliorum dicti Ordinis Monasteriorum gestari solitum suscipere, & elapso earum probationis anno professionem per easdem emitti consuetam, expressè emittete regulares, nec non perpetuam Clausuram, ritusque, mores, & consuetudines, ac regularia instituta dicti Ordinis servare, ac Divinis Laudibus & Officiis laudabiliter, & cum attentione insistere, nec non in cujuslibet earum ingressu, quoad ipsius Oppidi Originarias octingentos, quò verò ad extraneas mille florenos monetæ illarum partium in dotem offerre & assignare, ac sub cura, gubernio, regimine, administratione, correctione, visitatioue, superioritate, & omnimoda jurisdictione Tui, & pro tempore existentis Nuntii Apostolici in partibus Germaniæ commorantis perpetuò sub exacta vita communi permanere debeant & teneantur, Apostolicâ auctoritate, ac si, vel postquam Monasterium erigendum hujusmodi debitâ & convenienti clausuta munitum, sacrâque & profanâ suppellectile, omnibusque suis numeris & partibus sufficienter instructum, ac à Te visitatum, & approbatum fuerit, necnon bona, redditus, & proprietates qualitatum superiùs expressarum, per Universitatem & homines, aliosque supradictos validè & perpetuò donata & assignata fuerint, & non antea, nec aliàs, perpetuò, sine alicujus præjudicio erigas & instituas, illique sic erecto & instituto pro illius dote, ac congrua sustentatione Abbatissæ, seu Priorissæ, & Monialium in eo pro tempore existentium, dictos redditus annuos, tutos & securos octingentorum scutorum, monetæ Romanæ hujusmodi, ut supra, nec non omnia, & singula bona, redditus, proprietates, & jura tam per Universitatem, & Homines, Nobiles, ac habitatores, ac incolas hujusmodi, quàm quosvis alios Christifideles in perpetuum, vel ad tempus, ac simul vel successivè pro augmento Dotis Monasterii per præsentes erigendi quomodocunque, & qualitercunque elargienda, donanda, relinquenda, & eroganda, & nunc pro tunc tanquam elargita, donata, relicta, & erogata fuerint, ita quod liceat Abbatissæ, seu Priorissæ, & Monialibus præfatis illorum omnium corporalem, realem, & actualem possessionem per se, vel alium, seu alios, Monasterii per præsentes erigendi nomine, ap-

prehendere & apprehensam sic retinere, bonaque & proprietates, ac jura hujusmodi locare, dislocare, arrendare, ac fructus, redditus, proventus, & emolumenta, inde provenientia, eidem Monasterio per præsentes erigendo, illiusque Abbatissæ, seu Priorissæ, & Monialibus hujusmodi pro tempore elargita, percipere, levare, & recuperare, ac in dicti Monasterii & illius Abbatissæ seu Priorissæ, & Monialium hujusmodi usus, utilitatem, & necessitates convertere, cujusvis licentiâ desuper minimè requisitâ, similiter perpetuò concedas & assignes. Nos enim, si erectionem, & institutionem hujusmodi, aliaque præmissa per Te vigore præsentium fieri contigerit, ut præfertur, Monasterio per præsentes erigendo, illiusque Ecclesiæ, ac Abbatissæ, seu Priorissæ, & Monialibus, ut omnibus & singulis privilegiis, facultatibus, libertatibus, immunitatibus, concessionibus, exemptionibus, prærogativis, indultis, indulgentiis, etiam plenariis, & peccatorum remissionibus, cæterisque gratiis universis, tam spiritualibus, quàm temporalibus, quibusvis Monasteriis dicti Ordinis, illorumque Abbatissis, seu Priorissis hujusmodi in genere, vel in specie quomodolibet nunc concessis, & pro tempore concedendis, ac quibus illa vel illæ, de jure, usu, consuetudine, privilegio, aut aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere possunt & poterunt, quomodolibet in futurum, dummodo tamen sint in usu, nec revocata, ac sub aliqua generali revocatione comprehensa, ac sacrorum Canonum, ac præsertim Concilii Tridentini Decretis, Apostolicisque constitutionibus non adversentur, & nemini præjudicialia, similiter & pariformiter, ac æquè principaliter uti, frui, & potiri, & gaudere liberè & licitè valeant in omnibus & per omnia perinde, ac si illa Monasterio erigendo hujusmodi, illiusque Ecclesiæ, ac Abbatissæ, seu Priorissæ, & Monialibus præfatis concessa fuissent; dicta auctoritate, tenore præsentium indulgemus, ac Universitati, Hominibus, Nobilibus, ac habitantibus & incolis hujusmodi, seu ipsius Monasterii sic erigendi Abbatissæ, seu Priorissæ, & Monialibus, aut ab eis deputandis, ut statuta & ordinationes, capitula & decreta, ad ejusdem Monasterii sic erigendi, illiusque personarum, rerum & bonorum temporalium, & spiritualium curam, regimen, gubernium, administrationem, ætatem, qualitates, victum, amictum, instructionem, directionem Monialium, & personarum Monasterii per præsentes erigendi, disciplinam, modumque, & formam recitandi Divina Officia, preces, & alia suffragia, quomodolibet pertinentia, ac aliàs utilia, necessaria, opportuna, aliàs tamen a Sede Apostolica specialiter approbata, ac Monasteriis ejusdem Ordinis, ac instituti concessa, ac sacris Canonibus, Decretisque Concilii Tridentini & institutis Regularibus dicti Ordinis uniformia, sub pœnis in eisdem impositis & comminatis, inviolabiliter, de participatione & consensu Tui publicari, ab omnibus & singulis, ad quos spectabit, observari facienda concedere, & edere, & insuper Abbatissæ, seu Priorissę præfatis, locum in dicto Monasterio erigendo, ab habitatione tamen Monialium separatum, in quo aliquæ puellæ educationis causâ cum licentia dictæ Congregationis Cardinalium, & solitis requisitis recipiendæ commorari possint, & debeant, designari, ac Tibi pro Monialium in dicto Monasterio sic erigendo introducendarum felici directione & in rebus, moribus, & institutis Regularibus dicti Ordinis instructione, duas ipsius Ordinis Moniales expressè professas, ad id voluntarias, ex aliis ejusdem instituti Monialium Monasteriis, ætate graves, & zelo conspicuas, munusque Abbatissæ, vel saltem Vicariæ, seu Magistræ Novitiarum aliàs laudabiliter expertas, de consensu tamen Superiorum, & expressa licentia dictæ Congregationis Cardinalium, ac servatâ formâ Decretorum Generalium ejusdem Congregationis Cardinalium, nec non Constitutionum dicti Ordinis ad sexennium educendi, ita, ut, si petierint & eidem Congregationi Cardinalium expediens visum fuerit, in Monasterio per præsentes erigendo, quoad vixerint, vel ad tempus, permanere possint, licentiam & facultatem, earumdem tenore præsentium concedimus & impertimur, Decernentes præsentes litteras perpetuò validas, & efficaces esse & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri, & obtinere, sicque per quoscunque judices ordinarios vel delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam Legatos, & Vice-Legatos, ac Sedis Apostolicæ Nuntios judicari & definiri debere, ac irritum & inane, si secus super his, à quoquam, quâvis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis cæterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo sexcentesimo quinquagesimo quinto, idibus Junii, Pontificatus Nostri Anno sexto.

Bulla formata in Archivo Monasterii Monialium.

NO-

NOTA.

INter alia pietatis & charitatis opera, quibus noster Fr. Joannes Baptista Estensis, in sæculo regnans Dux Mutinæ &c. suum Goritiæ incolatum reddidit ævorum memoriâ dignum, est & Sacrarum Virginum ibi Contubernium, seu Monasterium Monialium, S.Claræ Sacrum, cujus ædificium ille semotis, quæ diutius obstabant, impedimentis, feliciter incepit, functioni, quâ primus lapis positus est, Excellentissimo Principe d'Eggenberg, & Reverendissimo Episcopo Labacensi præsentibus, & largam stipem pro fabricæ prosecutione largientibus. Horum secuta est exemplum semper Augusta Domus Austriæ, cum rogante P.Silvestrò à Polcenigo, Viennam ablegato, non solùm Monasterio erigendo suam protectionem adpromiserit, verùm etiam fabricam aliquot millium florenorum subsidio coadjuverit.

Præter Regulam Divæ Claræ, Pontificio moderamine Sexui aptatam, servant Constitutiones à prædicto P. Silvestro, tunc Goritiæ Guardiano, ex nostris extractas, & abs Apostolico Nuntio approbatas, ut sequitur.

Camillus Melzius, Archiepiscopus Capuanus, Apostolicus ad Imperium Nuntius &c.

Cum supra positas Constitutiones tum Nos ipsi legerimus, & maturè consideraverimus, tum illas à Personis, in hujusmodi materia practicis legi & considerari jusserimus, easque bono Monasterii gubernio proportionatas invenerimus, consultum duximus, illas approbare, confirmare, & mandare, ut exactè sub pœnis in iis contentis observentur, & quidem eousque, donec experientia Illustr. DD. Nuntiis Apostolicis, nostris Successoribus, monstret; in quibus articulis melius possint accomodari.
Dat. Viennæ in Austria 27. *Sept.* 1652.

Internæ Monasticæ vitæ rationi correspondet illarum Habitus, ex panno, qui nostro similis est, confectus. Sunt & Fratres nostri, qui earum Confessiones extraordinariè excipiunt, ac illarum Professioni majore plerumque numero assistunt. Figit quidem suprà posita Bulla earum numerum ad viginti duntaxat, cum tamen Domui Dominus benedixerit, ordinariè triginta tres numerantur, Apostolico ad Imperium Nuntio subjectæ.

Ex manuscript. Monasterii.

DECRETO

S. Congregat. Episc. & Regul.

Erectio nostræ Domûs in loco Varasdini inhibetur.

IN causa erectionis Conventûs Capucinorum in Loco Varasdini vertente inter PP. Minores Observantes S. Francisci ex una - & ipsosmet PP. Capucinos alterâ - Partibus. *Sacra Congregatio Eminentissimorum, ac Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consult. Episc. & Regul. præposita, Partibus hinc inde informantibus, referente Eminentiss. Cardinale Caraffa, censuit non esse concedendam petitam Conventûs erectionem, ac propterea injungendum Ordinario Loci, ut ad eandem erectionem minimè procedat. Romæ die 9. Junii 1679.*

Ex Archivo Secret. Congregat. mens. & anni præd.

NOTA.

EX hujusmodi Decreto, Sacram Congregationem de rei pondere & serie plenè non informatam fuisse, Domina Maria Magdalena Comitissa de Draskovich supposuit, ideoque novam & sequentem dedit ad Eandem epistolam.

Eminentissimi, ac Reverendissimi Domini.

Notum esse arbitror Eminentiis Vestris, qualiter Filius meus anno præsenti Romæ existens iisdem porrexit libellum supplicem pro erigendo Conventu PP. Capucinis in Civitate Varasdinensi, ad cujus effectum aliud actum mihi non constat, quàm quod inaudiverim, S.Congregationem, ad instantiam Minorum de Observantia requirere ab Ordinario Zagrabiensi, quòmodo res se habeat; & qualiter idem Ordinarius Sacræ Congregationi retulerit, quomodo pro priori negotium circa hoc agebatur, & quomodo ante aliquot annos

Minores, de Observantia nuncupati, aliquod Decretum à S. Congregatione obtinuerint (nescitur tamen, quâ viâ, jure, aut rei veritate poterant in hoc esse molesti Sacræ Congregationi) in quo impositum fuit tunc Ordinario, Conventum non esse erigendum. Quæ relatio, si quid obesse debuit apud S. Congregationem parti alteri, esset ideo, quia modernus Dominus Ordinarius non recordabatur fundamentorum (saltem principaliorum) in quibus veritas Capucinorum solidatur: pro qua veritate idem & semper stetit, & de facto stat, nisi ab aliquo contrariorum minus rectè informaretur, & persuaderetur.. Neque Capucini unquam sciverunt, quidnam agatur circa hoc ultimum, neque quod ego moverim causam, per meum Filium, neque quid noster Illmus, & Rmus responderit. Ad Decretum autem, quo ante annos aliquot tunc imponebatur piæ mem. Ordinario silentium, ne quidquam agat, aut agi permittat circa erectionem Conventûs, vix S. Congregatio, uti omnis veritatis amatrix, gubernatrix & propagatrix, consensisset, si eidem alterius Partis veritas plenè fuisset proposita, pro qua steterunt Ordinarii loci multis annis, omnes Magnates, & Domini Regni, considerantes fructum & profectum animarum inde resultantem, qui unanimi voto & consensu in Comitiis Generalibus, in quibus Ordinarius primam semper tenet sedem, S. Congregationi supplicârunt, ut ad eorum vota & desideria dignaretur se inclinare, & benignè concedere petitam erectionem Conventûs pro Capucinis in dicto loco, uti in præsentibus patet, quarum exemplar, incredibile est, quod aliquando S. Congregationi fuerit exhibitum, invenietur autem apud P. Procuratorem Generalem Capucinorum Authenticum & originale. Accessit autem Sacræ Cæsareæ Regiæque Majestatis consensus & votum. Quæ omnia & multa alia in favorem Capucinorum, si prius nota S. Congregationi fuissent, absque ullo dubio jam dudum, uti pia & benigna Mater, ad rei veritatem sese inclinasset, absque præjudicio alterius partis, quod præjudicium nullus hac in patria agnoscit, nisi aliquæ Personæ Religiosæ, ad quas non pertinet, & hæ forsan per proprium interesse, aut persuasæ. Cum igitur & mihi inter alios non parum incumbat promotio hujus boni & justi operis (siquidem apud me jam ante aliquot annos depositum sit pium Legatum pro construendo in dicto loco PP. Capucinorum Conventu, qui aliàs unicum habent in hoc Regno) neve etiam legantis anima privetur suo desiderio absque legitimo impedimento, devotissimè supplico Eminentiis Vestris, dignentur injungere Ordinario Zagrabiensi, ut introducat dictos Religiosos Capucinos Varasdinum, quod unicè desiderat, & expectat, & nuper sæpius tacto pectore protestatus est, quod in conscientia teneatur dare veram & justam informationem, quod Capucini unacum aliis, qui ibi morantur, facillimè & commodissimè possint vivere, si S. Congregatio hoc ab ipso requirat, aut ipsi demandabit. Ne ergo Eminentiis Vestris iterum proximè futura Generalis Congregatio Regni in hoc molestiam inferat, quæ priora certò iterum iterumque confirmabit, Eminentiis Vestris demississimè supplico, dignentur imponere finem cum favorabili Decreto, ad Reverendissimum Ordinarium Zagrabiensem pro Capucinis. Et si aliunde tam rigidè, & minùs rationabiliter obsisteretur, dignentur Eminentiæ Vestræ requirere Processum, Regni literas, & alia à R. P. Procuratore Generale Capucinorum, quibus me demississimè commendo & maneo.

Emin. DD. Vestrarum.

Ex Regest. Memorial. Archivi Procuræ Generalis fol. 769.

Devotissima Serva

Comitissa Maria Magdalena-Draskovich.

Protrahente S. Congregatione responsum in exactius rei examen, & longius tempus, alio medio Fabrica Monasterii fuit incepta, & finita.

DECRETO

S. Congregat. Episc. & Regul.

In causa præcedentiæ Novitios Clericos inter & Laicos Professos solitum servari jubetur.

Beatissime Pater.

CUM Pater Procurator Generalis Capucinorum inaudierit, porrectos esse Sanctitati Vestræ à FF. Laicis duarum Provinciarum Styriæ & Bohemiæ. *Residuum hujus libelli supplicis cum Decreto vide suprà fol. 215.*

DECRETO.

S. Congreg. Episc. & Regul.

In lite de jure sedendi in Ecclesia Collegiata Civitatis Fluminis, RR. PP. Reformatos, & Fratres nostros promiscuè sedere statuitur.

IN Causa Modrusien., seu Polen. Præcedentiæ, vertente inter PP. Minores Observantes Reformatos Conventûs Tersacti, Diœcesis Modrusien., prætendentes manuteneri in possessione sedendi in scamno post Patres S. Augustini in Ecclesia Collegiata Civitatis Fluminis, Diœcesis Polanæ, tempore Concionum Quadragesimalium ex una, &

& PP. Capucinos ejuſdem Civitatis, prætendentes ipſis competere dictum locum, ex quo ſunt in ea Civitate, & Diœceſi priores, partibus ex altera: An, & cui dictarum Partium competat Præcedentia?

Sacra Congregatio Eminentiſſimorum, & Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, Partibus ipſis auditis, referente Eminentiſſimo Gabrielio, cenſuit, ac decrevit, quod ſedant promiſcuè, & in confuſo. Romæ 5. Decembris 1710.

G. Card. Carpineus.

Ex Secretaria Sac. Congreg. Regeſto menſis & anni præd.

DECRETO

Sacr. Congregat. Concilii.

Controverſiam de Cadavere Fr. Joannis Antonii à Luca, Provinciæ Tuſciæ Miſſionarii, extra Monaſterium Defuncti, amicabiliter componi, Ordinario committitur.

Eminentiſſimi ac Reverendiſſ. Domini.

PRocurator Generalis Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum, Eminentiis Veſtris humillimè exponit, quod, cum è vivis diſceſſiſſet die decima ſexta Auguſti 1714. P. Joannes Antonius Lucenſis, Concionator, Capucinus, Provinciæ Hetruriæ Alumnus, nec non per Germaniam, cum facultate Summi Pontificis, inſtante olim apud Sanctitatem ſuam Auguſtiſſimo Joſepho I. Imperatore gl. mem. Miſſionarius Apoſtolicus, in Decanatu Straden Styriæ Inferioris, Dioec. Salisburgen. actu Miſſionibus inſiſtens, Parochus prædicti loci, poſt illius obitum inſurrexit coram Ordinario, ut Cadaver præfati Patris in ſua Eccleſia tumularetur; quod de mandato ejuſdem Ordinarii obtinuit, ſimulque retinuit apud ſe epiſtolas, Conciones, aliaque pauperrimo uſui ac laboribus prædicti Patris inſervientia. Recurſu per Patres Capucinos Provinciæ Styriæ habito penes Ordinarium, licèt ab Ipſo ſit ſperandum, quod juſtitiæ videtur eſſe, nihilominus, cum lis nimiùm protrahatur, & extraditio Cadaveris, rerumque omnium debita juſtitia differatur, Procurator Generalis ſui juris defendendi causâ Emin. Veſtris ſupplicat, ut de opportuno remedio providere dignentur. Et pro gratia &c.

Die 26. Septembris 1714. *Sacra Congregatio Concilii &c. in cauſa Cadaveris Fr. Joannis Antonii à Luca, Capucini, extra Ordinem defuncti, viſa relatione Ordinarii, & attento recurſu P. Procuratoris Generalis eidem Ordinario ſcribendum eſſe cenſuit, ut Partes inter ſe amicabiliter conciliare, & Capucinorum juri conſulere ſtudeat.*

B. Cardinalis Panciaticus Præfect.

Ex Archivo Secretariæ Congregat. menſ. & anni præd.

NOTA.

HOneſtum ortum, quem Fr. Joanni Antonio Civitas Lucenſis ex familia Striglioni dedit, reddidit ipſe jam in ætatis flore ſua virtute nobilem: & inter virtutes, quibus Noſtratibus Provinciæ Tuſciæ Anno 1668. adſcriptua enituit, Fides primum tenuit locum. Ex qua ingens ſalvandi animas in eo pullulavit deſiderium: hinc & ſe totum Sacro Miſſionum exercitio addixit, fructu verè ſtupendo, & eò inſigniore, cum ſignis & gratiis, præſertim Græcii, Deus Zelum ejur ſecundaverit. Cum anno 1714. tertia vice Miſſionem per Ducatum Styriæ inſtituiſſet, in Parochiali Domo loci Straden gravi morbo correptus, 16. Auguſti ejuſdem anni, curſum vitæ conſumavit. Fratres quidem noſtri Conventûs Mureggenſis, à dicta Parochia parum diſſiti, Cadaver ad Eccleſiam noſtram transferri illico inſtiterunt, devoto autem aſtu R. D. Parochus illud in ſubterranea Eccleſiæ Parochialis crypta ſepeliri, viâ facti curavit. Religioſum exemptum, juriſdictioni alienæ poſt mortem ſubdi, & Ordinis jura lædi Fratres ægrè tulerunt, hinc dum viâ pacis hæc ſalvare haud poterant, illam juris in alma Urbe cœperunt. Roma unâ ex parte prætenſionem horum æquam, & ex altera tumultum in populo Stradenſi certum prævidens, medium ſelegit, & cauſam in pace componi commiſit. Reminiſcens pariter Reverendiſſimus D. Vicarius Generalis devotionis, quâ populus Stradenſis Defunctum, ceu Magnum Dei Servum, coleret, & ejus interceſſione fruges terræ à malo grandinis, cui terra illa plurimùm obnoxia foret, ſervari crederet, Fratribus, ut conniverent, Defunctumque in pace quieſcere ſinerent, conſuluit. Acceſſerunt hi in obſequium arbitrio, ita tamen, ut R. D. Parochus per Reverſales, in Archivo Provinciæ ſervatas, non ex jure, ſed pacis & popularis Devotionis ergò Depoſitum ibi relictum eſſe, fateri deberet.

PRO-

PROVINCIA COLONIENSIS.

FOrtuitum ſub Sole nihil eſt, & quod tale ab homine putatur, arcana operatio eſt Divinæ Providentiæ, omnia ſuaviter diſponentis, & quælibet fortiter attingentis. Sortes, quibus nihil eſt magis caſuale, jaciuntur in ſinum, &, Scripturâ teſte, à Deo temperantur. Non fuit Fraterni odii caſus Joſephi in Ægyptum venditio, ſed Dei voluntate ſe illuc miſſum fuiſſe, Frater Fratribus proteſtatur. Vago incertoque per terram Suph circuitu quærit Saul aſinas Patris ſui Cis, & Samuelem invenit, qui Eum juxta æternam rerum ſeriem ungere debebat in Ducem Populi Iſrael, & Salvatorem ejus de manu Philiſthinorum. Lucet & in Provincia Colonienſi par Divinæ Providentiæ exemplum: divertit, ſecundùm Colonienſia faſta, Coloniam Frater Franciſcus, Hibernus, dirigens vias ſuas Moguntiam; firmat autem ibi greſſus ejus Divina Providentia, exequente ſecreta æternæ mentis Conſilia Illuſtriſſimo, ac Reverendiſſimo D.Nuntio Apoſtolico, Antonio Albergato, Vigiliarum Epiſcopo, & dum Franciſcus novam Moguntiæ meditatur Coloniam, Coloniæ Ubiorum radicem ejus ponit, quæ juxta aquas plantata, veluti platanus, ramos ſuos ad vaſtas Regionis plagas extendere, & in duplicem tandem arborem, ſeu Provinciam excreſcere debebat. Dum enim Apoſtolicus Miniſter Tractum Rheni ob liberè ſerpentium hæreſûm inundationem in limo profundi fixum, & majora ſemper rei Catholicæ pericula in dies impendere penſiculatiùs cogitavit, ſimulque de zelo, quo Fratres noſtri per Galliam, Helvetiam &c. collabentem Religionem ſuccollarent, mirabilia in dies audivit, eos & Colonię ſtabiliri voluit. Coivit in pia conſilia Sereniſſimus Ubiorum Antiſtes & Elector Erneſtus; dedit & conſenſum Magiſtratus, qui definito aliàs conſilio aliorum Regularium (præter jam admiſſos) in Urbem inductionem inhibuerat; & apud Sacellum, à Reverendo Capitulo ad S. Cunibertum libenter conceſſum, jacta ſunt fundamenta, ſuper quæ Fratres noſtri, ceu vivi lapides Domûs ſpiritualis, fuêre ſuperædificati. Anguſtior autem cum hæc habitatio per quadriennale ſpatium probaretur, in agro Urſulano, ſeu loco, ſanguine Divæ Urſulæ celebri, aptior extructa eſt Domus, Itelio Friderico, Comite de Hochenzolleren, Metropolitanæ Eccleſiæ Decano, ac poſtmodum S.R.E. Cardinale, ultra triginta millia Imperialium ad fabricę uſum numerante.

In hoc Haceldema, ſeu Sacro Sanguinis agro exigua, & tenera Capucinorum planta, Deo incrementum dante, maturavit illico fructus honoris, frondeſque ſuas ita ex-

explicuit, ut anno millesimo sexcentesimo sexagesimo sexto in tres Custodias, & tandem post duos alios annos, in duas Provincias, Coloniensem videlicet & Rhenanam, fuerit divisa. Unita & divisa Coloniensis finem suę originis fideli ministerio attingere semper quęsivit, spiritûs ardore plena Animarum lucro indefesso incubuit studio, & oves, quæ à verę Fidei semita declinârunt, continuò reducit ad pascua salutis copiosas. Testis est inclyta Archiconfraternitas S. Crucis, in Provinciæ hujus Metropoli sub Fratrum nostrorum curâ & directione instituta, de qua ampliorem relationem innovabit ipsa, quæ sequitur, Documentorum series.

Fuit & hæc Provincia, Virorum doctrinâ, & Spiritu illustrium felix & fęcunda semper Mater, quos omnes recensere dum copia arduum facit, aliquos eorum duntaxat referre, ingratum non reor.

Primum inter hos locum meritò sibi vendicat primus & fundamentalis Provinciæ Lapis, Fr. Franciscus Hybernus supradictus, Vir eruditione conspicuus, septem linguarum gnarus, qui Lutetiæ Parisiorum, & Lovanii in sæculo per plures annos Cathedram Doctoralem illustravit, quem P. Hierotheus noster à Confluentia in præfatione Annalium suæ Provinciæ Rhenanæ ab Officio Definitorem, à Parentela Comitem, à Litteratura, prudentia, morumque integritate, per quosvis numeros absolutissimum Virum celebrat, & qui nonnulla Joannis Tauleri opera, quibus fulmen Romanæ censuræ parabatur, à sinistro sensu egregiè vindicâsse dicitur.

Socius ejus laboris, & fundationis, Fr. Bonaventura ab Herbipoli, & cum eo in Provincia Belgia Professus, eousque virtute suâ ascendit, ut in ejus manibus Christus visibiliter in elevatione Sacræ Arę ab hereticis fuerit conspectus.

Fr. Cunibertus Coloniensis, sub Dio sepultus, post plurium annorum intercapedinem incorruptus, flexibilis, & suavem spirans odorem repertus, Sanctos Dei aliquoties corruptionem non videre docuit.

Fr. Constantinus Barbansonius, in Theologię mysticę, vitęque contemplativæ studio omnem penè vitam consumpsit, & illas in eo fecit ascensiones, ut B. V. Marię apparitione potiretur, & occultas amoris semitas, quas pręter Anatomiam Animæ, *& divinarum operationum, publico typo dedit, in se ipso mirè expressit, ac Theophilis in contemplationis pręsidium reliquit, ab Emin. D. Cardinale Bona in compendio Theologiæ mysticæ cap. 4. commendatas.*

Fr. Hilarion Peinanus, quartâ vice Provincialis, zelo Regularis Disciplinæ, rarâ Discretione, & eximia pietate sui memoriam reliquit æviternam.

Fr. Ervaldus Coloniensis, Vir simplex, rectus corde, B. V. Mariæ cultor præcipuus, hanc in suo agone salutantem vidit.

Fr. Marius Bonnensis, & Joannes Wanburgensis eam vitæ innocentiam conservârunt, ut illorum cadavera, post duodecim annos incorrupta fuerint reperta, & recentem sanguinem cum suavissimo odore emanantia.

Fr. Odoricus Vesetensis prophetiâ & miraculis clarus, ac Fr. Sebastianus Aquensis in liberandis energumenis excellens, aliique dono prædicationis, zelo conversionis hærerum, aliisque virtutibus conspicui Viri unito splendore exaltant gloriam Provinciæ.

Quidquid autem laudis, & virtutis in ea viget, & nitet, totum B. V. Mariæ patrocinio potissimum tribuit. Hanc Immaculatam posuit in suo Sigillo, de ea in quatuor Conventuum Ecclesiis, videlicet Aldenhoviensi, Werlensi, Benrodana, & Marcodurana gratiis coruscas retinet Imagines, ad quas is est devoti Populi confluxus, ut in una unius loci Octava ultra triginta millia eorum, qui Sacrâ Synaxi reficiuntur, plerumquè numerentur. Numerat & Provincia

Conventus Fratrum XXVIII.

Missiones seu Residentias V.

Monasteria Monialium Congregationis Audomarensis III.

AU-

AUCTORITATE APOSTOLICA.

Fratres à Belgio ad westphaliæ, Tractûsque Rhenani partes vocantur, constituuntur Missionarii, & Provinciæ Rhenano-Coloniensis fundamenta jaciuntur.

Antonius, Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ Episcopus Vigiliarum, Sanctissimi Domini nostri Pauli V. ejusdemque Sedis ad Germaniæ partes & per Tractum Rhenanum cum poteState Legati de latere Nuntius &c.

Reverendo Nobis in Christo Patri Fr. Francisco, Ordinis Capucinorum S. Francisci per inferioris Germaniæ partes & Tractum Rhenanum Provinciali, salutem in Domino sempiternam.

Religionis zelus, aliaque laudabilia vitæ, doctrinæ & virtutum Nobis in tua persona perspecta Nos inducunt, ut Te specialibus favoribus & gratiis prosequamur. Cum itaque Westphaliç Boreales, ac Inferiores, & per Tractum Rhenanum partes, diversis personis indigeant, quæ ibidem Verbum Dei, & Religionem Catholicam Apostolicam Romanam prędicent, propagent, ac pro viribus promulgent, & inter coeteros ad hoc munus obeundum vestri Ordinis Fratres delegerimus, qui in sanctitate & zelo Religionis oppressos sublevent, jacentes & prostratos erigant, confractos consolident, & foveant, aliaque Christianæ charitatis offica exerceant. Quod, ut majori cum fructu fiat, Tibi per præsentes authoritatem & facultatem concedimus cum iisdem mittendis Fratribus dispensandi, ut tempore Missionis hujus durante possint, utriusque sexûs Christifidelium confessiones audire, eosque verè contritos ac poenitentes in foro conscientiæ absolvere, & aliorum fidelium numero aggregare; præmissis tamen, quod in hujusmodi absolutionibus se non nimis faciles præbeant, sed facultate cum discretione utantur. Præsentibus durante Missione hujusmodi, & inter terminos & loca, ad quæ mittuntur, dumtaxat duraturis.

In quornm fidem & testimonium præmissorum, præsentibus propriâ manu subscriptis, & sigillo nostro munitis, per Abbreviatorem nostrum signaturam & subscriptionem apponi jussimus.

Datum Coloniæ 1. Martii millesimo sexcentesimo decimo tertio, Pontificatus Sanctissimi Domini nostri Anno VIII.

Antonius, Episcopus Vigiliarum, Nuntius ApoStolicus.

Arnoldus Rhodius Abbreviator.

Ex Annalibus Provinciæ Rhenanæ fol. 249.

Archiconfraternitatem Dominicę Passionis, de Propaganda Fide nuncupatam, in Ecclesia nostra Coloniæ canonicè institutam, diversis Indulgentiis ornat.

PAULUS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

CUM, sicut accepimus, in Civitate Coloniensi, in Ecclesia Fratrum Ordinis S. Francisci Capucinorum nuncupatorum, una pia, necnon devota Christifidelium Confraternitas, Passionis Domini nostri Jesu Christi nuncupata, canonicè instituta existat; cujus dilecti Filii Confratres, in diversis pietatis & charitatis operibus sese consueverunt exercere: Nos, ut Confraternitas prædicta, majora in dies suscipiat incrementa, de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli, Apostolorum ejus, auctoritate confisi, omnibus, qui dictam Confraternitatem in posterum ingredientur, die primo eorum ingressûs, si verè poenitentes, & confessi, S. Eucharistię Sacramentum sumpserint, plenariam: Ac tam ipsis pro tempore describendis, quàm jam descriptis in dicta Confraternitate Confratribus, in cujuslibet eorum mortis articulo, si pariter verè poenitentes, & confessi, ac sacra Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti, Nomen Jesu, si potuerint; sin autem, corde devotè invocaverint, etiam plenariam: necnon ipsis nunc, & pro tempore existentibus Confratribus similiter verè poenitentibus, & confessis, sacraque Communione refectis, qui prædictę Confraternitatis Ecclesiam, vel Capellam seu Oratorium in Inventionis, & Exaltationis S. Crucis festis diebus, à primis vesperis, usque ad occasum solis dierum hujusmodi, singulis annis, devotè visitaverint; & ibi pro Christianorum Principum concordiâ, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, quo die prædictorum id egerint plenariam simi-

militer omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Insuper eisdem Confratribus similiter verè pœnitentibus, & confessis, ac sanctissima Communione refectis, qui prædictæ Confraternitatis Ecclesiam vel Capellam, seu Oratorium in tribus diebus festis per Ordinarium loci semel designandis, similiter à primis vesperis usque ad occasum solis dierum hujusmodi, singulis annis piè visitaverint, &, ut prædicitur, oraverint, quoties prædictorum id egerint, septem annos, & totidem quadragenas: Quoties verò Missis, & aliis divinis Officiis in dicta Ecclesia, vel Capella, seu Oratorio pro tempore celebrandis, seuCongregationibus publicis, vel privatis ejusdem Confraternitatis ubivis faciendis, interfuerint, ac pauperes hospitio susceperint, vel pacem inter inimicos composuerint, seu componi fecerint vel procuraverint: ac etiam, qui corpora Defunctorum tam Confratrum, quàm aliorum ad sepulturam Ecclesiasticam associaverint: vel quascunque Processiones per ipsam Confraternitatem de licentia Ordinarii faciendas, dictumque sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, tam in Processionibus, quàm, cum ad infirmos, aut aliàs ubicunque, & quomodocumque pro tempore deferetur, comitati fuerint, aut, si ad hoc impediti, campanæ ad id signo dato, semel Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam dixerint: aut etiam quinquies Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam pro animabus Defunctorum Confratrum dictæ Confraternitatis recitaverint, aut devium aliquem ad viam salutis reduxerint, & ignorantes præcepta ea, quæ ad salutem sunt, docuerint, aut quodcumque aliud pietatis & charitatis opus exercuerint: toties pro quolibet prędictorum operum sexaginta dies de injunctis eis, seu aliàs quomodolibet debitis pęnitentiis, in forma Ecclesiæ consueta relaxamus, præsentibus, perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut prædictas Indulgentias, ac peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes, præmissa peragendo etiam Fratres Capucini, eidem Confraternitati nunc, & pro tempore assistentes consequi valeant. Volumusque, ut, si aliàs dictis Confratribus, aliqua alia Indulgentia perpetuò, vel ad tempus nondum elapsum duratura, per Nos concessa fuerit, præsentes nullæ sint, utque etiam, si prædicta Confraternitas, alicui Archiconfraternitati aggregata jam sit, vel in posterum aggregetur, seu quavis alia ratione uniatur, seu etiam quomodolibet instituatur, priores, seu quævis aliæ literæ Apostolicæ illis nullatenus suffragentur, sed ex tunc eo ipso prorsus nullæ sint.

Datum Romæ apud S. Marcum, sub Annulo Piscatoris, die XXX. Augusti, MDCXIII. Pontificatus nostri Anno octavo.

Scipio Cobellutius.

N O T A.

QUemadmodum teste Regio Psalte Deum in omnibus operibus suis mirabilem noscimus, ita & hujus Archiconfraternitatis originem verè inDeo mirabilem reperimus: præter multorum enim opinionem assurrexit in opus excelsum, Ecclesiæ Dei gloriosum, & Germaniæ præprimis utile, fundatum in humili Capucinorum ministerio. Vix enim hi in Alma Coloniæ Civitate sedem fixerant, Illustrissimus, & Reverendissimus D. Antonius Albergatus, Nuntius Apostolicus &c. memor zeli, quo Fratres nostri in Gallia, Helvetia, in Brabantia, & Belgio, in Boëmia, Austria, & Styria, Tyroli, ac Bavaria &c. hæreticæ ferocię vires retunderent, & Catholicum gregem in opere salutis confortarent, eorum quoque operâ ad parem finem uti statuit, Archiconfraternitate Dominicę Passionis sub eorum directione instituenda in medium selectâ. Fovit consilium Illustrissimus, & Reverendissimus D. Itelius Fridericus, Comes Hochenzolleranus, Metropolitanarum Ecclesiarum Coloniensis, & Magdeburgensis Prępositus &c. Approbavit illud Reverendissimus Otho Gereon Episcopus Cyrenensis, Suffraganeus Coloniensis &c., & plebs tota vulgatum æmulâ pietate acceptavit, ita ut anno 1612. postridie Circumcisionis in *S*acello S. Servatii, Nobis à S. Cuneberti Collegio ad mansionem concesso, prima habita fuerit Congregatio, & latino sermone Fr. Franciscus noster Hybernus sanctitatem operis qualibet sexta feriâ unitoCætui explanaverit. Fratribus nostris ad ampliorem habitationem translatis, cœpit & Confraternitas proprium Oratorium: mansit tamen stabilis Fratrum nostrorum directio, & ab illo tempore hucusque continuata eorum ad Confratres sermocinatio. Inde dum Ordinem nostrum à Confraternitate ita honorari, P. Hieronymus à Castro Ferretorum, Ordinis nostri Minister Generalis resciit, Confratres omnes in Ordinis Filios cooptavit, eosque omnium bonorum operum, quæ in Ordine, divinâ gratiâ juvante, peragi contingeret, participes reddidit, Literis Filiationis Ita inscriptis.

Illustrissimis, Clarissimisque Viris, ac Dominis Generosissimis, aliisque omnibus de Confraternitate pientissima Crucifixi Salvatoris, & Passionis ejus Coloniæ.

Fr. Hieronymus à Castro Ferretorum, Minister Generalis Instituti FF. Capucinorum Seraphici Patriarchæ Francisci salutem in Domino.

Cum juxta fidei Symbolum inter omnes Christifideles magna sit meritorum spiritualium communio, & ea fiat

fiat major in dies, quò fundata magis in charitatis & fraternitatis nexu. Jure Apostolus Gentium, Paulus, abundantiam unius vult esse supplemento inopiæ alterius, & ideo maximè Nos divites fieri in bonis operibus, necnon seminare in benedictionibus, quò alii de benedictionibus nostris metere possint, considerantes invicem in provocationem charitatis & bonorum operum, non deserentes collectionem nostram. Ad hoc præstandum faciliùs ex nostra parte, juvamur plurimùm antiquo non minùs, quàm probato usu Religionis nostræ, aliarum instar, concedendi specialibus amicis, qui aliàs digni suis meritis inveniri solent, ac instanter id petunt, Filiationis (ut vocant) spiritualis patentes literas, id quod non tantùm jure communi, suo modo facere possunt Prælati omnes Religiosorum Ordinum, sed etiam privilegio, & ratione speciali Nos Minoritæ Seraphici Patriarchæ S. Francisci ex concessione Apostolica Urbani PP. V. Eapropter juxta morem nostrum, hisce fundamentis nixum, de Omnipotentis Dei misericordia magna confisi, Vos agnoscentes omni genere meritorum dignos tali beneficio, & petitionibus vestris annuentes hasce literas exarari fecimus, ac per eas omnium, & singulorum operum, quæ à nostris in toto Ordine fiunt, perinde, ac si particularis eorum expressio hic foret, participes reddimus, non dubii, quin Vos ipsos in dies magis ac magis ad hæc favente Altissimo sitis habilitaturi: quemadmodum & Nos pro ratione officii, quod gerimus, in Domino monemus, & hortamur. Sicut autem ex hac hora in suos Filios Vos adoptat Religio Seraphica, & pro talibus deinceps habitura est, ita legitimæ, charæque Matris instar illam à Vobis agnosci par est, & in ipsius rei testimonium non solùm quolibet anniversario hujus vestræ admissionis die, sed etiam præcipuis festivitatibus Ordinis, quoad fieri potest, in nostris Ecclesiis sacra Communione reficiemini, persuasum habentes eò certiùs, & abundantiùs de communi thesauro Indulgentiarum, satisfactionum & meritorum omnium Vos participaturos esse. Datum & signatum Romæ die 1. Junii 1612.

Fr. Hieronymus, qui supra.

Sacrâ hâc meritorum communione decoratum Cætum anno millesimo sexcentesimo decimo tertio Altefatus Nuntius Apostolicus canonicè & Apostolica auctoritate instituit, erexit & fundavit diplomate subnexo.

Antonius, Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ, Episcopus Vigiliarum, Sanctissimi Domini nostri Pauli V. ejusdemque Sedis, ad Germaniæ partes, & per tractum Rheni, cum potestate Legati à latere Nuntius; universis Christifidelibus, intra Legationis hujus terminos existentibus, salutem in Domino sempiternam.

Si quis nostrorum temporum in Ecclesia Christi gliscentem hæreseon perfidiam inspiciat, & præsertim in Germaniis hisce natas inde miserabiles animarum strages: haud dubiè is *Draconem illum tertiam partem stellarum caudâ suâ trahentem, & inimicum hominem zizania superseminantem*, fecisse hoc fateatur, necessum est.

Ille nimirum ad filios adoptionis *descendit, habens iram magnam*; quam nunc tantò copiosiùs evomit, quantò novit certiùs, quod propter *dies in electorum gratiam breviatos, modicum tempus habeat*.

Certè, videmus quas nocendi artes, technasque versipellis ille in eum finem excogitarit hactenus, & excogitet in dies; dum in deplorando hoc à cœlesti patriâ exilio, *tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret*; & ad sempiternum exitium incautas tot animas designat.

At quantumvis ejus malitia magna sit, *nec potestas super terram, quæ comparetur ei*; nihilominus fortiter adversus eum, in hoc lubrico mundo certandum est, ac Dei impenetrabilis *armatura induenda, ut contra illius insidias, telaque ignea* possimus evalescere, nam habemus *scutum fidei, & galeam salutis*, habemus etiam *gladium spiritûs, & loricam justitiæ*, aliaque arma defensiva Redemptoris nostri, quorum impetum, & vim sustinere nequit.

At quemadmodum Sancti omnes robustissimo Behemoth in fide fortes restiterunt; *per fidem etiam vicerunt regna; operati sunt justitiam, & adepti sunt repromissiones*, ita etiam, *hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra, quæ per dilectionem operatur*.

Id verò, quò faciliùs & opportuniùs hoc deplorato Germaniarum statu fieri queat, & illa quoque miseranda tot animarum spolia, de infernalis hujus lupi faucibus eripi, SS. D. N. Paulus Papa V. quem omnium Ecclesiarum paterna sollicitudo angit, & Germanicarum præcipuè, ut eas in visceribus Jesu Christi impensè diligit, quò Filios adeò sibi charos in avita fide jugulatis hæreseon monstris conservare, ac etiam, ut convenientibus armis, ad fortiter inimicis resistendum eosdem instruere possit, nonnulla sanctitatis asyla piorum hominum, (ad quæ de medio Babylonis fugientibus accessus esset, & in quibus de salutaribus remediis huic vulneratæ patriæ adhibendis consultatio fieret) instituenda judicavit.

Illud inter alia securissimum ratus est, si *Confraternitas* Ecclesiasticorum, & Sæcularium Virorum cujuscunque ordinis, dignitatis, aut ætatis idoneæ huic instituto sint, in Ecclesiâ *PP. Capucinorum S. Francisci Coloniæ*, sub invocatione acerbissimæ *Passionis D. N. Jesu Christi*, ejusque vivificæ Crucis erigeretur, cujus Confratres piis virtutum exercitiis inflammati se mutuò ad pietatem, zelumque Dei exacuerent, & in proximorum salutem promovendam ardentiùs incumberent, illius insistentes vestigiis, cujus sibi exemplar imitandum proposuerunt.

Cum igitur hi sese Christi Servatoris, & salutiferæ Passionis ejus sectatores profiteri debeant, operæ pretium erit, si in veris virtutibus, & Christianæ pietatis, misericordiæque operibus exerceri velint, ut *sic luceat lux eorum coram hominibus, ut videant opera illorum bona, & glorificent Patrem, qui in cœlis est*: ac inde proximos suos, luporum & latronum rapacitati expositos, in ovili Pastoris Christi retinere, & quos balantes, erraticósque aliàs in pestilentibus hæreseon pascuis invenerint, ad caulam Domini reducere contendant.

Nos

Nos itaque Sanctitatis suæ mandatis inhærentes, Confraternitatem istam superiori anno, die sacro Parasceves, instituimus, ereximus, & fundavimus: abinde autem, attento multiplici fructu & progressu ejus, *eâdem Apostolicâ authoritate, ac præsentium ex nunc, prout ex tunc, & omni meliori modo ipsam, quoad esset opus, de novo instituimus, erigimus, & fundamus, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen. Et hoc in præfata Ecclesia PP. Capucinorum sub invocatione acerbissimæ Passionis D.N. Jesu Christi, ejusque vivificæ Crucis, (ex qua pendet salus, vita, & resurectio nostra,)* cum indulgentiis, favoribus, & gratiis illi concessis, & concedendis; unà cum regulis etiam & forma gubernandi eam, jussu nostro præscriptis, & manu, sigilloque munitis, ad laudem Omnipotentis Dei, & salutem animarum, Coloniæ Ubiorum die 1. Januar. Anno 1613.

Et eodem anno finem Confraternitatis publicavit, Principesque & populum ad ejus cœtum vocavit, Epistola Pastorali, quæ sequitur:

Reverendissimis, Serenissimis, & Illustrissimis Principibus, Ecclesiasticis, & Sæcularibus, necnon aliis Prælatis, ac Pastoribus, propriam, & proximorum suorum salutem desiderantibus.

Antonius, Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ, Episcopus Vigiliarum, per totum tractum Rhenanum, & partes Germaniæ inferioris Nuncius Apostolicus, cum facultate Legati de latere, salutem in Domino, & divinæ gratiæ augmentum.

Quoties mecum considero, (considero autem sæpissimè) quanta, quamque horribilis clades, ac vastitas non in spiritualibus modò, sed & in temporalibus, magnæ parti Europæ jam centum prope annis, per diversissimas Hæreticorum factiones sit allata, non possum sanè, quin pro eo, ac par est, commovear, animoque ac toto corpore penitus conturber.

Jacent nobilissimæ Provinciæ hæresium obrutæ tenebris, aræ, templa, Monasteria plurimis locis eversa: Dei Sacerdotes occisi, aut exacti: jura divina, pariterque humana sublata: regiones, regna, imperia, bello aut oppressa, aut afflicta: Sacramenta, sacraque omnia profanata: & infinitæ, eheu, animæ pretioso Crucifixi Domini N. Jesu Christi sanguine redemptæ, verâ Dei notitiâ, mediisque consequendæ salutis destitutæ, in æternum exitium præcipitantur.

Fuerunt, si unquam aliàs, certè hoc tempore plurimi eruditione, sanctitate vitæ, zeloque religionis præstantissimi Viri, qui seriò de juvandâ Europâ cogitârunt, strenuèque; nec infructuosè laborârunt, & adhuc dum laborant, adeo ut inter cætera hoc maximè mirandum videri possit, quî fiat, quod in tantâ Catholicæ veritatis luce, tantaque hæresum ac plusquam Babylonicâ confusione præstantissimis, pientissimisque Viris quà voce, quà calamo tam strenuè laborantibus, tam pauci ex hæresi ad Ecclesiam redeant.

Sed dum hujus rei causas accuratiùs expendo, ex ipso quotidiano usu, & longâ observatione comperio, inter alia cognoscendæ veritatis impedimenta, non minimum esse timorem, & sollicitudinem hujus sæculi, ac fallaciam divitiarum; & semen verbi divini, quia inter spinas cadit, sine fructu effici, *ut non immeritò illud in Germaniam nostram conferri posse videatur;* Vepres & spinæ sunt in universâ terrâ.

Primùm etenim sunt permulti opifices, & cives, in iis Imperii civitatibus, in quibus utriusque Religionis usus est, aut Catholici, hæreticique promiscuè habitant, quos non alia res à Catholicâ religione, sive amplectenda, sive cum eam corde amplexi fuerunt, profitendâ deterret, quàm quod ex invidiâ, odioque adversariorum vehementer sese in opere faciendo, & victu acquirendo impeditum iri formident.

Deinde inter Prædicantes hæreticos, ut quisque est doctissimus, ita facillimè Catholicam veritatem perspicit; sed tenet eum certissimus egestatis, si Catholicus fiat, metus: habet uxorem, habet, aut habiturum se veretur numerosam prolem: opificium nullum: fodere non valet, mendicare erubescit: *Concionari, quod unum novit, nequaquam sibi à Catholicis permissum fore intelligit. Hæret ergo in hæresi; atque ut iis, à quibus pendet, magis placeat; aut, ne alienæ ab ipsorum religione voluntatis suspicionem præbeat, virulentius ferè in Catholicam religionem, quantumvis repugnante conscientiâ, invehitur; aut si paulò sit conscientiosior, salutisque suæ amantior, sibi persuadet, satis esse, si controversa fidei capita pro concione non attingat; sed in iis tantùm, quæ ad mores ordinandos, corrigendosque pertinent, immoretur. Sunt qui adeo hac paupertatis formidine præpediuntur, ut de sua conversione vix, ac ne vix quidem, aut audire, aut cogitare audeant, &, ut nonnunquam radius aliquis divinæ gratiæ, aut agnitæ veritatis affulgeat, plerumque tamen intellectum ab ejus cogitatione avertant, &* Spiritum Sanctum contristent, atque extinguant.

Porro ex Consiliariis, & Ministris Principum Protestantium, si qui sunt, qui Catholicam fidem sive ex toto, sive ex parte veram esse compererunt; iis, ne vel in agnoscendo vero pergant, vel Catholicos se profiteantur, ejusmodi fere metus obiici solet, fore ut ministerio, & officio exuti rem suam familiarem absumere cogantur, sine ullâ spe certâ loci apud Catholicos Principes obtinendi, cum haud facilè quis eos suscipiat, quorum neque fidem, neque usum experimento cognoverit, si præsertim periculum aliquod sit, ne Ministrorum ejusmodi receptio, priores eorum patronos offendat.

Accedit, quod fieri potest, ut Princeps in Ministrum Religionis mutatione irritatus, occasionem de industria quærat, eum arcanorum & consiliorum proditorum calumniâ circumveniendi, quâ ex re periculum de vitâ pariter, ac famâ subnasci oportet.

Eadem fere omnia Nobiles pauperiores terrent, qui cum vix aliam emergendi rationem habeant reliquam, quàm, ut literis instructi addicere Principibus operam velint, etiamsi curiositate quadam, aut innato sciendi desiderio ducti, seu potius divinâ gratiâ præventi, & excitati, Bellarmini, aliorumque Catholicorum libros legere soleant, & aliquando veritatis aculeo figantur: attamen metu excidendi spe suâ, utcunque tole-

tolerare conscientiæ remorsum inducuntur. Etsi enim ad Cathedralium, & Collegiatarum Ecclesiarum beneficia aspirare possunt, tamen neque omnium ratio, animusque fert, ut Ecclesiastici fiant, neque etiam ita statim, quàm illorum res postulant, in Ecclesias admittuntur, nec nisi bene probati admitti debent. Etiam cum recepti fuerint, priusquam beneficiorum suorum fructus percipere per Ecclesiarum leges possunt, multis cum difficultatibus luctari eos oportet.

Demum opulentos Nobiles, atque copiosos mercatores istud terret, quod observârunt sui similes ob mutatam religionem è ditionibus Principum suorum profligatos, aut tum, ut injuriis & violentiæ adversariorum cederent, tum, ut conscientiæ, salutique consulerent, derelictis prædæ inimicorum, aut certè non parvo cum dispendio distractis rebus suis, exulare coactos, paulatim ad egestatem redigi, & difficillimè se suosque pro dignitate alere posse.

Itaque jam nemini mirum esse debet, cur in tantâ Catholicæ Veritatis luce tam pauci ex hæresi convertantur. Sæculi enim sollicitudo, & alimoniæ cura, velut spinæ, corda eorum obsident, à quibus seminatum in iis Dei verbum suffocatur.

Quare, si quis est qui zelo divinæ gloriæ, & desiderio lucrandarum animarum inceditur, pietate sua dignissimum fecerit, si de ratione, quâ spinæ illæ ex miserorum animis evelli, eisque egestatis metus demi queat, seriò cogitârit, cum apud Prophetam præcipiat Deus; Novate vobis novale, & nolite serere super spinas.

Ac multis quidem prudentissimis, optimisque Viris post varias, ac diuturnas hac de re collationes, meditationes, ac deliberationes, utilissimum factu visum fuit, si Sodalitium quoddam, sive Confraternitas in aliqua nobiliori atque opportuniore Civitate Germaniæ institueretur, quæ tum convertendis hæreticis, tum colligendis eleemosynis, & alendis Conversis, si egeant, & petant, operam suam impenderet.

Ita Sanctissimus D. noster, ad quem omnium Ecclesiarum sollicitudo spectat, de his omnibus informatus, ut piis Catholicorum desideriis, & muneri suo satisfaceret, Coloniæ Agrippinæ, in nobili illa & sancta Civitate, quæ Catholicæ religionis in istis Germaniæ partibus asylum, murus, & antemurale est, Fraternitatem in hunc finem institui, eamque titulo amarissimæ Passionis Crucifixi Domini nostri Jesu Christi erigi mandavit, ut Confratres respicientes in auctorem fidei, & consummatorem Jesum, qui talem sustinuit adversum semetipsum contradictionem *in difficili illa & laboriosa provincia lucrandi Deo animas ipsius Passione redemptas* non defatigentur animis deficientes: *alii vero omnes amore ejus, qui pro ipsis passus, crucifixus, mortuus est, Fraternitatem foveant, defendant, promoveant.*

At, cum non possit esse dubium, quin Diabolus, quod ex Confraternitatis institutione, ac felici successu ingens damnum, maximamque plagam sit accepturus, nihil intentatum relinquet, quo omnem ejusmodi conatum impediat & animos alioquin promptos objectâ difficultatis specie, aut quocunque alio modo retardare possit, operæ pretium visum fuit infirmiorum animos contra præcipuas difficultates, quæ obiici posse videntur, præmunire.

Primùm non deerunt, quibus res tanta videbitur, tantamque requirere magnitudinem sumptuum, ut rebus in Germania sic stantibus, atque hisce hominum moribus nullo modo sustinere queat.

Ad hæc, utcunque subsistat, extimescendam esse sinistram non vulgi modo, sed & Magnatum quorundam suspicionem, quasi sub prætextu Religionis res politicæ tractentur, aut privatum commodum, aut nescio quid aliud agatur.

Præterea illos, quibus Catholicæ veritatis lux affulget, debere ultro fidem suam profiteri, neque quicquam terreri egestate.

Item fore, ut multi fiant Catholici solùm propter offam, & lucrum.

Demum conversionem hanc, quam Fraternitatis institutio promittit, non tanti momenti; potius de convertendis Principibus, quos nempe alii sequuntur, laborandum esse.

Ad primum *quod attinet, nôrunt omnes pii Catholici, aut novisse debent, parvis inchoari initiis, iisque arduis, atque exsurgere in altum, verum esse signum divinæ vocationis, & benedictionis dicente Apostolo:* Videte vocationem vestram Fratres: quia non multi sapientes secundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles: sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes: & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia: Et ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea, quæ non sunt, ut ea, quæ sunt, destrueret: ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus. *Nam &* lapis abscissus de monte sine manibus principio perexiguus, factus est mons magnus, & implevit universam terram: & Granum Sinapis, quod est minimum in omnibus seminibus, *factum est* arbor magna, extendens palmites suos usque ad mare, & usque ad flumen propagines ejus: *Ecclesia, inquam, Dei ex minimis initiis, in eam excrevit, duratque amplitudinem,* ut dominetur à mari usque ad mare, & à flumine usque ad terminos orbis terrarum, *meritoque ac verè dicatur, ac audiat* Catholica. *Quod si igitur membra non debeant esse alterius naturæ, quàm universum corpus, sperandum sanè est fore, ut Fraternitas hæc, quò minoribus & humilioribus exurgit principiis, hoc magis in immensum, & altum excrescat, duretque: præsertim cum idem plerisque Religiosis Ordinibus contigisse videamus. Et sanè jam tum istud successus edocet. Etenim simul atque Fraternitas ista à Sede Apostolica erecta, confirmata, amplissimarumque indulgentiarum, privilegiorum, & spiritualium gratiarum collatione velut divino quodam sigillo communita fuit, eos statim fecit progressus, atque ea sumpsit incrementa, ut totus mundus intelligat, hoc opus non humanæ, sed divinæ virtutis, & Apostolicæ benedictionis esse.*

Primùm, Serenissimus, ac Reverendissimus Archiepiscopus Coloniensis, sacri Romani Imperii Princeps, Elector, columen, ac lumen Germaniæ, non modo eam ratam, gratamque, ac probatam habuit, verùm etiam pro zelo Domûs Bavaricæ hæreditario, suoque proprio, Eam ardentissimo affectu, atque imitando exemplo inter primos ingressus est, quem mox plures alii viri Principes, ac Magnates Ecclesiastici, & Sæculares secuti sunt, qui liberaliter etiam eleemosynas largiuntur, & venientibus de Moabitide non solùm concedunt spicas colligendas post terga messorum, sed & de industria plenâ manu proiiciunt: quorum magnificentiam, largitatemque Fraternitas agnoscit, & Deus Optimus Maximus copiosissimè, tum in hoc, tum in futuro sæculo compensabit. Nec dubitandum, quin reliqui Germaniæ Principes pro innata sua germana pietate, ac bonitate illorum munificentiam sint imitaturi, Deique etiam promissio hac in parte adimplenda: Erunt Reges nutritii tui, & Reginæ nutrices tuæ; & suges lac gentium, & mamillâ Regum lactaberis. *Quæ res facit, ut*

quod

quod reliquum est, fidentiùs Deo committamus. Nunquam enim opera Dei, qualis hujus Fraternitatis institutio censeri debet, meliùs succedunt, quàm cum minimum humanæ prudentiæ tribuitur, & zelus speciem, ut ita dicam, possibilitatis superat, & contra spem in spem creditur.

Ad secundum, *non est, quod Herodes, aut regnum ipsius de hac Fraternitate sibi metuat, in qua ne quid ad Politici status regimen, aut curam quoquo modo spectans omnino tractetur, aut misceatur, prudentissimè juxtà, ac gravissimè statutum est. Similiter, ne quid ex rebus aut facultatibus, eleemosynisve Fraternitatis, contra ejus intentionem in privatum commodum intervertatur, aut in convivia, compotationes, aut aliquid aliud his affine insumatur, sub obligatione lethalis peccati, & sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ac restitutionis in quadruplum strictissimè adeò ut etiam eleemosynæ, aliave pia legata tali conditione apposita non liceat recipere, cautum est, qua etiam de causa Ordini Capucinorum velut Filia Matri perpetuò ac indissolubili nexu uniri ambiit, & obtinuit, quod his ab omnibus politicis, ac nummariis rebus sese omnino, omniumque maximè abstrahit. Ita Fra ernitas ab omni sinistra suspicione apud cordatos & bonos viros se immunem fore confidit; malevoli si quid calumnientur, contemnet.*

Expeditæ sunt præcipuæ difficultates: quæ supersunt, levioris momenti sunt. Nam quod quarto loco movebatur: Homines salutis suæ amantes, Catholicæque veritatis luce perfusos ultrò fidem suam profiteri debere, nec egestate terreri, id sanè ita est: sed non idcirco, quia ipsi non faciunt, quod debent, nec nos quidem, quod debemus, faciemus. Debemus potius eorum commiseratione tangi, qui ex imbecillitate sic caducis rebus affixos habent animos, ut eos ad curam æternorum bonorum convertere nequeant, eorumque corda spinis, quibus obsita sunt, liberare, ut Verbum Dei in iis seminatum fructum adferat. Nemo enim est, qui non alios eodem modo erga se affectos, si simili morbo laboraret, esse vellet. Atqui Christi habemus præceptum: Quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis Hæc est enim lex, & Prophetæ. Qui autem diligit proximum, legem implevit. *Ergo qui non est promptus istam hujusmodi infirmitatem sublevare, omni dilectione caret:* Qui autem non diligit, manet in morte.

At multi fient Catholici propter offam, & lucrum. Primùm, opus pium & sanctum propter suspiciones non debet intermitti. Deinde non est hominis Christiani in re adhuc incertâ de altero suspicari: Charitas enim non cogitat malum. *Demum Fraternitatis erit providere, quantùm omnino poterit, ut omnes, quos in curam recipiet, tam moribus, quàm fidei professione sint Catholici, seseque frequenti usu sacramentorum, & assiduo virtutum exercitio ita probent, ut Fraternitatis tutelâ, & beneficiis non indigni censeantur, uti per regulas sufficienter provisum. Ita fiet, ut, si aliqui fortè principio minus sincerè ad Catholicos accesserint, paulatim bonâ fide Catholici fiant, cum metu excidendi victu, morum emendationi studuerint. Facilè enim Catholica fides in animo locum invenit, qui sit impedimentis fidei, malis nempe moribus, liberatus. Quare etiam ipse Christus temporalium bonorum promissione alios ad se allicit.* Amen dico vobis: nemo est, qui reliquerit domum, &c. propter me, & propter Evangelium, qui non accipiet centies tantum, nunc in tempore hoc, & in sæculo futuro vitam æternam. *Et Deus;* Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis.

Ad postremum dico: quantùm ad singulos attinet, non minus est lucrari cujusque plebeii animam, quàm animam Regis, aut Principis. Itaque quoad hoc, personas respicere non debemus. Addo, quod ex conversione Nobilium, Consiliariorum, Prædicantium, Civium, progressu temporis integrarum civitatum conversionem nobis polliceri possimus. Nam illi porro alios, & alios lucrari, & tandem ipsos Principes veritatis agnitione imbuere poterunt. Arma quidem, quibus hæresis hactenus usa fuit, Prædicante nempe, doctos, nobiles, & consiliarios ei adimemus. Atque ita difficultatibus, quæ à multis moveri, plures movere, ac turbare, progressumque Fraternitatis hujus impedire possent, satisfactum speramus, & confidimus.

Nunc ad vos Viri Principes, ac Prælati, quos Deus Ecclesiæ suæ speculatores, custodesve, Pastores, Protectoresve constituit, redit oratio. Vos per amorem Crucifixi Domini nostri Jesu Christi, per vestram, aliorumque curæ vestræ commissorum salutem hortor, moneo, oro, obsecro, obtestor, ut hoc pium Fraternitatis Institutum, à Deo singulari munere concessum, à Sanctâ Sede Apostolicâ institutum, benevolis animis accipiatis, protegatis, foveatis, promoveatis. Videtis necessitatem, eamque propè extremam, videtis florentissimam olim Germaniam jam tot sæculis Imperii Sedem, Religionis domicilium, vestram patriam, diversissimis, ac innumeris hæreticorum factionibus conscissam, instar illius, qui Hierosolymis Hierichunta discedens in latrones inciderat, spoliatam, vulneratam, semimortuam jacere: aperite viscera pietatis, imitamini optimum illum Samaritanum, alligate vulnera animarum fidei & diligentiæ vestræ creditarum, infundite oleum misericordiæ, & vinum munificentiæ vestræ: juvate authoritate, & viribus, ut oves errantes ad ovile reducantur, reductæ conserventur, foveantur, sustententur. Sic fiet, ut vera, avitaque ac unicè salvifica Religio in pristinum statum restituatur, Imperio Germanico suus constet honos, & Vos Princeps ille Pastorum *post transactam feliciter, pacatèque hanc vitam,* immarescibili donet gloriæ corona.

Motâ ab ipso nostro Ordine nonnullâ circa hanc Confraternitatem difficultate, Illustrissimus Dominus Nuntius causas, ob quas eam in nostra Ecclesia institui Summus Pontifex statuit, Litteris ad P. Generalem denuo datis patefecit, ut sequitur.

Admodum Reverende Pater Observantissime.

Tardius respondeo ad unam P. S. Reverendæ Litterarum, sub 25. mensis proximè elapsi exaratam, cum tempore, quo extra Coloniam dego, appulerit.

Quantumvis Religio PP. Capucinorum multos numeret amicos Authoritatis majoris, quàm ego sim, nulli tamen cedo, nec affectu, quo illius bonum desidero, nec notitiâ, quam de illorum Instituto habeo. Tempore vitæ meæ transactæ, & in iis, quæ cum aliis Religionibus, maximè autem cum Paternitatis Vestræ Ordine egi, persuasa esse debet, quod novitatis nunquam fuerim amator, semperque, ut instituta primorum Fundatorum serventur, curavi. Eapropter Paternitas Vestra turbari non debet, cum id, quod

Coloniæ actum est, non solùm crisin non mereatur, sed econtra Statuta Suæ Sanctitatis laude & maximâ digna sint commendatione.

Imprimis autem necessaria fuit introductio usûs Dalmaticarum, & Missæ à Capucinis Coloniæ cantandæ ob scandalum hæreticorum, qui videntes, Capucinos componentes Congregationem reformatam, Diaconis & Subdiaconis non uti, in populo (omissis aliis eorum dicteriis) spargebant quod Sanctio SS. Ordinum Minorum, ac Diaconorum & Subdiaconorum, humana foret inventio. quod exemplo ipsius Religionis Capucinæ, hosce Sacros Ordines in Missis nunquam admittentis, confirmabant: ex quo populus felle pessimæ hujus & diabolicæ doctrinæ non parum inficiebatur.

Quapropter Sanctitas Sua statuit, ut Paternitas Vestra percepit, ut Missa magna cum Diacono & Subdiacono cantaretur, simpliciter tamen, & juxta Missale Romanum.

Circa Congregationem Passionis D. N. Jesu Christi, P. Vestra male informata est credendo, quod Patres Capucini ipsius habeant curam, cum, uti ex regulis desuper confectis videre poterit, cura Patrum unica sit, habendi qualibet septimanâ ad Confratres sermonem, eosque in Spiritualibus, quantùm possunt, coadiuvandi, dum de cætero in nulla sua impediuntur actione.

Sanctitas Sua, ut hæc Congregatio in Ecclesia Capucinorum cum eorum assistentia fiat, expedire judicavit ex duplici motivo. Primum est, cum Congregationis primarius finis sit conversio animarum, & in specie, hæreticorum, Religio, cui aptius conveniret, & securius recommendari posset hujusmodi negotium, Religione Capucinâ, reperiri non poterat, ob diversos quidem respectus, circa quos, ut me extendam, non vacat. Secundum autem erat, ut mundo probaretur, hanc Congregationem non esse fundatam supra utile humanum, sed esse institutam unicè pro gloria Dei, & salute animarum, cum omnes, etiam ipsi hæretici fateantur, quod Capucini, qui materiæ & negotiis Statûs se non ingerunt, in eorum Ecclesia Congregationem institui non permisissent, si alios, præter dictos, haberet fines. Eximius fructus hucusque collectus, & adhuc colligendus, concursusque populi & Principum, qui ei adscripti sunt, probant pietatem illius, quod Sanctitas sua ordinatione suâ quæsivit.

Quantum &c. Inde protestor, quod, si P. Vestra quid minimum de iis, quæ hîc ex Suæ Sanctitatis mandato in utilitatem hujus Provinciæ stabilita sunt, sit alteratura, ipsa causa, destructio, & ruina erit fabricarum tot Monasteriorum, & tot laborum, pro gloria Dei, & Religionis Capucinæ hîc susceptorum. Tandem &c. Leodii 20. Augusti 1613.

Paternitatis Vestræ.

Antonius, Episcopus Vigiliarum, Nuntius Apostolicus.

Erectionem subsecuta est illico ampla Indulgentiarum gratia, Confraternitati per ante-positas Apostolicas litteras à Paulo V. concessa, qui & postmodum sua desuper lætitiæ sensa significari jussit per sequentes litteras.

Pergratæ Suæ Sanctitati, mihique litteræ Vestræ fuerunt, tum, quod primordia Confraternitatis S. Crucis Coloniensis valde votis nostris arrident, tum, quod in Religione Catholica non mediocres progressus ab ea fieri manifestè apparet; qui ut etiam firmiores radices agant, Apostolicis Brevibus, à Sanctitate Sua promoveri petierunt. De his ergo Brevibus non est, cur pluribus rescribam, remitto enim Vos ad Reverendissimum Coloniæ Nuntium. Cæterùm velim, sic existimetis me ad promovendos tam pios conatus, tantæque pietatis desideria paratissimum semper futurum, cui inservire studiis omnibus & officiis in gratiam vestram nunquam desistam. Quibus optata feliciter omnia ex Sententia evenire, Deum comprecor. Romæ 26. Septembr. 1615.

S. Card. Burghesius.

Collaudavit & Cardinalis Madrutius inceptum opus, & illius progressui subsidium adpromisit, litteris subnexis.

Quæ Sanctissimus Dominus noster remedia ad Christi fideles juvandos, eorumque salutem promovendam adhibet, illa profectò uti sunt summa cum prudentia ac pietate conjuncta, sic ad finem propositum attingendum summopere conducere ita perspicuum est, ut, id qui neget, eum sanæ mentis non esse existimemus. Hinc fit, ut Nobis non mediocrem pareat lætitiæ voluptatem Congregatio nuper istic in PP. Capucinorum Ecclesia erecta, ex qua, prout ex epistola vestra conjicimus, plura in Catholicam fidem commoda, ac subsidia dimanatura, jure optimo confidere possumus. Quocirca, cum tam Salutarium Reipublicæ Christianæ Institutorum exemplar Nobis transmiserint, multum profectò debemus, gratique proinde animi nostri significationem oblatâ occasione aliquo argumento testatam fore pollicemur. Interim neo-cœptis & optatis Deus assistat, omniumque bonorum cumulo Vos magis in dies augeat. Tridenti 17. Octobr. 1615.

C. Card. Madrutius.

Pari Stylo Opus commendavit, mentemque suam desuper expressit Cardinalis Lenius litteris sequentibus:

Ex vestris, à Domino Ovidio Luparo, Nobili Viro Coloniensi unà cum libro de Constitutionibus, & Regulis Congregationis S. Crucis istic erectæ extremis fere præteriti mensis diebus exhibitis litteris, non solùm amorem, fidem, ac plurimam vestram in me humanitatem, sed & erga Religionem Christianam animi magnitudinem atque

que pietatem periucundè intellexi: opus quidem amplexi estis maximè commendandum, propter quod tam diligentes Vineæ pretioso Christi Sanguine redemptæ, tamque experti Cultores cœlestibus præmiis à Deo, ab hominibus autem probis perpetuo laudum præconio afficientur. Congregationem nempe hujusmodi, Regulam & Decreta, quibusdam à me perlectis Capitulis, ita piè, ordinatèque disposita esse judico, ut pro cultûs divini exercendo, servandoque exemplo utiliora & efficaciora construi nequeant, id enim ex rei eventu maxima cum mea lætitia probatum est, cum per viam tenebrarum, & perditionis quamplures ambulantes, veluti palmites orbos infœcundosque in virides atque frugiferos translatos, rectas salutis, æternamque vitæ semitas, Spiritus Sancti lumine suffultos suscepisse non dubitetur. Optimum erit negotium, si prudens istius Venerabilis, præstantissimæque Congregationis tot Virorum insignium, clarissimorumque Principum aggregatione ornatæ coasilium de Seminarii erectione facienda, pro fidei Catholicæ credentium numero augendo executioni demandetur. Itaque me, quidquid ad rei Christianæ summam spectare cognovero, omne munus subire, studiumque meum omnibus nervis adhibere, & omni prorsus charitatis officio apud Sanctissimum Dominum Nostrum fungi nunquam defuturum, pro certo habeatis. Interim diligentia operaque mea tam pro istius Congregationis publicæ utilitate, quàm pro ejus privata honoris augendi ratione liberè utamini. Vlterius perfectæ meæ voluntatis testimonium ab eodem Domino Ovidio vobis meo nomine abundè reddetur. Felicioribus Deus atque fœcundioribus in dies progressibus tam pium Congregationis S. Crucis opus prosequatur, ac Vobis propitius semper existat.

Datum Romæ die 2. mensis Decembr. 1615.

Card. Lenius.

Noviter Sanctissimus D. N. Paulus V. quantùm sibi hæc Confraternitas cordi esset, significari jussit per litteras sequentes.

Diligenter & accuratè egi cum Sanctissimo Domino Nostro, de quo illi & mihi 10. Febr. scripsistis negotio, fecique, ut intelligeret, quanti tanta Societas facienda, & quibus adjuvanda foret auxiliis, qui non difficulter se persuaderi passus, jussit me Vobis respondere, Confraternitatem Dominicæ Passionis maximè sibi cordi esse, seque ad hoc Datariæ Præfecto mandasse, ut in compositionum occasionibus in memoriam sibi præfatam Confraternitatem revocaret. Quod verò ad Apostolica Brevia ad Principes dirigenda attinet, cum minimè solitum sit illa ad Principes pro hujuscemodi rebus mittere, datur in mandatis Apostolico Coloniæ Nuntio, ut ea illis studiosissimè tradat, atque commendet, renuntietque meo nomine Vobis, quid de hoc negotio sentiam, quàmque paratus sim ad mea Vobis præstanda studia, quibus majus in dies divinæ gratiæ incrementum à Deo percupio.

Romæ 9. Aprilis 1616.

S. Card. Burghesius.

Anno millesimo sexcentesimo decimo sexto denuo Summus Pontifex Paulus V. à se concepta de progressu solatia Confraternitati significavit per Apostolicas litteras, infra in filo & serie Brevium videndas, cui & Card. Burghesius applausit per comites suas litteras tenoris sequentis.

Summa me affecerunt lætitia ea, quas scripsistis de progressibus, quos in dies vestra Congregatio Coloniæ facit, summa itidem Sanctitatem suam, ut ex Apostolico his alligato Diplomate facilè ipsi cognoscetis. Sperat enim ex pusillo isto grege aliquid magni evasurum. Quod ut facilius etiam eveniat, jussit optata à Vobis apud Cæsaream Majestatem peragi officia pro illis, qui ad meliorem frugem conversi Catholicam amplectuntur Religionem. Pergite igitur, ut cœpistis, studia enim mea nunquam patiar desiderari posse à Vobis, quibus majus in dies divinæ gratiæ incrementum à Deo precor. Romæ 2. Julii 1616.

Scipio Card. Burghesius.

Suum erga hoc Institutum pium affectum eodem anno Serenissimus Comes Palatinus probavit & Stipe, & litteris, quæ sequuntur:

Wolffgangus Guilielmus, Dei gratia Comes Palatinus Rheni: Dux Bavariæ, Juliæ, Cliviæ, & Montium, Comes Valdenzii, Sponheimii, Marochiæ, Ravenspurgi & Mörs, Dominus in Ravenstein &c.

Pium Congregationis Sanctissimæ Passionis Christi Domini nostri institutum, in Vrbe Coloniensi apud PP. Capucinos, auctoritate Apostolica erectum, & confirmatum libenter intelleximus, & valde probamus, Nobis persuadentes, illius opera plurimos reducendos in viam salutis, Ecclesiæque Dei, ac primis vicinis Provinciis nostris magnum inde spirituale emolumentum obventurum. Hujus igitur tam pii Instituti, ut Nos quoque aliqua ex parte efficiamur participes, mandavimus Locum-Tenenti nostro Dusseldorpiensi, Joan. Bertholdo à Wonsheim, ut nostro nomine Congregationi pro Conversis numeret quingentos florenos Rhenanos. Cæterum Congregationi toti à Deo fausta precamur, & ejus devotioni, piisque conatibus Nos nostrosque subditos commendamus.

Neoburgi 8. Novembris 1616.

Wolffgangus Guilielmus.

Ad finem hujus anni innovavit Cardinalis Burghesius, vetera Pontificiæ propensionis promissa, & nova addidit per litteras sequentes.

Et suæ Sanctitatis unacum meis accepi litteras, omni obsequiorum genere refertas, & vestrum in Catholica fide propaganda cognovi studium, & alacritatem: quæ cum suæ Sanctitati sedulò communicassem, comperi in ea animum propensum & optimum tum erga vestram Sodalitatem, tum erga pia, quæ in dies præstatis, opera ad pelliciendos hæreticorum animos. Quod attinet ad ea, quæ postulatis, debita, uti par est, pensabitur maturitate, eaque iis Sanctitas sua gratificabitur, quæ fieri poterunt, ad respondendum Vobis, quos unanimes ut servet Deus, plurimùm opto. Romæ 10. Decembr. 1616.

Scipio Card. Burghesius.

Ut sua quoque pietate ad Confraternitatis finem concurreret Celsissimus ac Reverendissimus Episcopus Herbipolensis, duo loca in Collegio Herbipolensi, à se fundato, duobus à Confraternitate Conversis addixit vigore litterarum, quæ sequuntur.

Julius, Dei gratiâ Episcopus Herbipolensis, & Franciæ Orientalis Dux.

Litteræ vestræ ad Nos perlatæ fuerunt, ex quibus intelleximus, quod Nobis duos Fraternitatis Alumnos sub invocatione Passionis Domini nostri erectæ præsentare velint, & quidem eo nomine, quod in litteris nostris, ad Illustrissimum & Reverendissimum Dominum Nuntium datis duo loca in Collegio nostro Herbipolensi illis liberaliter addixerimus. Certè ut primum Nobis de hujus Fraternitatis proposito relatum fuit, quod pietatem, zelumque animarum & proximorum salutem comprimis spectat, non potuimus tam pium institutum non sommopere approbare; & lætitia haud vulgari fuimus affecti, cum in ultima senecta conjunctis viribus multos ad id conniti videremus, in quod nullis parcentes laboribus & impensis cum lucro multorum millium animarum hactenus incubuimus. Ut autem, quos tali ratione ad ovile Domini in Diœcesi nostra reduximus, in Religione sana conserventur, Collegium Herbipoli instituimus alendis Adolescentibus præcipuè destinatum, qui populo Pastores præficerentur. In quo Collegio, ut nostram affectionem erga Fraternitatem aliqua saltem ex parte ostenderemus, uni & alteri Juveni ex Conversis, qui tamen maturioris ætatis, & linguæ nostræ Superioris callentes sint, illiusque indolis, ut Theologiæ studia intra triennium circiter possint absolvere, loca concessimus in Confraternitatis vestræ gratiam, cui, ut propositum Sanctum Clementissimus Deus ad felicem finem perducat, ex animo precamur. Datum Herbipoli 12. Jan. 1617.

Julius Episcopus Wirceburgensis.

Quæ ulterius Romæ acta essent in Confraternitatis decorem, Ovidius Luparus perscripsit, ut sequitur.

Maximi progressus, qui in dies fiunt in istis partibus à Confrarernitate amarissimæ Passionis Christi, in convertendis hæreticis, & in exercendis aliis sanctissimis operibus pietatis, me semper magis excitant & animant ad exequendum, quidquid summa benignitas vestra mihi minimo & indigno Confratri imponere dignatur. Unde omni cum industria & diligentia litteras ad me transmissas statim curavi consignari Sanctissimo Domino nostro, Illustrissimo Cardinali Burghesio, & Reverendissimo Patri Præposito Generali PP. Jesuitarum, à quibus reportavi annexas responsiones in omnibus, & per omnia gratissimas, prout ex earum inspectione cognosci poterit.

Sanctissimus Dominus noster mandavit Reverendissimo Datario, ut primæ compositiones, seu taxæ, quas de istis partibus occurrerit fieri in Dataria, Confraternitati Sanctissimæ Passionis Coloniæ apud PP. Capucinos applicentur, & in elemosynam pro Conversis vel convertendis donentur.

Eidem Sanctissimo placuit concedere titulum Archi-Confraternitatis, & ordinavit, ut Illustrissimi & Reverendissimi Cardinales Congregationis Concilii Tridentini cognoscant de modo, & de clausulis, quibus esset concedenda confirmatio privilegiorum cum impressione Instituti nostræ Confraternitatis, quod, ut quamprimum fiat, à me omni studio curabitur.

Propositum fuit ab eodem Sanctissimo nostro Illmo Cardinali S. Susannæ, ut ejus nomine Confraternitatem nostram commendaret Revmo P. Generali PP. Capucinorum, eidem mandando, ut semper debeat providere de probo atque devoto Viro, secundùm voluntatem & necessitatem Confraternitatis.

Illustrissimus ac Reverendissimus Cardinalis Burghesius se partialissimum offert & pollicetur Protectorem Confraternitatis, & ideo eam efficacissimè suis litteris nomine Sanctissimi Domini nostri commendavit Reverendissimo Hispaniarum Nuntio, & alias occasiones, quæ poterunt esse Confraternitati honoris & utilitatis, ut adinveniat, se ultro promittit curare.

Sequente Ordinario mittam in manus Illustrissimi ac Reverendissimi D. Nuntii Breve, quod Sanctitas sua concessit pro Altari privilegiato in Confraternitatis Oratorio, quod, quamvis sit ad septennium tantùm concessum, potest tamen teneri pro perpetuo, cum sit de more, ut in fine septennii confirmetur. Et hæc, quæ nunc mihi scribere occurrunt Vobis, quibus precor à Deo concedi talem Spiritum in exercenda tam Sacrosancta administratione, ut prophetia illa, & fiet unus Pastor, & unum Ovile, *quamprimum adimpleatur.*

Romæ 14. Januarii 1617.

Ovidius Luparus.

Gau-

Gaudium Summi Pontificis de Confraternitatis progressu Cardinalis Burghesius subjuncta & nova intimavit epistolâ.

Ut piis vestris optatis respondeatur, mittitur jubente sua Sanctitate Apostolicum Breve de extendenda facultate celebrandi in Altari privilegiato ad diem feriæ quartæ & sextæ; magnum est enim tum suæ Sanctitatis, tum meum desiderium non modò gratificandi, verùm etiam auxiliandi operibus vestris, qui in vinea Domini sedulò laborantes, ad meliora æmulanda charismata abalienatos allicitis homines.

Hinc illud, quo Sanctissimus noster affectus est, gaudium; cognovit namque ex vestris litteris, quot nuper per Confraternitatem vestram ad Catholicam conversi sunt Religionem, quæ in dies affulgeat Spes uberioris messis. Fortunet Deus, quod operatur in vobis: mihi certè in hujusmodi rebus apud Suam Sanctitatem promovendis, nec studium deerit unquam, nec voluntas, quæ Vos ad tam præclara facinora alacriores reddat. Romæ 6. Maji 1617.

Scipio Card. Burghesius.

Eodem mense Comes Palatinus de sua in Archiconfraternitatem aggregatione, grates retulit epistola sequente.

Quod Venerabilis Archiconfraternitas vestra per Patentem transmissam ad participationem omnium bonorum suorum Spiritualium Nos admiserit, grato agnoscimus animo, precamurque divinam bonitatem, piòs Archiconfraternitatis conatus suo favore prosequi dignetur, unde emergant Ecclesiæ optati fructus, ipsiusque augeantur merita apud Deum & homines. Vestris igitur piis ad Deum precibus Nos nostrosque commendamus.

Neoburgi die 16. Maii 1617.

Wolfgangus Guilielmus.

Felicia Jani festa apprecanti Archiconfraternitati, Cardinalis Burghesius suum erga eandem impensiorem affectum in grates reposuit, literis subjunctis.

Jucundum omnino fuit eas legisse literas, quibus Vos publico vestræ Fraternitatis nomine faustum anni hujus ingressum & felicem mihi estis apprecati, quam sanè benevolentiæ significationem multi facio, eaque non vulgare meum in Fraternitatem ipsam studium augeri ita sentio, ut ad illius res omnes tum fovendas, tum promovendas in dies paratior sim futurus. Gratias interim Vobis, totique Fraternitati permultas ago, & illis, ut à Deo prosperè omnia cadant, exopto. Romæ ultima Januarii 1618.

S. Card. Burghesius.

Renovavit pia sua sensa zelantissimus Cardinalis aliis literis, ita datis:

Literæ, quas pridie Kalendas Junias ad me Colonia scripsistis, redditæ mihi, & hilari animo lectæ fuerunt erant enim officiis & in me fiduciæ, ac benevolentiæ refertæ: has cum Sanctissimo Domino nostro communicassem, respondit se illas pro recommendatis apud se rebus in iis habiturum, quas cum Domino, adveniente occasione poterit. Hæc quoties mihi dabitur opportuna, nunquam prætermittetur, utpote cui ea sunt cordi omnia, quæ è re usuque Confraternitatis vestræ fore cognoscentur. Quibus interim divinæ gratiæ incrementum, & diuturnam expeto vitam & salutem. Romæ 27. Julii 1619.

S. Card. Burghesius.

Placitum de sua in Præfectum Archiconfraternitatis electione, Albertus, Archidux Austriæ &c. explicuit epistola tenoris sequentis:

Albertus, Dei gratiâ, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Luxemburgi, Geldriæ, Comes Habspurgi, Flandriæ, Tyrolis, Arteriæ &c.

Admodum Reverendi, sincerè Nobis Dilecti.

Ex literis vestris septima hujus ad Nos exaratis intelleximus electionem nostram in Præfectum Sacræ Archiconfraternitatis nostræ Crucifixi Jesu, & gavisi sumus hoc inexspectato nuncio piæ vestræ erga Nos, quamvis absentes, affectionis & memoriæ in re tam sancta & pia. Accepimus igitur non illibenter delatam Præfecturam, in qua nihil, quod ad conservationem & augmentum laudabilis istius & verè Christiani Instituti, & voti vestri conducere indicabitis, intermittemus, quod Vobis pro responso nostro benignè celare noluimus, piæque Confraternitatis nostræ devotis precibus Nos desuper intimè commendantes, Vobis omnibus benevolentia & gratia nostra jugiter addicti manemus. Datæ ex Regia nostra Bruxellensi die 26. April. 1620.

Albertus.

Parùm post Card. Burghesius de transmisso neo-electorum Officialium catalogo Pontificium placitum Archiconfraternitati retulit, & Sodales ad solita pietatis opera animavit, epistolâ sequenti:

Magnam omnino cœpit Sanctitas Sua lætitiam, Principes illos Viros fuisse recenter renuntiatos istius Archiconfraternitatis Officiales, quorum virtute, zelo, & exemplo Conversi excitati in Catholica Religione proficere possint, & quamvis non dubitem, quin sitis eadem, quæ prius, pietatis officia & operam in expiscandis animis & capiendis animabus præstituri, ad illa tamen alacriùs exercenda Vos ejusdem Sanctitatis Suæ nomine plurimùm hortor. Non desinet ipsa Sanctitas, quantùm cum Domino poterit, pios vestros conatus juvare, protegere, & promovere: Ego, qui meam ad ejusdem Sanctitatis Suæ voluntatem conformo, volo, Vobismetipsis persuadeatis, illa me semper omni studio curaturum, quæ è re fore tum isti Archiconfraternitati, tum Vobis singillatim cognovero. Quibus divinum incrementum ex animo à Deo precor. Romæ 30. Maii 1620.

S. Card. Burghesius.

Evecto ad Pontificium Romanæ Ecclesiæ culmen Urbano VIII. Card. Madrutius Archiconfraternitatem de novi Pontificis cura & favore reddidit certiorem epistolâ sequente:

Si ulla unquam tempora, Apostolicæ Sedis splendore illustrata exultarunt, hæc certè debent, quæ Urbanum vident Pontificem, quem Deus Ecclesiæ suæ regimini apparans, cœlestibus virtutibus largissima manu ornavit, sed si cujusquam animum hæc gaudio perfudit electio, nostrum imprimis, ex quorum exivit numero, mirificè penetravit, in hac quippe Sacra Congregatione -- sedebat. Quod autem in nostræ hujus lętitię partem acceditis, sicut per literas vestras testatum facitis, gratiam habemus, gratulamurque summo huic Dei beneficio participaturis; quam enim de eo spem ipsi concipimus, eam vobis in dubium vocare nefas est. Vestra itaque negotia Nobis summæ curæ fore credite, atque à Sanctissimo Domino nostro ea exspectate, quæ apud ipsum pro Vobis commendatio nostra poterit. Jam verò provisum ac mandatum est, ne quæ vestræ Archiconfraternitatis damno seu præjudicio in Dataria transigatur supplicatio. Quapropter de ipsius necessitatibus rebusque omnibus ad ejus commodum & incrementum pertinentibus Sacram hanc Congregationem certiorem facere ne dubitetis, Vobis omnem gratiam, opem, opera & auxilia spondemus, ut agnoscatis, quàm zelum pietatemque in Deum vestram grato comitari animo cupiamus. Romæ 4. Novembris 1623.

Carolus Card. Madrutius.

Cum Archiconfraternitas confugientibus ad eam non solùm de Dono veræ Fidei, sed etiam de corporali subsidio providere soleat, & ideo ærarium ejus abundantes exigat proventus, Cardinalis de la Cueva pro Stipe, sua in Aulis Regiis Bruxellensi & Hispanica interponenda officia, per sequentes adpromisit.

Cum in multis omnino Divinam admirari sapientiam & laudare bonitatem debeamus, tum in illo præcipuum habere nos inexplicabilis erga suos providentiæ & sollicitudinis argumentum credimus, quod, quoties justa severitate Fideles, ita exigentibus eorum peccatis, castigat, & in Corpore suo, quod est Ecclesia, aut languores vitiorum, aut Schismatum ac hæreseon pestes patitur oboriri: Eandem tamen nunquam non pro suæ in nos dilectionis exuberantia, paterna lenitate per spiritum suum solùm consoletur, sed præsidiis etiam quibusdam eam muniendo, novis venenis antidota nova, & quantumvis etiam pestilentibus morbis salutaria quædam illis remedia adhibeat. Esse itaque verum, quod in scripturis legimus: Dominus mortificat & vivificat, deducit ad inferos & reducit; Dominus pauperem facit & ditat, humiliat & sublevat; quotidiano sensu experimur. At cum plurima quidem eximiæ illius in nos benignitatis testimonia, hoc, quod maxime affligit Ecclesiam, sæculo eluceant, per quam ea nobis relinquuntur pharmaca, quibus, ut Rex propheta scribit, de interitu redimi vita nostra, & sanari possint omnes etiam infirmitates nostræ: Archiconfraternitas tamen illa S. Crucis, quam tanto propagare affectu studetis, per amplissimas præsertim Germaniæ regiones ad errores infringendos & salutem Animarum cum insigni Divinæ Gloriæ augmento, procurandam, nobis bonisque omnibus opportuna comprimis esse videtur, adeo ut non immerito is à promovenda Christi causa, & ejusdem etiam gloriæ studio alienus censeri possit, qui non liberali eam benevolentia omnique favore prosequatur. Quare quod à nobis modò per epistolam petitis, mox, cum optimè fieri poterit, & hic apud Serenissimam Celsitudinem suam, & in Hispania apud Catholicum Regem propensissimè obsequemur, sic, ut quantum in nostra situm erit facultate, omissuri simus nihil, quo summam votorum vestrorum attingere possitis. Utinam verò, ut & in aliis ad officia quàm maximè promptum animum nostrum probare vobis possimus, & (quod pari nunc desiderio optamus) non modo Serenissimæ Infantis, ac Catholicæ suæ Majestatis, sed aliorum quoque Principum, & Ecclesiæ Præsulum munificentia meritis & exspectationi vestræ respondeat! Valete. Deus Optimus Maximus. Spiritum vobis illum animosque servet & augeat, quibus piissimum illius Archiconfraternitatis institutum efflorescat, per quam offusa per omnem (pro dolor) Europæ tractum Christianæ rei caligo dissipetur, & inimicis Crucis Christi pressis, Orthodoxa Religio exaltetur.
Bruxellæ ad diem vigesimam quintam Maii 1625.

A. Card. de la Cueva.

Plura latent in Archiconfraternitatis Scriniis hujusmodi Rescripta & Litteræ, quæ honores illius summè augent, mutique manent testes decoris. Hunc ad tempus quidem suborta in Germania & Bohemia belli fata fusco quasi peplo velârunt, fuit autem sub Innocentii Papæ X. Pontificatu, sollicita curâ & concursu Emin. Fabii Cardinalis Chisii, Serenissimi Principis, Francisci, Ducis Lotharingiæ &c; ac Episcopi Verdunensis, Illustrissimi Jos. Mariæ Sanfelicii, Archiepiscopi Cusentini, & Apostolici ad tractum Rheni Nuntii, Sere-

Serenissimi Principis, Francisci Guilielmi, Episcopi Ratisbonensis & Osnabruggensis &c. Comitis de Wartenberg &c. Illustrissimi Francisci Egonis, Comitis in Furstenberg, Iberg &c. necnon Illustrissimi Joannis Jacobi Comitis in Konisegg &c. aurum, quod obscuratum plures planxêre anni, anno 1652. restitutum, apparuitque hæc gratia Salvatoris Dei nostri potissimum ipsâ Epiphaniæ solemnitate, qua Sermus Maximilianus Henricus, Archiepiscopus & Princeps Elector Coloniensis, & Archiconfraternitatis Præfectus Celsissimos Principes Ernestum & Mariam Eleonoram, Hassiæ Landgravios, à nostro P. Valeriano Magno ad semitam salvificæ Fidei deductos, ab Anathemate nativæ sectæ absolvit, floretque ab illo tempore non interrupto incremento, ita, ut illam verè Opus Dei, in gloriam Ecclesiæ formatum nuncupare liceat, Si enim Personas, quæ albo Confratrum adscribi voluêre, & virtutis suæ exemplo plures in sequelam traxêre, vel quæ ærarium Confraternitatis larga stipe cumulârunt, aut aliàs favore & protectione illius incrementa quæsiverunt, respiciamus, magna profectò est gloria ejus: ex harum enim serie sunt.

Summi Pontifices.

Paulus V. Gregorius XV. Urbanus VIII. & Innocentius X.

Cardinales Sanctæ Romanæ Ecclesiæ.

Scipio Burghesius, Fabius Chisius, Scipio S. Susannæ, Alphonsus de la Cueva, Ferdinandus, Hispaniarum Infans, Episcopus Toletanus, Robertus Bellarminus, Carolus Madrutius, Savo Mellinus, Franciscus Guilielmus, Episcopus Ratisbonensis, & Fridericus Itelius ex Comitibus de Hochenzolleren, qui Archiconfraternitatem, jamprius ære suo variè locupletatam, ultimâ sua voluntate hæredem bonorum universalem instituit.

Nuntii Apostolici.

Antonius Albergatus, Joseph Maria Sanfelicius.

Archiepiscopi, & Episcopi.

Ferdinandus, & Maximilianus Henricus, Archiepiscopi Electores Colonienses, Franciscus, Dux Lotharingiæ, Episcopus Verdunensis, Otto Gereon, Episcopus Cyrenensis, Suffraganeus Coloniensis, Julius, Dux Franconiæ, Episcopus Herbipolensis, Godefridus Episcopus Bambergensis, Jacobus Bonome, Archiepiscopus Mechliniensis, Anselmus Casimirus, Archiepiscopus, & Princeps Elector Moguntinus, Antonius S.R.I. Princeps & Episcopus Brixiensis, Georgrius Paulus Stravius, Episcopus Joppensis, Suffraganeus Coloniensis.

Vestigiis Ecclesiasticæ pietatis æmulo zelo institerunt Principes Sæculi, & inter hos

Imperatores Romani.

Mathias I. Ferdinandus II. & Ferdinandus III.

Reges.

Philippus III. Philippus IV. Hispaniarum Reges.

Principes, Duces &c.

Albertus, & Isabella, Archiduces Austriæ, Guilielmus & Wolfangus, Duces Bavariæ, Principes Electores &c. Wolfgangus Wilhelmus Dux Neoburgicus, Ernestus Princeps & Landgravius Hassiæ, qui in festo Purificationis B. V. Mariæ in Oratorio Archiconfraternitatis, arrham instituti suscepit. Reticeo consultò longiorem Marchionum, Comitum & Nobilium seriem, & eorum nominibus in hodiernum usque diem Syllabum Confratrum æque augeri ac decorari, unicè superaddo.

Si gloriam Archiconfraternitatis metiri à suo fine velimus, eò ipso illa excellens est, cum hic unicus sit animarum conversio, seu hæreticorum de luto sectæ ad Ovile Christi reductio. Hæc ut uberior sit, Missiones instituere consuevit, iis ipsis, quos in Fidem formavit, aliquando in subsidium Fratrum Missionariorum adhibitis: Jam anno 1616. & 1617. Parochia Polingensis in Ducatu Montensi, Susatum & Lyppia primariæ Westphaliæ Civitates, Hamburgum &c. abundantem messem ex hujusmodi Missionibus collectam stupuerunt, & pagus Erpell per eas lue Anabaptistarum se purgatam hodie adhuc grata memorat.

Fructum ab Archiconfraternitate collectum si intueamur, pro ratione hujus crescit & illius gloria, & benedicere debemus Patri Misericordiarum, & Deo totius consolationis, qui in ostensionem suæ virtutis Institutum hujus Archiconfraternitatis plantavit, ut, dum in Germania astuti tenebrarum Filii alios ab admirabili fidei lumine divertere moliuntur, Sacro horum Confratrum Cœtu non solùm eorum nisus retundantur, verùm etiam converso prorsus eventu, plures eorum de caligine Sectæ ad agnitionem veritatis adducantur.

Mirare enim, Lector, & ab anno millesimo sexcentesimo quadragesimo primo, usque ad annum millesimum sept-

septingentesimum quadragesimum quintum operâ Archiconfraternitatis ad veram fidem conversos esse tene:

Lutheranos, Calvinistas &c.

Undecies mille septingenta quinque, inter quos undecim Comitum Familiæ, varii Nobiles, Principum Consiliarii, Sectarum Ministri seu Prædicantes, numerantur. Visi quoque sunt jam in primis Archiconfraternitatis annis, quinque Conversorum in Scholis RR. PP. Jesuitarum docentes, alii, Ordines RR Patrum Carthusianorum, Prædicatorum, Observantium, Carmelitarum discalceatorum ac Capucinorum &c. tum spiritu doctrinæ, tum sanctimoniâ vitæ illustrantes: Visi sunt alii in Capitulis Canonici, in locis Parochi, in Parochiis Decani, alii in Principum aulis Ministri, in Curiis Consiliarii, in Lycæis publici Juris & Medicinæ Professores, laudabili morum exemplo, assumptæ fidei disciplinam decorantes.

Apostatas.

Ex diversis Ordinibus ad Religionis aratrum reductos *triginta quinque*.

Judæos.

Aquâ salutis ablutos mille ducentos: Meretur autem peculiarem hîc memoriam, quæ anno 1744. contigit, Puellæ Hebreæ & 15. ætatis annos habentis conversio. Jam septennis baptismum interno quodam instinctu quæsivit, & inde à Muliere Catholica, quæ in ædibus Parentum, in Civitate Cliviensi prædivitum ancillabatur, potiores fidei articulos edocta, tandem suasu unius ex Nostratibus ad Archiconfraternitatis asylum magnanima confugit. Fratres nostri, ut ovem ab insidiis Luporum custodirent, eam in vicino Sancti-Monialium Cœnobio collocarunt, à quo non nisi ad instructionem horâ constitutâ dimittebatur, socio Custode semper munita. Aderat jam tempus, quo ei debebat conferri baptismus, at nec Patrinus nec Matrina reperiri poterant, omnibus vel periculum regressûs ad Judaismum, vel onus sustentationis metuentibus. Tenacitas humana quæ agere noluit, Dei providentia fortiter supplevit; nam dum vigesima quinta Maji, quæ erat feria secunda Pentecostes, ex instructione Capucini ad Cœnobium redux à duobus Viris violentâ manu ad vicinas ædes abducta est, haud dubie Parentibus restituenda, illico facti rumor insonuit, conglomerari studiosi, tumultuari Cives, & tota Civitas ita commoveri, cœpêre, ut etiam miles armatus impedire nequiret, quin aliqui studiosorum &c. portas ædium, in quibus Ovicula capta gemuit, effringerent, Raptores impeterent, vulnerarent, & Puellam ad Fratrum Monasterium reducerent, à quo Illmo Civitatis Senatu disponente, ad primum Monialium Claustrum rediit. Attonitus & lætus rei seriem inaudivit modernus Serenissimus Archiepiscopus Elector, Clemens Augustus, & miram Virginis constantiam admiratus, se ejus Protectorem & Patrinum declaravit, in Matrinam Serenissima Principissa N. Mariâ designatâ. Inde 31. Maji, in quem Dominica Sanctissimæ Trinitatis cadebat, Illustrissimus & Reverendissimus D. de Siersdorff Suffraganeus Puellam&c. sub ingenti applaudentis populi accursu Sacro baptismatis lavacro abluit, assistentibus loco Serenissim. Patrini, & Matrinæ, Excellentissimo Domino L. Bar. de Wenge, Serenissimi Elect. Consiliario intimo, supremo Campi Marechallo &c. ac Dominâ Comitissa de Hatzfeld, Rhedâ Electorali, & sex equis instructâ cum altefatis Suffraganeo & Patrino ad Archiconfraternitais sacellum deducta. Fuit generosa hæc Puellæ virtus æquè Civitatis admiratio, ac repentini fructûs occasio, nam eodem adhuc currente anno, novem alii Hebræi, inter quos unus, ditissimus Amstelodami Mercator erat, ex sacro fonte aquam hauserunt salientem in vitam æternam.

Confratribus Archiconfraternitatis prædictæ suum de illorum zelo solatium significat, dona divinæ gratiæ in iis multiplicari precatur, & à suis & Sanctæ Sedis Ministris cum Imperatore de commodiore Conversorum sustentatione agi, jam commissum esse renuntiat.

PAULUS PAPA V.

Dilecte Fili salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Neque opportuniori, neque magis desiderato solatio sublevari poterant hoc tempore pastorales nostræ sollicitudines, eo, quod nuper attulerunt litteræ vestræ à dilecto Filio Ovidio Luparo, qui negotia vestra agit apud hanc S. Sedem Apostolicam, Nobis redditæ. Penetravit certè usque ad animæ nostræ intima ardor christiani vestri zeli, tanta consolatione perfusa sensimus charitatis nostræ viscera, dum easdem litteras vestras legeremus, & catalogum omnium, quæ ad hanc usque diem à Vestra Fraternitate acta sunt, ut abberrantes ab æternæ salutis tramite deducerentur per semitam rectam ad Ecclesiæ Sanctæ Catholicæ gremium. Benedicti Vos à Domino, qui vocati estis ab ejus immensa misericordia, ut cum spe tam evidenti, & tam certa indeficientis atque incorruptibilis retributionis in Cœlis studeretis summa cum laude vestræ pietatis atque cha-

charitatis, animas Christo lucrifacere in terris. Multiplicet in vobis quotidie magis Omnipotens & misericors Deus dona suæ sanctæ gratiæ, ut melius semper & majore cum emolumento illi inservire in vocatione vestra valeatis, idque, ut diligentiùs jugiter curetis (quanquam minimè indigere cohortationibus vos intelligimus) pro paterno affectu, quo vestra apud Deum merita magis ac magis in dies augeri cupimus, Vos hortamur.

Quantùm autem ad Nos attinet, libentissimo animo omnibus significationibus paterni ac singularis in Vos, vestramque Fraternitatem nostri amoris, quantùm cum Domino poterimus, laudabilibus vestris conatibus ac piis studiis favebimus. Interim mandavimus, ut Ministri nostri, atque hujus S. Apostolicæ Sedis, qui Pragæ commorantur, sedulò curent obtinere à Cæsare, quæ vos desiderare intelleximus, pro commodiori sustentatione Conversorum ad Ecclesiam S. Catholicam. Confirmet Vos Deus in omni opere bono, augeatque in Vobis semper gratiam & virtutem, ut acceptiora sint ei semper opera vestra, & Nos cum omni charitatis affectu Vobis Apostolicam Benedictionem impertimur.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die XVII. Kalend. Augusti Anno MDCXVI. Pontificatûs nostri duodecimo.

Petrus Strozza.

Ejusdem Archi-Confraternitatis Statuta Apostolicæ firmitatis robore communit, ac inter ea quintum, sextum, & septimum capitis XVIII. articulos sub poena excommunicationis observari debere decernit.

PAULUS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

Pias Christifidelium Confraternitates, & pietatis, & christianæ charitatis opera exercentium canonica instituta, ut in eorumdem piorum operum exercitio confoveantur, specialibus favoribus, & gratiis libenter prosequimur, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Sanè nomine dilectorum Filiorum, Præfecti, Officialium, & Confratrum Archiconfraternitatis Passionis D. N. J. Christi nuncupatæ, in Ecclesia Fratrum Ordinis Minorum Sancti Francisci Capucinorum nuncupatorum, Civitatis Coloniensis, canonicè institutæ, Nobis nuper expositum fuit, quod ipsi pro felice prosperaque Archiconfraternitatis hujusmodi directione nonnulla statuta condiderint, tenoris subsequentis, videlicet:

CAPUT I.

Qui & quales in Confraternitatem recipi debeant.

Cum, ut Apostolus ait: Personarum acceptatio non sit apud Deum; sed idem Dominus omnium, dives in omnes, qui invocant illum, ubi non est Gentilis, & Judæus, circumcisio & præputium, barbarus & Scytha, servus & liber: sed omnia & in omnibus Christus, ita omnes Crucis suæ Sectatores esse voluit: ideo Confraternitas ista omnis statûs, ac ordinis homines, Ecclesiasticos, Sæculares, conjungatos & solutos, modò probatis moribus, ac mediocri litteratura, ut latinè intelligant, ornati sint, admittet.

II. Qui admitti volent ante omnia Dei omnipotentis (à quo bona cuncta procedunt) voluntatem jejuniis, vigiliis, orationibus, & eleemosynis cognoscere satagent, ab eoque donum perseverantiæ ad finem usque flagitabunt.

III. Inde Regulas à Patre Confraternitatis petent, diligenter legent, accuratè expendent, &, si ad Dei gloriam, animarumque salutem operam suam in sancto isto instituto, cum fructu collocari posse divinâ gratiâ sperent, supplicem libellum Magistris libellorum supplicum exhibebunt.

IV. Ii referent in prima Congregatione Præfecti & Assistentium, qui deputabunt aliquos ad sumendas informationes de qualitate supplicantium: & si fuerint inventi idonei, in generali Congregatione proponentur: receptio autem octiduum adhuc differetur, quò Confratres omnes interea temporis amplius cogitare, & si cuiquam, cur non admittendos censeat, occurrat, Præfecto, ejusve Vicario, aut alicui Assistentium indicare queat, ut sic nemo nisi deliberato universæ Confraternitatis consensu recipiatur. Quod si Præfectus & Assistentes judicent non esse tales, qui cum honore, & fructu recipi possint, aut certè dubitent, atque amplius deliberato opus putent, nihil publicè proponent, quò petentium honori consulatur, donec ipsi eos recipi posse statuant.

V. Quem recipi publico consensu placebit, ei tempus probationis, unius duorum, aut

aut trium etiam mensium, pro personarum qualitate præfigetur. Eo tempore frequentabit Congregationes generales, & reliqua spiritualia Fraternitatis exercitia: at si quid publicè deliberandum occurrat, haud intererit. Præfectus autem nominabit aliquem ex Confratribus, qui ei Leges, & statuta Fraternitatis explicet, cæterasque consuetudines, ac observationes edoceat, & si quæ fortè difficultates, vel dubitationes occurrant, tollat. Quod si comperiatur probationis suæ tempore non omnino satisfecisse, poterit judicio Præfecti, & Assistentium, aut penitus rejici, aut probationis tempus prorogari. Si autem dignus appareat, poterit Præfectus de illo in Fraternitatem cooptando, in plena Congregatione referre, & dotibus animi, moribusque breviter recensitis suffragia ferenda curare, illo interim, pro quo suffragia colliguntur, ante Oratorium præstolante. Quod si fuerit pluribus suffragiis cooptatus, acceptum intrò eo ritu Pater Spiritualis recipiet, qui infra præscribetur.

VI. Porro antequam ita admissus generalem totius anteactæ vitæ Confessionem faciet: aut si eam jam ante ritè fecit, eandem ab ultima generali faciet, idque testimonio sui Confessarii, Patri spirituali, aut Præfecto probabit. Præterea monendus erit, ut ipso admissionis die se ad Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum accipiendum paret, quò juxta gratias, ac privilegia Confraternitatis â Sanctissimo Domino nostro illi concessa, Indulgentiam plenariam consequi possit.

CAPUT II.

De fine Fraternitatis.

I. Finis Fraternitais ultimus est honor Dei Optimi Maximi. Hunc semper ob oculos mentis sibi propositum habebunt, huc omnes cogitationes dirigent, huc in omnibus studiis, & actionibus collimabunt. Et cum finis iste omnibus rebus ab auctore earum, unicè sit propositus, Confratres Crucifixi Domini Nostri Jesu Christi eum tantò vehementius quærent, ardentius sitient, diligentius promovebunt, quantò hoc eorum institutum atque ipsa nomenclatura à communi & usitatâ hominum vita amplius distat: itaque *ligabunt eum in corde suo jugiter, & circumdabunt gutturi suo. Cum ambulaverint, gradietur cum eis: cum dormierint, custodiet eos; & evigilantes loquentur cum eo.*

II. Hunc finem procurare, ac promovere studebunt operando æternam, tum suam ipsorum, tum verò etiam Proximorum salutem. Suam, quoniam, qui se suamque salutem negligit, & indignus, & ineptus est, cui aliorum salus committatur; & ut alios Deos, aut lucrari, aut conservare queat, *quid proderit ei, si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Proximorum verò salutem etiam ex professo, & ratione finis à Fraternitate primariò intenti curare debet, quia, *qui viderit Fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo, charitas Dei non manet in eo*: quod si verum est in corporali necessitate, quantò magis in spirituali, & æterna? Quanta autem sit spiritualis necessitas Proximorum in hac præsertim, ut olim florentissima, ita nunc afflictissima Germania, cœcus est, qui non videt, ferreus, quem non miseret, impius, qui, cum potest, non sublevat.

III. Salutem proximi procurabunt, laborando in conversione omnium peccatorum, at in primis hæreticorum. Nam quò horum major est miseria, idcirco quod omnium omnino à Deo remotissimi, ipso etiam fundamento pietatis, ac adipiscendæ salutis destituti sunt, eò major in iis juvandis conatus, & charitas elucere debet.

IV. Porro ipsa docet experientia inter reliquas rationes juvandi, & convertendi hæreticos, quas & alii cum laude, ingentique fructu usurpârunt, & Fraternitas sibi præcipuè commendatas habebit, non esse postremam, aut negligendam, quâ externis, & temporariis auxiliis sublevantur. Sunt enim non pauci, quos magis sollicitudo rerum temporalium, quàm amor hæresum impedit, quò minus ex damnatis erroribus suis eluctari valeant. Quo fit ut in tantâ Catholicæ veritatis luce præstantissimis Viris, quà vivâ voce, quà calamo egregiam tam diu operam navantibus, pauci nihilominus ab hæresi ad Ecclesiam redeant. Nimirum sæculi sollicitudo, & victûs cura, velut spinæ quædam corda eorum obsident, â quibus seminatum in iis Dei verbum sufflatur, & quò minus ad frugem maturescat, impeditur. Quare Confratres zelo divinæ gloriæ, & desiderio lucrandarum Animarum incensi, alendis iis, qui ad Ecclesiam reversi cum egestate luctantur omni meliori modo operam suam impendent, & hunc non esse inter postremos fines hujus Fraternitatis, seriò cogitabunt.

CAPUT III.

De motivis, & mediis Confratrum ad suam ipsorum salutem procurandam spectantibus.

I. Æterna salus, ad quam omnes â Deo conditi, vocati, redempti sumus, & sine qua melius erat Nobis natos non esse, in primis Dono, & gratia Dei, deinde frequenti, & legitimo usu Sacramentorum, demum nostra cum divina gratia cooperatione, & assiduo vir-

virtutum exercitio comparatur. Scitum enim illud Augustini; *qui fecit te sine te, non justificat te sine te: esse potest justitia Dei sine voluntate tua, sed in te esse non potest, nisi per voluntatem tuam.*

II. Quare ante omnia orandus jugiter, ac devotè est Deus, atque ejus gratia sedulò precibus imploranda. Verè enim à quodam dictum est; *nullum credimus ad salutem, nisi Deo invitante, venire, nullum invitatum salutem suam, nisi auxiliante Deo, operari, nullum, nisi orantem, auxilium promereri.*

III. Deinde frequens erit legitimus usus Sacramentorum, per quæ gratia Spiritûs Sancti, & meritum Passionis Christi ipsius instituto nobis efficacissimè, & liberalissimè communicatur; *& per quæ proinde omnis vera justitia vel incipit, vel cœpta augetur, vel amissa reparatur.*

IV. Præterea in studium Virtutum omnium, ac potissimum charitatis assiduè incumbendum.

V. Itaque spiritualia exercitia, per quæ Charitas foveri, nutriri, augescere, roborari ac confirmari, familiaritasque, & intima cum Deo conjunctio acquiri consuevit, sine intermissione usurpanda; ut sunt piorum librorum lectio, divinorum beneficiorum, & mysteriorum jugis meditatio, vigiliæ, jejunia, eleemosynæ, visitationes hospitalium, captivorum, pauperum, ac infirmorum, & reliqua opera mortificationis.

VI. Libri pii, quorum lectione Confratres sese ad pietatem excitabunt, sunt hi, Biblia Sacra, libri quatuor de imitatione Christi, Auctore Thoma de Kempis, Dux peccatorum, item vita Christi, item Memoriale, Auctore Ludovico Granatensi, Meditationes Vitæ Christi, Vincentii Bruni, aut Ludovici de Ponte; Meditationes Passionis Christi, Chrystophori Vezucchrini, item Francisci Toleti: Liber de Amore Dei, Didaci Stellæ; Praxis Spiritualis, Antonii de Sales, Episcopi Genuensis, & similes.

VII. Externi etiam Divini cultûs (qui internæ pietatis custos, fomes, indicium est) exactissimi observatores erunt.

VIII. Assistentes quotidie divinis mysteriis id agent, ut in se sentiant, atque exprimant vivam repræsentationem Passionis Filii Dei, juxta illud ipsius ante mortem in prima eorum institutione; *hoc facite in meam commemorationem*; & ad Apostolos dicentis: *Quotiescunque manducabitis panem hunc, & Calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat.*

IX. In reliquis etiam universis suis actionibus obeundis, ita sese comparabunt, ut & coram Deo, & coram hominibus, non videantur proprium, vel affectionem, vel utilitatem, sed gloriam Dei, & Animarum salutem intendere.

X. Post Deum Cœlites quoque cum Christo regnantes religiosè venerabuntur, inprimis Virginem Deiparam, totius humani generis apud Filium Advocatam, præcipuo charitatis, & pietatis, affectu colent. Deinde Beatum Patrem Franciscum, aliosque Ordinis ejus speciales Sanctos, sibi patronos adsciscent, omni honore, ac devotione prosequentur, eorum res gestas, & vitas attentè legent, & studiosè imitabuntur.

XI. Mutua sese invicem Charitate ardenter, & sincerè prosequentur, scientes hanc esse veram, & germanam tesseram, quâ veri Crucifixi Domini nostri Jesu Christi discipuli, ac sectatores agnoscuntur, juxta illud ab eo jam tum ad mortem ituro, iterum, atque iterum, ac sæpius inculcatum: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* Itaque imitabuntur veteres Christianos, quorum tanta invicem fuit, tamque evidens charitas, ut ipsi etiam Ethnici quasi in stuporem rapti, atque admirabundi dicerent: *Videte, ut invicem se diligunt, & pro alterutro mori sunt parati*, & nomen ipsum *Confratrum* incitamento erit, & adhortationi, ut se non diligant verbo, neque linguâ, *sed opere, & veritate.*

XII. Et quia potissimum necessaria est ad institutum hujus Fraternitatis ea conjunctio animorum in capite illius, ac membris, singulariter amabunt omnes, & observabunt Præfectum, aliosque Superiores; & cavebunt à temerariis judiciis, murmurationibus, detractionibus, susurrationibus, & rebus aliis, quæ illorum auctoritatem, & mutuam Charitatem lædere quovis modo possunt.

CAPUT IV.

De motivis, & mediis ad Proximorum salutem promovendam spectantibus.

I. His virtrtibus veluti firmissimis præsidiis muniti ad aliorum salutem promovendam sese excitabunt, ac in primis justum, atque ingentem zelum animarum concipient, fovebunt, amplificabunt. Si quidem persuasissimum sibi habebunt, sine ingenti zelo nihil unquam hac in re præclarè effici posse. Ut autem in tali zelo excitando juventur, sequentia paucis considerare utile erit.

II. Cogitabunt, quam præclara res sit anima: quantaque ejus dignitas, in cujus gratiam & salutem Deus Opt. Max. mundum, & uni.

universa, quæ mundi ambitu continentur, condidit: tot Patriarchas, & Prophetas à condito mundo misit, *de nocte consurgens & quotidie commonens*, ut ait Scriptura: *ipsos etiam Angelos fecit administratorios spiritus, atque in ministerium misit propter eos, qui hæreditatem capient salutis*: & quod excedit omnem admirationem, ipse omnium Dominus de sinu Patris in hanc lachrymarum vallem descendit, *formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo*, & post gravissimos triginta trium annorum labores sanguinem suum profudit, solùm, *ut quæreret, & salvum faceret quod perierat*. Quæ una consideratio, incredibile dictu est, quanto zelo omnes Sanctos novi Testamenti accenderit; ut verè appareat, hunc zelum ignem illum esse, de quo Christus dicebat; *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur?*

III. Deinde intuebuntur horribilem animarum stragem, quam sempiternus humani generis hostis, præsertim in his regionibus, hactenus fecit, & etiamnum facit. Verè enim *Omne caput languidum, & omne cor mærens, à planta pedis usque ad verticem capitis non est in eo sanitas: vulnus, & livor, & plaga tumens, non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo. Dispersæ sunt oves, eò quod non esset Pastor, & factæ sunt in devorationem omnium bestiarum agri* (Lutheri, Calvini, Zwinglii) *Erraverunt greges in cunctis montibus, & in universo colle excelso, & super omnem faciem terræ dispersi sunt greges, & non erat qui requireret, non erat, inquam, qui requireret* Itaque cum regio Propheta dicent: *Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei, & zelus domûs tuæ comedit me. Quis autem comeditur zelo Domûs Dei? qui omnia, quæ ibi fortè videt perversa, satagit emendare, cupit corrigere, non quiescit, si emendare non potest, tolerat, gemit.*

IV. Expendent insuper, quantâ alacritate, sollicitudine, ac industriâ ministri Satanæ idem opus urgeant. Itaque Confratres rem se indignam facturos existimabunt, si patiantur suam industriam & zelum ab iis vinci.

V. Præterea cogitabunt, in quantis periculis, & miseriis versentur, quantis incommodis, ac pœnis obnoxii sint peccatores, ac præsertim infideles; eorum proinde cum magno charitatis affectu miserabuntur, nec permittent animas ad similitudinem Dei factas, ipsiusque pretioso sanguine redemptas sic ruere cæco impetu in casses, & prædam Dœmonis, atque æternam damnationem.

VI. Perpetuò oculos in *Crucifixum suum Jesum* fixos habebunt, quem tales homines *conculcant*, cujus *sanguinem pollutum ducunt, in quo sanctificati sunt, & spiritui gratiæ contumeliam faciunt: rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, & ostentui habentes.* Idcircò tantâ injuriâ Redemptoris sui commoti justo odio exardescent contra peccata, eaque omnibus modis ex animis hominum eradicare conabuntur.

VII. Considerabunt zelum, & labores Christi, & Apostolorum, Apostolicorum Virorum, ac præcipuè S. Pauli, Doctoris gentium, & B. Francisci, Patroni sui, quorum in convertendis animabus zelum Scripturæ, & historiæ loquuntur.

VIII. Expendent dignitatem operis. *Verè enim nullum omnipotenti Deo tale est sacrificium, quale est zelus Animarum*: &, ut Divinus Dionysius Areopagita scriptum reliquit; *Divinorum omnium divinissimum est cooperari Deo in conversione peccatorum*, & alius: *Nescio an majus beneficium posit homini à Deo conferri, quàm ut per ejus obsequium alii consequantur salutem, si tamen homo Deo cooperetur ex charitate*. Et rursus alius: *ut scias, quantum bonum sit cum salute nostrâ, & alios lucrari, audi Prophetam ex persona Dei dicentem: qui educit pretiosum à vili, quasi os meum erit &c.*

IX. Ad hæc movebit magnitudo coronæ, & æternæ Gloriæ mercedis loco poposita iis, qui hoc munus diligenter obeunt. *Si quis ex Vobis erraverit*, ait Sanctus Jacobus, *à veritate, & converterit quis eum: scire debet, quoniam qui converti fecit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus à morte, & operiet multitudinem peccatorum*, imò verò præ reliquis Sanctis majori gloriâ fulgebit in Cœlis, juxta illud *qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Nam ut anima corpore melior est, ita his, qui indigentibus pecunias, & facultates suppeditant, majoribus præmiis digni sunt hi, qui admonendo, & continuè docendo in viam arctam supinos, & desides inducunt, monstrando eis divinarum virtutum fragrantiam, & vitiorum maleolentiam.*

X. Commovebunt etiam pęnæ illis debitæ, qui rem tantam, aut contemnunt, aut negligenter obeunt. Nam Deus apud Prophetam graviter comminatur *se sanguinem impiorum, quos monere, & emendare* pro virili omisimus *de manu nostrâ requisiturum*. Quod ut præcipuè Doctores concernit, ita sanè ad unumquemque in suo gradu, & ordine spectat. *Unicuique enim mandavit Deus de Proximo suo*. Itaque *tam Sacerdotes, quàm reliqui fideles omnes summam curam habere debent, de iis qui pereunt, quatenus eorum redargutione corrigantor à peccato*, ut ait Sanctus Anacletus Papa, & Martyr.

Ex-

XI. Expendent dicta, & Sententias Patrum.

Sanctus Gregorius Magnus, *Nemo*, inquit, *dicat, admonere non sufficio, adhortari idoneus non sum: quantùm potes, exhibe, ne malè servatum talentum, quod acceperas, in tormentis pendere exigaris*, & rursus; *in quantum vos profecisse pensatis, etiam vobiscum alios trahite, in via Domini socios habere desiderate. Si ad Deum tenditis, curate, ne ad Deum soli veniatis. Hinc in Apocalypsi scriptum est; qui audit, dicat: veni; ut qui jam in corde vocem superni amoris acceperit, foras etiam proximis vocem exhortationis reddat, & fortasse panem, ut indigenti porrigat, non habet; sed majus est, quod tribuere valeat, qui linguam habet, plus enim est verbi pabulo victuram in perpetuum mentem reficere, quàm ventrem moriturae carnis terreno pane satiare.*

S. Augustin. *Unumquemque Christianum zelus Domûs Dei comedat; verbi gratia: Vides fratrem currere ad theatrum, prohibe, mone, contristare, si zelus Domûs Dei comedit te; Vides alios currere, & inebriari velle, & hoc velle in locis sanctis, quod nusquam decet, prohibe quos potes, terre quos potes, quibus potes blandire, noli quiescere: Tamen si amicus est, admoneatur leniter: uxor est, severissimè refrenetur: ancilla est, etiam verberibus compescatur: Fac quidquid pro personâ tuâ potes.*

XII. Omnes salutem proximi, & conversionem peccatorum quàm diligentissimè precibus suis Deo commendabunt, scientes quod *nemo venit ad Filium, nisi Pater, qui misit Filium, traxerit illum: & nemo novit Patrem nisi Filius, & cui Filius voluerit revelare*: & quod *non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei: neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus: & nemo potest corrigere, quem Deus despexerit.* Quare universi devotè Deum orabunt pro conversione errantium, & quisquis præ manibus habuerit, quem convertere studebit, præcipuam spem suam in Deo collocare, eumque precari debebit.

XIII. Omnes, qui spem conversionis suæ dabunt, humanissimè excipiendi sunt, & talibus laxanda viscera charitatis, & misericordiæ, ne nostrâ austeritate, & exasperatâ fronte *calamum quassatum conteramus, aut linum fumigans extinguamus*: multa etiam tædia devoranda, nulli labori parcendum, nec facilè de quoquam desperandum, nec nimiâ cautione timendum, nos deceptum iri, cum certi simus, ut eventus non respondeat semper voto, nunquam tamen conatum nostrum coram Deo inanem fore, aut irremuneratum. *Unusquisque enim propriam mercedem recipit secundùm suum laborem:* non secundùm fructum laboris sui.

XIV. Singuli pro suâ virili, quoties occasio feret, intendent eleemosynis pro sustentatione Conversorum corrogandis, imitantes in hoc Apostolum, cui cùm à reliquis Apostolis corrogandarum eleemosynarum munus commissum esset, equidem sollicitè, ac fideliter id executus est. Itaque & hanc rem sibi curæ habebunt, & Institutum hoc piis hominibus commendare per occasionem non omittent.

CAPUT V.

Regulæ communes universis.

I. Omnes domi suæ Oratoriolum, & in eo Dominicæ Passionis insignia, & lustralem aquam habebunt, ibi manè & vesperi orabunt: per diem S. Crucis Officium recitabunt: ituri cubitum conscientiam examinabunt, & quinquies Pater & Ave ad modum Crucifixi extensis brachiis dicent.

II. Singulis diebus Sacrosanctum Missæ officium audient, ac sextâ quaque feriâ, (nisi in eam incidat officium duplex) Missæ Passionis Dominicæ apud Patres Capucinos horâ decimâ circiter, aut alibi pro sua quisque commoditate interesse studebunt.

III. Præter generalem totius vitæ Confessionem in ingressu Confraternitatis faciendam, ut supra cap. 1. §. 6. dictum est; omnes altera quaque septimanâ ut minimũ, ordinariè confiteri, & Augustissimi Eucharistiæ Sacramenti participes fieri debent. Item in festis Nativitatis, Resurrectionis, Ascensionis Christi, Pentecostes, Omnium Sanctorum, Inventionis & Exaltationis S. Crucis: in septem Festivitatibus B. Virginis Matris; Conceptionis, Nativitatis, Præsentationis, Annunciationis, Visitationis, Purificationis, Assumptionis; in Festo Sanctorum Petri & Pauli: In festis Patronorum Ordinis, B. P. Francisci, S. Bernardini, S. Antonii, S. Bonaventuræ, S. Ludovici, S. Didaci, S. Mariæ de Angelis, in qua Ecclesia inchoatus Ordo, S. Claræ &c. Si horum festorum aliquod Dominicæ, in qua ordinariè confitendum, & communicandum, vicinum sit, liberum erit cuique pro commodo suo alterutro dierum confiteri, & communicare, & nihilominus huic statuto satisfaciet.

IV. Quisque certum & statum Confessarium habebit, & quis ille sit, Patri spirituali indicabit, quod idem faciet, quoties priorem Confessarium mutari contigerit.

V. Ultimâ qualibet sexta feriâ mensium totius anni singulis Confratribus aliquis tutelaris Divus, cum devota imagine Passionis Do-

Domini, & conformi ſententia è ſacris litteris deſumpta; item cum deſignatione certæ cujuſdam neceſſitatis Eccleſiæ, & alicujus Confratrum, pro quibus orandum, dabitur; ut ſit illis inſtar calcaris, & mnemoſyni, quo incitentur, & admoneantur, tum ad frequentiùs meditanda myſteria Paſſionis, tum ad religioſiùs venerandos, & imitandos Sanctos, demum ad devotiùs preces pro ſeſe invicem fundendas.

VI. Sacerdotes in ſuis ſacrificiis, aliique omnes in ſuis precibus Fraternitatis negotia, & bonam directionem, Fundatores, Protectores, Benefactores, & in primis ſanctiſſimum Dominum noſtrum, & Archiepiſcopum Colonienſem commendabunt.

VII. Præcipua Feſta Fraternitatis ſunt, Inventionis, & Exaltationis S. Crucis, iis diebus univerſi ſaccis induti, funibus cincti, & crucem tenentes manibus ſolemni ſacro in Patrum Capucinorum Eccleſiâ intererunt: ibidem, qui Sacerdotes non ſunt, communicabunt, à prandio ſimiliter hora conſueta ad audiendum ſermonem convenient.

VIII. Idem fiet abſque Habitu ſacceo in Feſtivitatibus Patronorum Ordinis, de quibus §. 3. actum.

IX. Singulis quatuor anni temporibus feria ſexta, & in Paraſceve ſancta, indicta hora viam, quæ Romana dicitur, obituri, in Eccleſia Patrum Capucinorum convenient, eumque modum, qui infra præſcribetur, obſervabunt.

X. Si quis de numero Confratrum infirmitate aliqua laboret, curabit ſignificari Præfecto, ejuſve Vicario, aut alicui ex Aſſiſtentibus, ut communibus precibus commendari, à Confratribus viſitari, & ſi quare egeat, ſublevari poſſit.

XI. Ad hæc certi deputabuntur, qui moribundis Confratribus aſſiſtant, eorum curam habeant, & ut ſe piè, ac ſalutaliter ad felicem ex ha vita tranſitum parent, & ſalvificis Sacramentis tempeſtivè communiantur, provideant.

XII. Neque ii, qui contagioſa aliqua ægritudine correpti fuerint, negligentur; ſed prudenter ordinabit Fraternitas, ut ſaluti eorum, ac neceſſitati, tam corporali, quàm ſpirituali proſpiciatur, & proximo charitatis exemplum detur, & debita nihilominus cautela adhibeatur, ne unius occaſione multi lædantur.

XIII. Quod ſi Deus Opt. Maxim. aliquem Confratrum ex hac ærumnoſa vita ad ſe vocet, reliqui in ſacco, qui Fraternitati peculiaris, ac proprius eſt, funus proſequentur comitante Patre ſpirituali cum ſocio, & in loco ſepulturæ ſacro Miſſæ officio, quod pro defuncto fiet, ad finem uſque intererunt. Quod ſi honorata ſit perſona, & Præfecto, atque Aſſiſtentibus ita videatur, Pater ſpiritualis brevem, & accommodatam habebit orationem. Demum centum Miſſæ pro quolibet è Confratribus defuncto ad diſpoſitionem Fraternitatis dicentur.

XIV. Omni anno poſt feſtum omnium Sanctorum die primâ vacante ſacrum pro cunctis in genere defunctis Confratribus, Fundatoribus, Patronis, & Benefactoribus in Oratorio Fraternitatis celebrabitur, eique omnes in Habitu conſueto, ſive ſacceo intererunt.

XV. Omni feria ſexta ſinguli pro defunctis Confratribus, Fundatoribus, Patronis, & amicis orabunt. Pſal. 129. *De Profundis.*

XVI. Confratres, qui alibi vivunt, fructum, quem in converſione animarum fecerint, accuratè Fraternitati, annotatis etiam nominibus, & conditione Converſorum, & ſi nihil memorabile fortè occurret, minimùm tamen ſemel in anno pro ſervanda communione, atque ut de ſtatu illorum Fraternitati conſtet, ſcribent.

XVII. Si Confratrum alicui è Civitate Colonienſi alió proficiſcendum ſit, & diutius emanendum, Præfecto id ſignificabit, ut & abſentiæ conſtet ratio, & precibus Fraternitatis commendari poſſit.

XVIII. Quo faciliùs hæc ſtatuta, legeſque ſerventur, ſingulis quatuor anni partibus, hebdomade primâ, publicè in Oratorio recitabuntur. Officiales verò leges proprias crebrius legent, & in omnibus deliberationibus ad manus, & ante oculos habebunt, ut quàm accuratiſſimè ſerventur, & nec latum quidem unguem, quantùm omnino fieri poteſt, ab iis recedatur, minima enim tranſgreſſio paulatim ad majora parat aditum, & dum per minora aſſueſcimus prævaricari, fit ſucceſſu temporis, ut nobis etiam non advertentibus omnia collabantur.

XIX. Nulla regula, aut lex ſub obligatione peccati Confratres obbligabit, niſi cui id expreſsè addetur.

CA-

CAPUT VI.

De Congregationibus Fraternitatis.

I. Congregationes Fraternitatis ſunt duplices. Generales, ſive communes, quibus omnes omninò Confratres intererunt; & ſpeciales. Hæ rurſum duplices ſunt; aliæ Præfecti, & Aſſiſtentium: aliæ Adjutorum. De his amplius infra ſuo loco.

II. Generales Congregationes omnes in Oratorio Fraternitatis fient, atque iis univerſis Pater ſpiritualis præerit.

III. Generales Congregationes inſtituentur ſingulis anni feriis ſextis horâ magis commodâ, prout Fraternitas ordinaverit: item omni feriâ ſextâ quatuor temporum, & in Paraſceve, ad obeundam *viam Romanam*: demum die magis opportuna poſt Feſtum Circumciſionis, ad inſtituendam electionem novorum Officialium.

IV. In Congregatione, quæ omni feriâ ſextâ fiet, Pater ſpiritualis initium, & finem faciet, dicendo conſuetas preces, & aliquam brevem, & nervoſam exhortationem habebit.

V. Interim dum ipſe exſpectatur, ne otio, & inani colloquio tempus inutiliter tranſigatur, ſilentibus aliis, atque attentè audientibus, unus quidpiam ê pio aliquo libello, quem Pater Spiritualis aſſignaverit, leget.

VI. Finitâ exhortatione, ſi aliquid proponendum occurrat, ordinatè fiet. Itaque juniores ſeniorum, ac præſertim Aſſiſtentium operâ uti poterunt, idque, prout videbitur, tacitis, vel expreſſis nominibus eorum, quos res concernit.

CAPUT VII.

De electione Officialium.

Omni anno poſtridie Circumciſionis Domini, aut feriâ proximâ vacante electio novorum Officialium inſtituetur. Itaque horâ decimâ antemeridiana, fiet Officium Miſſæ de Spiritu Sancto, & rogabunt omnes Deum, ut electioni ſuâ gratiâ, & directione aſſiſtere dignetur. A prandio horâ primâ omnes rurſum convenient, & prævio ſermone ad propoſitum accommodato, univerſi novos Officiales creabunt.

II. Officiales erunt numero viginti unus.

Præfectus.
Vicepræfectus.
Aſſiſtentes VI.
Secretarius Primus.
Adjutores VI.
Secretarius Secundus.
Eleemoſynarius.
Magiſtri libellorum ſupplicum II.
Magiſtri cæremoniarum II.

III. Ne autem, qui eligentur, rerum Fraternitatis omninò ſint imperiti, duo ex prioris anni, tam Aſſiſtentibus, quàm Adjutoribus in eodem officio continuabuntur: in reliquorum quatuor locum alii ſufficientur, ita tamen, ut nullus ultra biennium in eodem regiminis gradu permaneat.

IV. Electio iſta fiet per ſcrutinium. Principio ab Officialibus tres ſcrutatores eligentur, qui ſua primùm dabunt: dein aliorum vota colligent, in quos plura vota convenerint, electi habebuntur.

CAPUT VIII.

De Patre ſpirituali.

I. Pater ſpiritualis ſemper erit ex Ordine Capucinorum, cui Fraternitas iſta velut Matri filia, auctoritate Apoſtolicâ, & expreſſo conſenſu, ac voluntate Generalis Ordinis eſt unita.

II. Is omnibus Congregationibus generalibus intererit, conſuetas preces initio, & fine illarum dicet; de Paſſione Domini, aut alio commodo thémate pro ædificatione & excitatione Confratrum, in Congregationibus feriâ ſextâ fieri ſolitis, ad mediam circiter horam verba faciet. Si quis Confratrum aut morbo decumbat, aut vitâ defunctus ſit, eum communibus precibus commendabit.

III. Idem attendet, an, qui Confraternitatem ingrediuntur, Confeſſionem generalem fecerint: quem ſinguli Confratres, & alumni Confeſſarium habeant: An præſcriptis temporibus confiteantur, & communicent: quâ in re operâ Adjutorum utetur.

IV. Idem unà cum ſocio publicis ſupplicationibus Fraternitatis, & ſepulturis Confratrum intererit; & in honoratioribus funeribus arbitrio Fraternitatis ſermonem habebit, ut ſup. cap. 5 §. 13. dictum.

V. Si quis Confratrum, ſpiritualis ſive conſilii, ſive auxilii gratiâ illum adierit, benignè pro ſuâ prudentiâ, petentiſque neceſſitate eum juvabit, & ſi res ita poſtulet, Fratrum ſuorum Orationibus commendabit.

VI. Rebus temporalibus nec iſte, nec quiſquam

quam alius Fratrum ejus Ordinis sese ullo modo, aut prætextu immiscebit, neque ullam sive in personas, sive in res Fraternitatis auctoritatem habebit. Id quod ipsi etiam expressè declarari omnino voluerunt.

VII. Itaque neque quidquam circa eleemosynas disponet, nec suffragium in deliberationibus habebit; solùm ad majorem Dei gloriam, & Confraternitatis bonum, Fraternitatem in pietate, & spiritualibus exercitiis diriget.

CAPUT IX.

De Præfecto.

I. Præfectus eligetur, qui literis, probitate morum, prudentiâ, auctoritate polleat, ut omnia dirigere, & ad bonum finem perducere possit.

II. Is in electionibus, & universis deliberationibus duo suffragia habebit. Item in deliberationibus vota colliget, & concludet, &, si vota paria sunt, ipse decernet.

III. Ad ipsum omnia negotia referentur, omnes Officiales in omnibus dubiis, ad ipsum recurrent: quæ levioris momenti fuerint, præsertim si longiorem moram non ferant, per se, aut cum uno Assistentium, prout ipsi videbitur, resolvet: omnibus actionibus præsidebit, omnia diriget, nihil omninò magnum, aut parvum absque ipsius scitu & consensu fiet aut concludetur.

IV. Eorum, quæ majoris momenti fuerint, & deliberatione opus habebunt, nihil faciet, aut concludet sine Consilio Assistentium; negotiorum tamen delectum habebit: quædam cum Assistentibus tantùm: alia cum his & de horum consilio, etiam cum Adjutoribus; nonnulla cum Officialibus universis; demum aliqua cum universâ Fraternitate communicabit, & resolvet.

V. Regularum observationi diligenter, & sollicitè intendet, Officiales reliquos muneris sui admonebit, & in officio continebit. Si quem Confratrum graviùs peccasse deprehenderit, pro suâ discretione & re natâ per se, aut cum uno Assistentium, aut cum omnibus corripiet: & si crimen publicum sit, aut spem emendationis nullam concipiat, cum consilio Assistentium excludet.

VI. Quoties ipsi necessarium, aut expediens esse videbitur, potestatem habebit indicendi congregationes extraordinarias Assistentium, &, sed nonnisi de consilio Assistentium, Adjutorum, aut universæ Confraternitatis.

VII. Sigillum utrumque Confraternitatis custodiet; sed eo nunquam nisi de consilio Assistentium utetur.

VIII. Epistolis, patentibus literis, mandatis, atque aliis quibuscumque scriptis, quæ id postulabunt, ipse, aut in ejus absentia Vicepræfectus subscribet, & post eum Secretarius.

CAPUT X.

De Vicepræfecto.

I. Vicepræfectus non eligetur, nisi qui aliquando fuerit Assistens, quò majorem rerum Fraternitatis habere queat notitiam, & qui aliàs ab eruditione, pietate, & rerum agendarum dexteritate sit commendatus.

II. Is absentis Præfecti per omnia vices supplebit, omniaque faciet, quæ superiori capite recensita sunt: & non secus ac Præfecto ab omnibus honor, & obedientia deferetur.

III. Præsenti Præfecto velut dextera manus assistet, & ante Assistentes sententiam dicet.

IV. Et quia contingere potest Præfectum propter alias occupationes rariùs adesse, Vicepræfectus omnibus Congregationibus tum communibus, tum Assistentium intererit, eò quod sine Præfecti, aut saltem Vicepræfecti consensu, aut certè commissione nihil statui debet. Itaque si quo casu eum abesse necessitas coegerit, vices suas alicui Assistentium committet, qui tamen nihil majoris momenti statuet, aut statui permittet, nisi habitâ desuper Præfecti, aut Vicepræfecti sententiâ.

CAPUT XI.

De Assistentibus.

I. Assistentes sex erunt; tres Ecclesiastici, & tres Sæculares.

II. Isti ut honore, & loco reliquos anteeunt, ita doctrina, zelo, prudentia, frequenti usu Sacramentorum, & regularum observatione prælucere nitentur.

III. Hi unà cum Præfecto, aut Vicepræfecto supremum Fraternitatis Senatum constituunt, sine cujus consilio nihil omnino, quod alicujus momenti sit, definiri potest.

IV. Quocirca Præfecto, aut Vicepræfecto præsto esse, & Congregationibus ordinariis, atque extraordinariis, quoties vocabuntur interesse debent: reliqui autem Confratres eos honorabunt, atque observabunt.

V. Negotia, quæ majoris momenti censentur, & sine consilio Assistentium confici nequeunt, aut si conficiantur, irrita erunt, ordinaria hæc sunt; Regularum Fraternitatis declaratio: novorum Confratrum receptio: eleemosynarum distributio: literarum expeditio.

VI. Di-

VI. Dispensatio, additio, aut innovatio circa regulas nulla omnino fiet; aut si facienda videbitur, nonnisi de consilio omnium Officialium, & expresso consensu ipsius Præfecti, sive præsens, sive absens sit, fiet.

VII. Extraordinaria possunt esse varia, quæ successus, & tempus docebunt.

VIII. Omni mense primâ septimanâ die profano ordinariè convenient unà cum Præfecto, Vicepræfecto, ac Secretario Primo, loco magis commodo deliberaturi, atque collaturi de negotiis Fraternitatis, quod si ita res postulabit, licebit quidem alios etiam ad deliberandum, vel ad rem, de qua agitur, cognoscendam accersere: ii tamen non habebunt sententiam definitivam; sed solùm consultivam.

IX. Cauti erunt, atque observantes secreti, nec quidquam eorum, quæ tractabuntur, aliis quibuscunque revelabunt, nisi ejusmodi revelatio faciat ad ædificationem proximi, aut majus bonum Fraternitatis.

X. Si quid silentio premi peculiariter intersit, poterit Præfectus, aut Propræfectus secretum bonæ fidei injungere, etiam sub obligatione peccati.

CAPUT XII.

De Adjutoribus.

I. Adjutores sex erunt: tres Ecclesiastici: totidem Sæculares.

II. Horum officium quod sit, nomen indicat, adjuvabunt nimirum Præfectum, & Assistentes præcipuè in ordine ad finem principalem Fraternitatis, qui est conversio animarum.

III. Itaque inquirent, & rimabuntur omnes occasiones, vias, & modos agendi cum peccatoribus, maximè autem hæreticis, eosque ad gremium sanctæ Matris Ecclesiæ, unde infeliciter exciderunt, salubriter reducendi: nulli labori, aut molestiæ parcent, nihil intentatum relinquent, quò talem nimulam è faucibus Satanæ eruere, & Deo lucrari queant.

IV. Hoc ut faciliùs, & fructuosiùs fieri possit, distribuetur reliquum Corpus Fraternitatis in sex partes æquales, in quarum singulis Ecclesiasticis Sæculares mixti sint, & singulis Adjutoribus singulæ partes deputabuntur. V. G. Si reliquum corpus Fraternitatis, exceptis Viris Principibus, Officialibus jam dictis, & Secretariis, constet septuaginta duobus Confratribus, distribuetur in sex duodenarios, & singuli duodenarii assignabuntur singulis Adjutoribus, ut nimirum singuli laborare, & aliquid agere possint, & nôrint, ad quem recurrere, à quo directionem, consilium & auxilium petere; item cui, si alicujus Spiritualis lucri occasionem, viam, aut rationem invenerint, indicare debeant: ut etiam ipsi Adjutores habeant, quorum opera in omnem occasionem & eventum utantur: quibus superintendere, quos dirigere, quibus præscribere debeant.

V. In horum (quos Cooperatores dicere possumus) numerum etiam absentes referendi sunt. Nam & his aliquando non levis occasio promovendi bonum Fraternitatis, ac salutem animarum occurrere potest, & quod præsentes oretenus coram faciunt, idem absentes per literas facient, & cum Adjutoribus sibi deputatis communicabunt.

VI. Habebunt Adjutores suorum quisque Cooperatorum singularem curam, omnes eorum actiones prudenter observabunt, & attendent, an vitam ex legum Fraternitatis præcepto traducant, præsertim quoad usum Sacramentorum: in divino obsequio, & modo agendi ad finem ipsis præscriptum accommodato, magna charitate dirigent: si quem deflectere viderint, amicè admonebunt, & ab aliis quoque monendum curabunt: quod si ne sic quidem corrigatur, aut si aliàs res ita postulet, ad Præfectum, aut Vicepræfectum deferent, qui tum porro, quid faciendum sit, maturè dispiciet, prout suprà *c. 9.* §. *5.* dictum est.

VII. Hinc facilè apparet necessarium esse, ut Cooperatores suis Adjutoribus, maximè in rebus ad officium suum spectantibus, dicto audientes sint, quod Dei amore, Christi sese pro salute animarum *humiliantis*, *& obedientis usque ad mortem*, *mortem autem Crucis* exemplo, intuitu tanti boni, proque suo zelo libenter facient.

VIII. Porro visum fuit multis de causis convenientius, ut Adjutores suos Cooperatores non fortuitò, nec alio modo, quàm optione accipiant, ita, ut primus Adjutorum primò sibi Cooperatores optet, tum secundus, & sic deinceps, id quod fiet in Concilio Præfecti, & Assistentium.

IX. Habebunt Adjutores quoque suum Concilium, & convenient ultimâ septimanâ cujusque mensis, ut inter se de negotiis ad officium suum spectantibus conferant; si quæ dubia inciderint, resolvant; quem fructum fecerint, aperiant, annotent, & protocollo inseri curent; seseque invicem ad majorem zelum exstimulent.

X. Deinde in proxima Congregatione Præfecti, & Assistentium unus Adjutorum, quem è suo numero deputaverint, unà cum Secretario, quid in postremâ istorum congregatione actum sit, referet, tum, ut de fructu eorum constet, tum, ut fiant omnia de consilio, & cum approbatione Præfecti, & Assistentium.

XI. Quando convertendi, atque informan-

mandi ſeſe offerent hæretici, ſignificabitur Præfecto, & Aſſiſtentibus, ut ii pro ſtatu, & qualitate eorum deputent, à quibus tanta res rectè curari queat, quod ſi ipſi Convertendi malint alium eligere, à quo informentur, ſive is ſit de Fraternitate, ſive non ſit, id iis liberum relinquetur; & nihilominus ſic Converſi atque informati, eo loco habebuntur, & beneficiis Fraternitatis frui poterunt, ac ſi à Fraternitate converſi, ac informati eſſent, dummodo omnia fiant cum ſcitu & conſenſu Præfecti, & Aſſiſtentium, & cum dependentiâ à Fraternitate.

XII. Diſtribuent Adjutores inter ſe nomina, & curam Converſorum, maximè Alumnorum Fraternitatis, & ſinguli ſuos obſervabunt, cum quibus converſentur, an debitis temporibus ſacramenta frequentent, an Catholicè, piequè vivant, omniaque ea multò diligentiùs erga hos præſtabunt, quæ ſupra §. 6. erga Cooperatores præſtanda eſſe decretum eſt.

XIII. Ex his nemo non videt, ad id officium non eſſe deligendos, niſi qui ſingulari zelo, probitate, & prudentiâ præditi ſint.

CAPUT XIII.

De Secretariis.

I. Secretarii duo erunt; alter dicetur primus: alter ſecundus.

II. Uterque ſtatim ab electione ſuâ Fraternitati juramento fidelitatis, & ſecreti ſe obſtringet, quod juramentum Præfectus, & Aſſiſtens excipient.

III. Uterque omnibus generalibus congregationibus intererit, ut quid agendum ſit, Præfectum, & Aſſiſtentes monere poſſint, & quid actum, annotare: quod ſi aliquo caſu adeſſe alter non poſſit, alteri ſuas vices committet, & ſi quid habeat, quod iſtâ congregatione proponi, ac tractari debeat, communicabit.

IV. Præterea Primus Secretarius intererit omnibus congregationibus, & conſultationibus Præfecti, & Aſſiſtentium, & initio Congregationis cujuſque breviter leget, quæ in poſtremâ congregatione ſtatuta fuêre; tum quæ in iſta decernentur, annotabit, & ante diſſolutionem congregationis coram omnibus leget, ut, an in omnibus ſenſum rectè aſſecutus ſit, diſpici queat: demum omnia in ſpecialem librum diſtinctè referet.

V. Ejuſdem erit patentes litteras, epiſtolas, mandata, & quævis alia ſcribere, quæ in Congregatione Præfecti, & Aſſiſtentium ſcribenda eſſe decernentur: item ſubſcribere, atque à Præfecto, ac in ejus abſentiâ à Pro-Præfecto ſubſcribi, ac ſolito ſigillo Fraternitatis obſignari curare, omnia ſemper de ſententiâ Præfecti, & Aſſiſtentium agendo, quibus ſemper oſtendet, quidquid egerit, aut aget.

VI. Epiſtolas, eas potiſſimum, quæ vel ad graviores perſonas, vel de majore aliquo negotio conſcribentur, Præfecto recognoſcendas exhibebit.

VII. Quinque libros habebit.

In primo notabit eorum nomina, qui Fraternitatem ingrediuntur, nomenque in eo, cognomen, dignitatem, gradum, patriam, diemque conſcribet, quo acceptus quiſque in Fraternitatem fuerit. Rationem quoque mortuorum habebit, & eorum, qui ſtatum commutârint: quique fuerint à Fraternitate dimiſſi, dimiſſionis tamen cauſam non exprimet.

In ſecundo notabit Catalogum Patronorum, & Benefactorum Fraternitatis, & quid, quove tempore, quiſque aliquid largiri pro ſuſtentatione Converſorum ſoleat.

In tertio nomina Converſorum, & quo quiſque die profeſſionem fidei publicè fecerit. Item nomina Alumnorum, & quid cuique promiſſum, & aſſignatum ſit, deſcribet.

In quarto, quicquid in Congregationibus tum generalibus, tum Præfecti, & Aſſiſtentium agetur, annotabit.

In quinto exempla litterarum, qui aliò mittuntur, cum expreſſione anni, menſis, & diei, quo miſſæ fuerint, tranſcribet.

VIII. Efficiet, ut in Oratorio Fraternitatis tabella ſit appenſa, in qua ſint rectè deſcripta, atque diſpoſita Confratrum nomina, Bulla itidem erectionis, Leges communes, Indulgentiarum ſumma.

IX. Secundus Secretarius in omnibus ſupra dictis Primo erit adjumento, eumque ſublevabit, &, dum opus fuerit, vices ſupplebit, præterquam quod in deliberationibus Præfecti, & Aſſiſtentium aliquis Aſſiſtentium Secretarii abſentis vices ſupplebit, quem aut ipſe rogaverit, aut Præfectus nominaverit.

X. Præterea intererit Congregationibus Adjutorum, &, quod ibi agetur, ſpeciatim annotabit.

XI. Idcirco habebit & ipſe duos libros. In uno deſcripta habebit nomina, titulos, gradus, & officia Confratrum, & qui cuique Adjutori Cooperatores obtigerint. In altero nomina Converſorum & Alumnorum, item quis Converſorum & cui Confratri ſigillatim commendatus ſit.

XII. Idem habebit curam ſchedularum precatoriarum in fine menſium à Patre Spirituali Confratribus diſtribuendarum. Itaque in iis curabit imprimi inſignia Paſſionis Dominicæ cum ſententia conformi è ſacris litteris deſumpta: Item nomina Sanctorum Tutelarium,

rium, diesque mensium, in quos cadunt.: præterea communem aliquam necessitatem Ecclesiæ, pro quâ orandum: ipse autem nomina Confratrum, pro quibus orandum, inscribet: demum Patri spirituali suo tempore deferet.

CAPUT XIV.

De Eleemosynario.

I. Eleemosynarius dicitur, cujus ministerio eleemosynæ distribuuntur.

II. Is nullam omnino ulli hominum nomine Fraternitatis eleemosynam dabit, nisi de consilio, & expresso mandato Præfecti, & Assistentium.

III. Authenticum librum habebit, in quo datæ, receptæque omnis Eleemosynæ, seu oblationis pecuniariæ distincta ratio sit.

IV. Singulis annis Præfecto, Assistentibus, Secretario primo, & Eleemosynario novo suæ administrationis rationem dabit, cui in fidem rei bene gestæ omnes subscribent.

V. Qui modus in distribuendis eleemosynis servandus sit, infra cap. 18. dicetur.

CAPUT XV.

De Magistris libellorum Supplicum.

I. Magistri libellorum supplicum duo erunt: unus Ecclesiasticus: alter Sæcularis.

II. Hi eorum, qui aut in Fraternitatem recipi, atu aliquid aliud petere volent, libellos supplices Præfecto, & Assistentibus exhibebunt, & responsum sollicitabunt, ac supplicantibus indicabunt.

III. Utentur porro magnâ prudentiâ & discretione, ut non quoscumque libellos supplices à quibuscunqua oblatos acceptent, aut offerant; sed quorum postulata statutis Fraternitatis contrariari, aut aliàs non posse admitti, ipsi pro suo judicio prævident, honestè declinabunt.

CAPUT XVI.

De Magistris Cæremoniarum.

I. Magistri cæremoniarum duo constituentur.

II. Ii erunt Viri Ecclesiastici, pii, bene morati, Ecclesiasticarum cæremoniarum periti, ac decorem Domûs Domini diligentes.

III. Officium est providere, ac ordinare, ut in supplicationibus, in precibus quadraginta Horarum, si quando peragendæ, omnique alio publico Fraternitatis divino cultu omnia juxta decretum Præfecti, & Assistentium ritè decenterque fiant.

IV. Iidem in processionibus, & quoties necessum fuerit, Cantores designabunt; ut arma Passionis Domini portentur, curabunt, & si quid aliud simile occurret, idoneis viris committent.

V. Idem Saccos, & Cruces Fraternitatis in supplicationibus, aliásque gestari solitas in sua custodia asservabunt, curabunt, suis temporibus per ministros exponent, ac distribuent.

CAPUT XVII.

De Ministris.

I. Fraternitas duos Ministros assumet, qui ei in omnibus pro occurrente seu necessitate, seu commoditate, inservient.

II. Hi possunt esse externi, qui non sint de numero Fraternitatis: sin autem ex Confratribus id officii petant, cæteris paribus, externis præferendi sunt.

III. Hi Patri Spirituali, Præfecto, Assistentibus, & Magistris cæremoniarum in rebus ad Fraternitatem spectantibus obedient.

IV. Patrem Spiritualem, & Præfectum alternis vicibus quotidie alter eorum inviset, & an opera sua indigeant, inquiret.

V. Erunt zelosi, & pii in religione Catholica, bonæ vitæ, ac famæ, ætatis maturæ, litteraturæ mediocris, ut Latinè intelligere, & respondere queant, iisque qualitatibus instructi, quæ ad eorum ministerium necessariæ videbuntur.

CAPUT XVIII.

De eleemosynis accipiendis, & distribuendis.

I. Quoniam tam sacrarum litterarum auctoritate, quàm experientiâ constat, nihil sive ad famam, sive ad salutem periculosius esse, quàm alienas tractare pecunias, accuratè ac solerter Fraternitas prospiciet, ne vel minima suspicio fraudis, aut quæsiti privati commodi, aut similis suboriri possit.

II. Itaque, quidquid recipietur, aut exponetur, Secretarius diligenter, & distinctè annotabit.

III. Universæ pecuniæ reponentur in cista ferrea, clausa tribus seris, quarum unius clavem Nuncius Apostolicus pro tempore, alterius Præfectus, tertiæ primus Assistentium asservabit.

IV. Cista ea tuto loco, prout universæ Fraternitati meliùs visum fuerit, deponetur,

nec

nec aperietur, nisi de consensu Præfecti, & Assistentium, & præsente Secretario primo.

V. Ex pecuniis Fraternitatis nulla omnino quocunque casu, causâ, prætextu parabuntur convivia, nullæ instituentur compotationes.

VI. Quod ut exactè & inviolabiliter observetur, gravissimè præcipitur, sub reatu peccati mortalis, & sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, & restitutionis in quadruplum, ne ex rebus Fraternitatis quidquam in cibo, potu, ac similibus ab iis, penes quos earum est administratio, insumatur: quâ pœnâ constringentur omnes complices, & conscii, consentientesque, etiamsi nihil participaverint.

VII. Sub eadem pœnâ mandatur, ne ullæ eleemosynæ, aut pia legata sub tali conditione, aut in talem usum recipiantut.

VIII. Si quis petat Eleemosynam, offeret libellum supplicem, quo in congregatione Præfecti, & Assistentium lecto, diligenter petentium merita & necessitates explorabuntur, quæ si non sint compertæ, committetur quibusdam, ut inquirant ac referant, & sic tandem, quantum cuique donari debeat, maturè statuetur.

IX. Eleemosynarius nulli eleemosynam dabit, nisi decretum Confraternitatis, manu Secretarii scriptum adferat, quod in computatione exhibebit.

CAPUT XIX.

De modo agendi cum Convertendis.

I. Quemadmodum erga eos, qui ex hæresi ad fidem Catholicam redeunt, maxima charitas, benevolentia, ac humanitas, ita non parva discretio, ac sagacitas adhibenda est, ne quando fraus fiat, & sub specie Religionis vulpes vineam Domini demolitura ingrediatur, ac serpens (quod dici solet) in sinu foveatur.

II. Itaque, antequam in curam Fraternitatis recipiantur, diligenter examinandi, unde, & quà veniant: inquirendum de parentibus, ætate, ingenio, professione, vitâ ac moribus; atque horum omnium, si fieri possit, testimonia exigenda.

III. Explorandi etiam, quâ intentione ad Ecclesiam redeant, qua occasione: quæ causæ eos impulerint: ac singula diligenter annotanda.

IV. Qui converti, ac informari volet, Præfectum, aut Propræfectum accedet; aut si fortè in aliquem alium ex Confratribus primò inciderit, ab eo ad Præfectum adducetur, & servabuntur ea, quæ suprà *cap* 2. §. 11. & 12. dicta sunt.

V. Absentes, qui operâ Fraternitatis converti volent, si in loco habitationis eorum aliquis Confratrum, cui committi possint, vivat, illi commendabuntur, qui observabit, quod hoc eodem *cap.* §. 2. & 3. item quod suprà *c.* 12. §. 5. præscriptum est: sin minus, deputabuntur aliqui, hic Coloniæ habitantes, qui eorum, etsi absentium, curam suscipiant, & habitâ sufficienti informatione eorum, de quibus §. 2. & 3. actum, per litteras instruant; ad quos Conversi in omnibus dubiis recurrent; quibus demum, quoties terminus solvendæ pecuniæ advenerit, testimonium morum, confessionis alterâ quaque hebdomade factæ, perceptæque communionis transmittent.

VI. Habenda erit singularis cura puerorum, ac mulierum, eò quod fraudi, ac periculo seductionis magis sint obnoxii: & diligenter, quibus commissi fuerint, advigilabunt, ut pro ætatis, ac sexûs conditione honestè & habeantur, & habeant, utque solidè in fide, ac pietate informentur. Quare pueri piis, zelosis, ac eruditis præceptoribus; aut si ad opificia, aut mercaturam applicentur, honestis, ac zelosis Catholicis civibus; mulieres, ac puellæ devotis virginibus, aut matronis commendabuntur. Exigetur etiam à talibus testimonium morum, & frequentationis sacramentorum.

VII. Non leviter ac temerè errones, circumforanei, obærati, facinorosi, etiamsi conversionem spondeant, admittendi, & subsidio pecuniario juvandi sunt, nisi spem seriæ conversionis, & emendationis valde probabilem faciant. Itaque tales, & accuratiùs, & diutius probandi sunt.

VII. Etsi omnium Confratrum est vocatio, & officium incumbere non suæ tantùm, sed & proximorum saluti, & vix ullus inveniri potest, qui non aliquod operæ pretium eâ in re facere queat, sive inquirendo, sive monendo, & rogando, sive dubia movendo, sive quædam argumenta obiter quasi projiciendo, sive ad Conciones adducendo, sive alio aliquo modo: attamen nemo sumet sibi munus cum hæreticis ex professo conferendi, seu disputandi, eosve informandi, nisi mandato, aut certè scitu, & consensu Præfecti, & Assistentium, ut suprà quoque cap. 12. §. 11. notatum est.

IX. Hisce tamen nihil præjudicatum volumus Theologis, & Pastoribus, etiam iis, qui Fraterntitati nomen suum dederunt, quin iis agere liceat pro suâ vocatione, discretione, ac zelo. Vult enim Confraternitas illis esse adjumento, non impedimento, neque dubitat,

tat, quin hac in re id sint facturi, quod ad majorem Dei gloriam, & Fraternitatis honorem, aliorumque Confratrum ædificationem, viderint expedire.

CAPUT XX.

De cura erga Conversos in Spiritualibus.

I. Cum iis, quos Confraternitas Christo jam lucrata est, se habebit ut pia mater erga filios, præcipuè quidem in spiritualibus, in temporalibus verò, non nisi in intentione, & ordine ad spiritualia.

II. Quare ii, quibus commissi fuerint, curabunt, ut prævia sufficienti informatione, & maturâ liberaque deliberatione publicè coram universa Fraternitate Professionem fidei, juxta decretum Pii IV. faciant: deinde dabunt operam, ut sic in fide, atque pietate solidentur, ac confirmentur, ut non solùm periculum relabendi declinetur, sed & aliis sint ædificationi, & exemplo, Fraternitati honori, ac ornamento.

III. Attendent igitur quibuscum vivant, & agant, quos in moribus & litteris (si quidem litteris operam dent) progressus faciant, an more Confratrum (de quo suprà cap. 5. §. 3. dictum.) frequenter confiteantur, & communicent, uti etiam cap. 12 §. 12. præscriptum est. Item cap. 19 §. 5. & 6.

IV. Et verò, ut diligenti inspectione, cura & attentione hac in re opus est circa eos, qui Coloniæ ob oculos quasi Confraternitati obversantur; sic multò majore erga eos, quos extra Coloniam vivere contigerit.

V. Itaque Parochorum, Confessariorum, Magistrorum, & hospitum testimonia de conversatione, vitâ, & moribus, quoties ipsis dabuntur eleemosynæ; & praeterea, quoties necessum videbitur, aut utile, petentur.

VI. Confessarium habebunt, quem Pater spiritualis, aut Præfectus assignaverit, aut certè non nisi scitu & consensu alterius eorum eligent. Idem quoties ex causâ Confessarium mutari contigerit, faciendum.

VII. Idem in diligendis Magistris, & hospitibus observandum.

VIII. Quia verò otium officina est, & pulvinar diaboli, quisque Alumnorum intra limites suæ vocationis, & professionis honestè sese exercebit, & occupabit, hujusque rei rationem habebunt, quorum curæ & disciplinæ commissi fuerint.

IX. Qui apti videbuntur, iis injungetur, ut pro honore Dei, & conversione animarum laborent, concionando, catechizando, libros scribendo, singuli pro ipsorum vocatione, & gratiâ ipsis à Deo concessâ.

X. Nemo tamen libros sine Fraternitatis scitu, consensu, ac censura evulgabit, aut typis mandari curabit.

XI. Hæc omnia, quæ de Conversis dicta sunt, in Alumnis Fraternitatis, seu qui ab ea temporale emolumentum percipiunt, necessitatis erunt, & obligationis: in reliquis autem consilii, & directionis.

CAPUT XXI.

De cura Fraternitatis erga Conservos in temporalibus.

I. Primarius finis Fraternitatis est, cura spiritualium; quæ generatim sunt, honor Dei, amplificatio Catholicæ fidei, salus animarum: sed quia spiritualia sine temporalibus subsistere vix, ac ne vix quidem possunt; & verò usus, & experientia docet, defectum temporalium permultis esse impedimento, quo minus de conversione suâ, ac æternâ salute seriò cogitare queant, idcirco, ut *cap. etiam* 2. §. 4. supra prolixius dictum, propositum quoque est Fraternitati, omnibus, quotquot ex hæresum tenebris in lumen veræ fidei sese illius ministerio educi sinent, & egebunt, ac petent, beneficentiâ, clementiâ, & patrocinio virorum Principum, atque aliorum Patronorum, in temporalibus, quantùm quidem omnino fieri potest, cujusque statui congruenter providere.

II. Ac licèt Fraternitas Viscera misericordiæ suæ ampliare, atque ad omnes extendere optet, *cum bonum sit sui diffusivum, & communicativum:* attamen cum fieri non possit, ut omnes sola juvet, statuitur, ac decernitur; ut nemo subsidio aliquo temporario sublevetur, nisi, qui operâ, ac ministerio Fraternitatis conversus fuerit, aut certe à Patronis, & Benefactoribus ejus sigillatim commendetur.

III. Neque est, quod quisquam sibi statim in ipso ingressu montes aureos, aut pro voto suo quascunque vivendi conditiones, dignitatesve polliceatur, cum, ut est insatiabilis, & infinita hominum cupiditas, & quorundam de se etiam supra se præsumptio, omnium votis satisfieri non possit: sed singuli firmiter sibi persuadeant, pro ratione facultatum, regularum, Personarum, meritorum ac necessitatis cum omnibus, quàm benignissimè agendum, nec dandam fore causam, cur quis jure conqueri possit.

IV. Nobilibus tamen, Principum Consiliariis, aliisque honoratis viris, & Prædicantibts viscera misericordiæ magis aperientur, quia eorum necessitas ratione statûs & conjugii plerumque major esse solet.

V. Quod si aliquibus annua eleemosyna dabi-

dabitur, ea simul tota nequaquam danda erit, sed pro cujusque necessitate, & commodo, aut singulis hebdomadibus, aut singulis mensibus; aut etiam bimestribus aut certè trimestribus.

VI. Afferent testimonium vitæ, ac frequentationis sacramentorum, quoties Eleemosynas recipient, ac præterea quoties id ab eis exigetur.

CAPUT XXII.

De corrigendis, qui degeneres, aut negligentes fuerint.

I. Quoniam Confratres omnium oculis magis expositi sunt, magis laborandum est, ut omnibus singularis erga Deum pietatis, erga proximum charitatis, vitæque, ac morum integritatis facem præferant: idem postulat appellatio: *Fraternitatis Crucifixi Domini nostri Jesu Christi*: Idem propositum convertendi, corrigendi, ædificandi alios juxta illud;

Turpe est doctori, cum culpa redarguit ipsum.

II. Ab iis potissimum vitiis abstinebunt, quæ magis in oculos ac ora hominum incurrere, ac pluribus scandalo esse solent, qualia sunt impudicitia, incontinentia, ebrietas, apertæ inimicitiæ, lusus chartarum, & aleæ, consuetudo jurandi, & blasphemandi, conversatio infamis, aut suspecta, &c. Si quis istis, aut similibus obnoxius deprehendatur, nec se correctus emendaverit, è Fraternitate excludetur, &, si Alumnus fuerit, Eleemosynâ privabitur.

III. Modus in corrigendo servabitur, quem verbum Dei præscripsit, ut qui privatim deliquit, hoc est, coram uno, vel altero, privatim corripiatur, secundùm illud Christi dictum; *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum*; si verò publicè, & coram multis deliquit, publicè quoque corripiatur, juxta illud Apostoli: *Peccantes coram omnibus argue*. Item, ut prima vice correctio fiat cum lenitate, modestiâ, & humilitate, ut & verè ex amico, Christianoque animo proficiscatur, & ab altero sic accipiatur: quod si lenior correctio aut non prodest, aut parum profutura creditur, usurpetur durior, *dilectionis, non ultionis animo*. Quod si nec sic resipiscat, tum velut inutile membrum à corpore Fraternitatis prorsus abscindatur.

IV. In minutioribus delictis Confratres fraternè, ac candidè se invicem arguent, atque ut alios monere, sic ipsi quoque moneri parati erunt, tum ad declarandam majorem submissionem, tum ad faciendum uberiorem spiritualem profectum; demum ad ampliorem à recidiva securitatem.

V. Abstinendum magnopere à temerariis judiciis, & suspicionibus, nec deferendus ad Concilium lapsus proximi, nisi sit exploratus, nec suprà, quàm par est, exaggerandus: & in ipsâ correctione habenda debita ratio personarum, juxta illud Sancti Gregorii: *Aliter admonendi sunt juvenes, atque aliter senes. Quia illos plerumque severitas admonitonis ad profectum dirigit, Istos verò ad meliora Opera deprecatio blanda componit: scriptum quippe est, seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut Patrem.*

VI. Ad Congregationes generales omnes venient, neque sine gravi causâ quisquam aberit. Si quis autem legitimè impeditus comparere non poterit, excusari se curabit: qui frequenter absens fuerit, neque de legitima occupatione aliàs constiterit, communibus suffragiis, aliisque spiritualibus beneficiis, & gratiis privabitur: quod si contemptus aut contumacia appareat, Præfecti, & Assistentium arbitrio dimittetur.

Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, Præfectus ac Officiales, & Confratres prædicti pro firmiore Statutorum hujusmodi subsistentia & validitate, illa Apostolicæ nostræ confirmationis robore communiri plurimùm desiderent, Nos Præfectum, ac Officiales, & Confratres prædictos specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis - - & absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de consilio Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. Ecclesiæ Cardinalium, Concilii Tridentini Interpretum, quibus statuta prædicta examinanda, & Nobis referenda commisimus, eadem statuta, Apostolica Auctoritate, tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, decernentes quintum, sextum, & septimum Capitis XVIII. etiam sub excommunicationis latæ sententiæ poena, ac tam illa, quàm alia omnia statuta ejusmodi in prædicta Archiconfraternitate à modernis, & pro tempore existentibus illius Confratribus perpetuò observari debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quocunque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die XVI. Decembris

bris MDCXVII. Pontificatûs nostri Anno decimo tertio.

S. Card. S. Susannæ.

Confratribus Archiconfraternitatis quinquies Orationem Dominicam, & salutationem Angelicam, seu Officium S. Crucis in memoriam plagarum Christi peragentibus, quinquaginta dies, & iis, qui dicta poenitentes, ac Sacra Communione refecti peregerint, ducentos dies de debitis poenitentiis in perpetuum relaxat.

PAULUS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

AD augendam dilectorum Filiorum Confratrum Archiconfraternitatis Passionis Dominicæ Coloniæ apud PP. Capucinos canonicè institutæ devotionem & Animarum salutem, cœlestibus Ecclesiæ thesauris piâ charitate intenti, eisdem Confratribus, qui quinquies Orationem Dominicam, & toties salutationem Angelicam, in memoriam quinque plagarum Domini Nostri Jesu Christi, sive officium S. Crucis recitaverint; quoties id egerint, ultra alias Indulgentias per Nos eidem Archiconfraternitati concessas, quinquaginta dies, quas Animabus Fidelium Defunctorum per modum suffragii applicare possint: Qui autem verè poenitentes & confessi, ac sacra Communione refecti præmissa peregerint, ducentos dies de injunctis eis, seu aliter quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxamus, præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die XXIII. Novemb MDCXVII. Pontificatûs nostri Anno quarto decimo.

S. Card. S. Susannæ.

Altare ejusdem Archiconfraternitatis semel in septimana &c. privilegiat.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

OMnium saluti paterna charitate intenti sacra interdum loca spiritualibus Indulgentiarum muneribus decoramus, ut inde Fidelium Defunctorum Animæ, D. N. Jesu Christi, ejusque Sanctorum suffragia meritorum consequi, & illis adjutæ ex purgatorii poenis ad æternam salutem per Dei misericordiam perduci valeant. Volentes igitur Ecclesiam, seu Capellam publicam Confraternitatis sub titulo Sanctæ Crucis, & Passionis D. N. Jesu Christi de Propaganda Fide nuncupatæ, Civitatis Coloniensis, & in ea situm Altare ejusdem Confraternitatis simili ad præsens privilegio minimè decoratum hoc speciali dono illustrare, de Omnipotentis Dei Misericordia, ac BB. Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, ut, quandocunque Sacerdos aliquis sæcularis vel Regularis Missam Defunctorum in die Commemorationis Defunctorum, & singulis diebus intra illius octavam, ac in una feria cujuslibet hebdomadæ per Ordinarium designanda, pro Anima cujuscunque Confratris, & Consororis dictæ Confraternitatis, quæ Deo in charitate conjuncta ab hac luce emigraverit, ad prædictum Altare celebrabit, Anima ipsa de thesauro Ecclesiæ per modum suffragii Indulgentiam consequatur, ita ut ejusdem D N. Jesu Christi, ac Beatissimæ Virginis Mariæ, Sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus à Purgatorii poenis liberetur, concedimus & indulgemus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque. Præsentibus ad septennium tantùm valituris.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die XXVI. Aprilis MDCCXLVI. Pontificatus nostri Anno sexto.

Gratis pro Deo.

Pro D. Card. Passioneo.

Joannes Florius Substitutus.

Autographa omnium Documentorum de Ven. hâc Archiconfraternitate adductorum, reperiuntur in hujus Archivo.

Donationem Domûs Congregationis B. Mariæ Virginis in Brulone nuncupatæ, Hildesii, Fratribus â Ferdinando Archiepiſcopo, & Principe Electore Colonienſi factam ratihabet, & dominium ejus ad S. Sedem pertinere declarat.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

CUM, ſicut Dilectus Filius Procurator Generalis Fratrum Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum, Nobis nuper exponi fecit, aliàs & de anno MDCXXXI. Venerabilis Frater Ferdinandus, Archiepiſcopus Colonienſis, S. R. Imperii Princeps & Elector, Domum Congregationis B. Mariæ Virginis in Brulone nuncupat. Civitatis, vel Diœceſis Hildeſien. ſub dominio ipſius Ferdinandi, Archiepiſcopi Electoris hujuſmodi, aliàs per bo. mem. Erneſtum, dum vixit, etiam Archiepiſcopum Colonienſem ejus Prædeceſſorem emptam eiſdem Fratribus Capucinis aſſignaverit, & poſtea etiam anno MDCXXXVIII. eandem Domum ſuâ ordinaria auctoritate eiſdem Fratribus & Ordini Capucinorum donaverit, donationemque hujuſmodi Fratres Capucini præfati modo licito acceptarint, dictæque Domûs ab aliquot jam annis poſſeſſionem adepti fuerint, in eaque & ſeu illius Eccleſia divinas laudes & officia perſolvant. Quia tamen ex Clementina, quæ incipit: *Exivi de Paradiſo de verb. ſignif. in §. proinde* expreſsè habetur, quod Summi Pontifices rerum omnium conceſſarum, oblatarum, & donatarum Fratribus (quas & quarum uſum facti ſcilicet Ordini & Fratribus præfatis licet habere) proprietatem & dominium pro ſe & Romana Eccleſia receperunt, dimiſſo ipſis Fratribus tantummodo uſu facti ſimplicis. Ideo ne aliquo futuro tempore de hujuſmodi donationis validitate quoad dominium & proprietatem ad favorem ejuſdem Eccleſiæ Romanæ, ac de domûs & loci, ſic Ordini & Fratribus prædictis donatæ ſeu donati, quoad ſimplicem uſum facti eiſdem Fratribus ſola competentia, ab aliquibus dubitari contingat; Nobis humiliter ſupplicari fecit idem Procurator Generalis, ut præmiſſa confirmare de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur eundem exponentem ſpecialibus &c. volentes, & â quibuſvis &c. cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, donationem â dicto Ferdinando Archiepiſcopo Electore ſic, ut ſupra, de domo & loco Congregationis B. M. Virginis prædictæ ordinaria ſua auctoritate prædictâ eiſdem Ordini & Fratribus factam, & ab eis, ut præfertur, acceptatam, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium ad favorem ejuſdem Eccleſiæ Romanæ confirmamus & approbamus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes & ſingulos tam juris, quàm facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus, eandemque domum ac locum hujuſmodi tamquam ad eandem Romanam Eccleſiam quoad dominium, & proprietatem ſpectantem, juxta dictam Clementinam, ad uſum facti ſimplicis dumtaxat Ordini & Fratribus Capucinis prædictis, auctoritate & tenore præmiſſis concedimus & aſſignamus. Decernentes præſentes literas validas, firmas & efficaces exiſtere & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere, & ab omnibus & ſingulis, quos illæ concernunt, & concernent in futurum, inviolabiliter obſervari; Sicque per quoſcumque &c. Auditores judicari &c. attentari &c. Non obſtantibus Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, ac, quatenus opus ſit, Ordinis, & Domûs, ac Congregationis hujuſmodi, etiam &c. conſuetudinibus, privilegiis &c. innovatis. Quibus &c. derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud S. Petrum &c. 11. Julii MDCXLIV. Pont. noſtri Anno vigeſimo primo.

M. A. Maraldus.

Autog. in Arch. Secret. Brev. Apoſtolicorum Regeſt. menſ. & anni præd. fol. 1.

NOTA.

HAbitaverant priùs, & ab anno 1444. uſque ad annum 1604. Clerici Regulares S. Hieronymi, aliàs vulgò Fratrenſes dicti, in hujus Domûs Loco, quem ob lumina noctu in horto viſa Hortum luminum appellant: cum autem tum mediis vitæ, tum Alumnis carere cœpiſſent, nobis in donum ad habitaculum datus eſt, tabulis ſequentibus.

Nos Ferdinandus, Dei gratiâ; electus & confirmatus Episcopus Coloniensis, S. Romani Imperii per Italiam Archi-Cancellarius, & Princeps Elector, omnibus & singulis Christifidelibus præsentes literas visuris, lecturis seu legi audituris salutem in Domino sempiternam.

Quandoquidem experientia magno nostro solatio didicimus hactenus, quantos in Ecclesia Dei universa, tum vel maximè in Archi- & Diœcesibus nostris PP. Capucini summo animarum lucro fructus producant, non immerito huic Ordini propagando sategimus, & adhuc satagimus. Vnde moti fuimus hunc Ordinem etiam in Diœcesim, & Civitatem nostram Hildesiensem introducere, prout eidem anno millesimo sexcentesimo trigesimo primo, partem Domus Congregationis B. M. Viginis in Brulone ad consueta exercitia facienda assignavimus. Cumque ex post facto repererimus, dictos Patres in Vinea Domini istis in partibus bona officia præstare, non censuimus abs munere nostro Episcopali abesse, ut eundem Ordinem ibidem solidaremus: Duximus itaque præfatam Domum Congregationis B. V. Mariæ eidem Ordini pro futuris perpetuis temporibus donandam, prout eandem Domum cum suis appertinentiis dicti Ordini auctoritate nostra ordinaria donamus, præsentium per tenorem concedentes ejusdem Ordinis Patribus facultatem & omnimodam potestatem in præfato loco suo tempore Monasterium ædificandi, & sui Ordinis exercitia & munia ritè in eo peragendi, non obstantibus quibuscumque, & hisce in perpetuum valituris, quas in fidem & testimonium præmissorum manu nostra subscriptas sigilli nostri appensione communiri jussimus. Datum in nostra Civitate Bonnensi decima nona mensis Augusti anno 1638.

Ferdinandus.

Autographum in Archivo Provinciæ.

Calumnias contra Fratres eludit, & illorum zelum Serenissimo Archiepiscopo Electori, Ferdinando, peculiariter commendat.

Venerabili Fratri, Ferdinando, Archiepiscopo Coloniensi, Sacri Romani Imperii Principi Electori.

INNOCENTIUS PAPA X.

PErlibenter legimus literas, quibus Fraternitas tua felicem FF. Minorum Capucinorum nuncupatorum isthinc degentium zelum commendat, illibatumque eorum vitæ candorem contra illos, qui eos persequuntur gratis, tuetur. Firmamur ex præclaro hoc testimonio in sensu & opinione, quam diu jam de celebri hac Ecclesiæ Religione nutrivimus, eamque non sine peculiaris divinæ Providentiæ consilio amplè plantari, in dies magis persuademur. Nihil unquam propterea, quod currentes hosce Fratres impediat, â Nobis statuetur, & inductum Confessionis usum, quem Germania unitâ voce sibi tam salubrem celebrat, sartum tectum conservari, in malignantium pudorem mandavimus. Operarios hos in Vinea tua, Venerabilis Frater, cum pondere diei & æstûs laborantes, & integros fructuum manipulos cum exultatione metentes Tibi impensè commendamus, & Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub annulo Piscatoris, die 1. Junii MDCL., Pontificatus nostri anno sexto.

Autog. in Arch. Secret. Brev. ad Princ. *reg. mens. & anni præd. fol.* 212.

NOTA.

AN fortiùs Summus Pontifex, an verò Archiepiscopus Elector læsam Fratrum famam contra subdolos rumores defenderit, dijudicabit Lector ex Serenissimi literis, ad Papam sub sequenti tenore datis:

BEATISSIME PATER.

Prævio Sanctitatis Vestræ pedum osculo, ut par est, exponendum duxi, quod acciti votis Nuntiorum Apostolicorum, multorum Principum & Magnatum Catholicorum Germaniæ in sortem Operariorum Evangelicorum, tum ut zizania hæresum efficaci vitæ ac morum exemplo unà cum aliis evellerent, tum ut rudes tepidosque passim Orthodoxorum animos in fide firmarent, comparuerunt ante annos circiter quadraginta Fratres Minores, quos Capucinos vocant, quorum professione regulari, vita Apostolica, ab omni proprio interesse remotissima, & Seraphico animarum zelo in concionando, cathechizando, & confessiones excipiendo factum est, ut re ipsa & opera comprobarint omnia ea, quæ ab ipsis in hac Germaniæ Vinea Domini, & animarum messe, & exspectari & desiderari poterant.

Præ-

Præterquam enim, quod instar grani synapis Evangelici, ex octo, decemve personis subito in magnam arborem multorum ramorum, multorum locorum, octingentarum aut mille personarum excreverint; quod aliis plerisque Regularibus exemplo suo ad votorum observantiam, personarum multiplicationem, Ecclesiarum & Monasteriorum suorum instaurationem stimulos addiderint; quod in Diœcesibus meis Catholicorum plurimorum flaccidos in pietate animos ad fervorem accenderint, eatenus quoque exulceratas hæreticorum contra Orthodoxos mentes inflexerint, quod per alium neminem, quàm per Capucinos præfatos, citiùs, suaviùs, & efficaciùs converti posse, comprobatum fuerit. Unde necessitatis ipsiusmet exigentia permoti, animarumque delectabili germine feliciter adeò pullulante illecti, Antonius Albergati Sedis Apostolicæ olim Nuntius à latere, & unà cum ipso Nos, alii Germaniæ Electores Archi-Episcopi, & Episcopi tum temporis à Paulo V. sanctæ memoriæ Pontifice Maximo pro parte hujusmodi Capucinorum obtinuimus, ut præter usitatum aliàs non regulæ, sed solarum constitutionum suarum morem, confessionibus Secularium excipiendis publicè exponerentur: in quo quidem spiritualis obsequii genere (subsequente licet ex charitate proximi plus quàm ducentorum Fratrum suorum strage ac morte) fructus Deo uberes ubique locorum retulerunt, & etiamnum reportant, quod sine ipsorum ope ab anno 1631. usque ad hæc ferme tempora, quando fervente bello Svecio occisis, fugatis, proscriptis & ejectis undique Parochis, Ecclesiasticis, Regularibus, aliisque Personis, quando & solis Capucinis tutò ibi consistere, ab hæreticis ipsis, utpote mitiori animo erga hos, quàm alios quoscumque Religiosos affectis, permittebatur, centena, & millena fidelium absque confessione & Sacramentorum perceptione animam exhalassent.

His accedat, Sanctissime Pater, quod Capucinorum Domos, & Ecclesiam maturo consilio, ne cuilibet obvio devastationis & destructionis periculo expositæ essent, in ipsismet urbibus & oppidis construi fecerimus, & talibus ut plurimum, ubi vel nullæ vel planè paucæ sunt aliorum Regularium, communi bono intendentium Congregationes, in quibus per experientiam, & ex certa notitia de his longo usu acquisita Sanctitatem Vestram certiorem reddo, eosdem concionando, catechizando, confessiones fidelium excipiendo, tot tamque ampla animarum lucra reportasse, & indies reportare, quod, dum ante ipsorum adventum vix semel in anno ad Sacramentorum communionem, vix semel in septimana ad sacrum Missæ officium accederent, vix vel tepida fronte, fide, & religione, sua debita & congrua præ se ferrent, ac peragerent, ex nunc & post facto in illis, & iisdem præfatis urbibus & oppidis, omnibus diebus Dominicis & festivis frequentissimi sint, qui ad sacram Synaxin prævia confessione sacramentali accedant, diebus verò ferialibus plurimi sacro Missæ officio intersint, & tandem aliam planè Christiani hominis formam omnes induisse & imbibisse videantur.

Quocirca certo ad me perlato rumore, adimendam à Sanctitate Vestra sæpe dictis Capucinis Germaniæ nostræ confessiones Sæcularium audiendi facultatem, non parùm animo consternatus fui, prævidens omnem hanc tot laboribus partam animarum messem, virtutum cordibus Christifidelium insitarum splendorem, fidei & Religionis Catholicæ ægrè satis inditum fervorem, revocatione hujusmodi, momento Danielicæ adinstar arboris succidendum: Sequentur enim hinc infallibiliter. Primo, *decrementum devotionis populi Christiani ad frequentem usum Sacramentorum laudabilem assueti, dum eidem Ministri ad id idonei & populo chari ad eorumdem administrationem inhabiles reddantur.* Secundo, *jam audire video lamenta & clamores subditorum meæ curæ commissorum, apud quos variis in locis, aliorum Religiosorum solatio destitutis, Capucinorum Conventus admissi & erecti sunt sub expressissima conditione, ut ad excipiendas confessiones incolarum tenerentur.* Tertio, *pessundabitur conscientiarum timoratarum stimulus defectu confessariorum.* Quarto, *armabitur hæresum & hæreticorum contra nos pervicacia, qui tantò faciliùs veneno errorum viscera fidelium depascere poterunt, quo difficiliùs & tardiùs animabus ipsorum, abolita assueta frequentatione Sacramentorum, divinæ gratiæ ros instillari poterit.* Quinto, *ludibrio exponetur venerata ab omnibus hucusque, & laudata Capucinorum Religio, quæ dehinc apud hos optimè audiebat, quod non propriæ duntaxat (prout alibi locorum carpitur) sed & proximi saluti operam impenderet, quæ fidelibus denegata deinceps flaccescente eorum affectu, consuetis eleemosynis & vitæ necessariis hos destitui oportebit, quos Germania nostra operariis Evangelicis tantopere indiga, tanquam inutilia terræ pondera despiciet, & relegatione dignos æstimabit.* Octavo, *deficiet tandem finis ipse, ob quem à S. Sede Apostolica Fratres Capucini in Germaniam missi fuere. Unde tot inconvenientium malorum ex una, ex altera verò parte tot bonorum spiritualium pro salute Christifidelium consideratione permotus, Sanctitati Vestræ supplex fio, quò facultas hujusmodi Secularium confessiones excipiendi, nostris Capucinis non modò non adimatur, quin potius iisdem ad continuandum hocce Ministerium non minùs utile, quàm summè necessarium stimulus addatur. Præstabit hoc ipso Sanctitas Vestra opus pastorali sua bonitate dignum & Christifidelibus Germanis, aliundè satis afflictis, non mediocre solatium, qui unà mecum in gratiarum actionem Deum Optimum Maximum implorare non desinent, ut Sanctitatem Vestram orbi Christiano & Ecclesiæ diutissimè sospitem servet & incolumem. Datum Bonnæ 24. Aprilis Anno 1650.*

Sanctitatis Vestræ.

Humillimus & obedientissimus Filius

Ferdinandus Archi-Episcopus, & Elector Coloniensis.

Provinciam in duas, Coloniensem videlicet, & Rhenanam dividi jubet.

A tergo: *Dilecto Filio, Ministro Generali Ordinis Fratrum Minorum Capucinorum nuncupatorum.*

CLEMENS PAPA IX.

Dilecte Fili salutem, & Apostolicam Benedictionem.

EXponi nobis nuper fecerunt Dilecti Filii Fratres Provinciæ Rhenanæ, seu Coloniensis tui Ordinis Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupatorum, quod in Capitulo Generali dicti Ordinis, novissimè in Alma Urbe celebrato, Difinitio Generalis bene perspectam habens Provinciæ prædictæ nimiam vastitatem, ob quam uni soli Ministro Provinciali penitus est impossibilis visitatio consueta vigore Regulæ & Constitutionum Generalium omninò requisita ad conservandam Disciplinam Regularem, aliisque causis gravissimis consideratis, censuit eidem Provinciæ subveniendum esse per convenientem divisionem, de hujus Sanctæ Sedis Apostolicæ licentia faciendam. Quare ipsi Exponentes Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportunè providere, &, ut infra, indulgere de Benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur dictos Exponentes specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ac de tua fide, prudentia, charitate, vigilantia, pietate ac Religionis zelo plurimùm in Domino confisi, Tibi, ut in actu visitationis memoratæ Provinciæ à Te benedicente Domino faciendæ, eandem Provinciam in duas, unam quidem Coloniensem, alteram verò Rhenanam respectivè nuncupandas, Auctoritate nostra Apostolica dividere, ac utrique Provinciæ hujusmodi, Conventus, Domos, & Hospitia Provinciæ sic dividendæ respectivè assignare, cæteraque in præmissis, & circa ea quomodolibet necessaria, & opportuna facere, & exequi liberè possis, & valeas, facultatem, & licentiam authoritate prædicta, tenore præsentium tribuimus, & impertimur; eâ tamen lege, ut per hujusmodi divisionem suffragia in Capitulis Generalibus Ordinis præfati augeri non possint, sed cujusque Provinciæ sic divisæ Ministri Provinciales unacum Custode alternatim eligendo in dicto Capitulo intervenire debeant, ita, ut tria tantùm vota, nempe duorum Ministrorum Provincialium, & unius Custodis constituant; utque in prædictis Provinciis divisis novi Conventus erigi imposterum nullatenus possint, sine expressa licentia dictæ Sedis, per litteras in simili forma Brevis expedienda, quæ deroget hujusmodi prohibitioni, non obstantibus fel. record. Urbani PP. VIII. Prædecessoris nostri litteris die XVIII. Junii MDCXLIII. emanatis, per quas inter alia Provinciarum dicti Ordinis divisio prohibita reperitur, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non Ordinis, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis & innovatis. Quibus omnibus & singulis, earum tenores præsentibus pro plenè & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice duntaxat, specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die VII. Septembris MDCLXVII. Pontificatûs nostri Anno primo.

Jo. Gualterius Slusius.

Aut. in Archivo secret. Brevium Apost. Regesto Mens., & Anni præd. f. 91.

NOTA.

NE, impedito P. Ministro Generali, divisionis executio retardaretur, constitutus est alius Commissarius Apostolicus per litteras sequentes.

Di-

Divisionis executionem, P. Ministro Generali impedito, Fr. Prothasio à Mediolano committit.

A tergo: *Dilecto Filio, Prothasio à Mediolano, Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupatorum Professori.*

CLEMENS PAPA IX.

Dilecte Fili salutem & Apostolicam Benedictionem.

ALiàs pro parte dilectorum Filiorum Fratrum Provinciæ Rhenanæ, seu Coloniensis, Ordinis Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupatorum, Nobis exposito, quod in Capitulo Generali dicti Ordinis novissimè in hac Alma Urbe Romæ celebrato, Diffinitio Generalis bene perspectam habens Provinciæ prædictæ nimiam vastitatem, ob quam uni soli Ministro Provinciali penitus est impossibilis visitatio consueta, vigore Regulæ & Constitutionum Generalium omnino requisita ad conservandam Disciplinam Regularem, aliisque gravissimis causis consideratis, censuerat eidem Provinciæ subveniendum esse per convenientem divisionem, de hujus S. Sedis Apostolicæ licentia faciendam: Nos supplicationibus dictorum Exponentium nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, dilecto Filio Ministro Generali Ordinis prædicti, ut in actu visitationis memoratæ Provinciæ ab eo faciendæ eandem Provinciam in duas, unam quidem Coloniensem, alteram verò Rhenanam, respectivè nuncupandas, Auctoritate nostra Apostolica dividere, atque utrique Provinciæ hujusmodi Conventus, Domos & Hospitia Provinciæ sic dividendæ respectivè assignare, cæteraque in præmissis, & circa ea necessaria quomodolibet & opportuna facere, & exequi liberè, & licitè posset, & valeret, facultatem & licentiam eadem auctoritate tribuimus, & impartiti sumus; eâ tamen lege, ut per hujusmodi divisionem suffragia in Capitulis Generalibus Ordinis prædicti augeri non possent, sed cujusque Provinciæ sic divisæ, Ministri Provinciales unà cum Custode alternatim eligendo in dicto Capitulo intervenire deberent, ita, ut tria tantùm vota, nempe duorum Ministrorum Provincialium, & unius Custodis constituerent; utque in prædictis Provinciis divisis novi Conventus erigi imposterum nullatenus possent sine expressa licentia dictæ Sedis, per litteras in simili forma Brevis expedienda, quæ derogaret huic prohibitioni, & aliàs, prout in nostris desuper etiam in forma Brevis die VII. Septembris proximè præteriti expeditis litteris, quarum tenorem præsentibus pro plenè, & sufficiente expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberiùs continetur.

Cùm autem, sicut Fratres prædicti Nobis denuo nuper exponi fecerunt, memoratus Minister Generalis peragendis necessariis visitationibus in partibus Italiæ ad longum tempus se protrahentibus legitimè sit impeditus, interea verò periculum sit, ne incommoda, quibus Provincia supradicta propter nimiam ejus vastitatem premitur, magis ingravescant. Nobis propterea, iidem Exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur dictos Fratres Exponentes specialis favore gratiæ prosequi volentes, & eorum singulares personas, à quibusvis excommunicationis &c. harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ac de tua fide, prudentia, rerum Ordinis usu, integritate & Religionis zelo plurimùm in Domino confisi, Te supradictæ Provinciæ Rhenanæ, seu Coloniensis Commissarium, & Visitatorem Auctoritate Apostolica, tenore præsentium constituimus & deputamus, Tibique committimus & mandamus, ut peractâ Provinciæ hujusmodi Visitatione, incommodis ex nimia illius vastitate provenientibus secundùm datam tibi à Domino prudentiam consulere satagas, &, quatenus opus sit, ad divisionem ejusdem Provinciæ modo & forma præmissis, ac salvâ, & remanente in reliquis omnibus, & singulis supradictarum nostrarum litterarum dispositione procedas. Nos enim quamcumque necessariam, & opportunam ad id facultatem Tibi, harum serie, eadem Auctoritate tribuimus, & impartimur: non obstantibus præmissis, ac omnibus, ac singulis illis, quæ in eisdem litteris concessimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die XXV. Maii Anno MDCLXVIII. Pontificatus nostri Anno primo.

Jo. Gualterius Slusius.

Autog. loco prædicto Reg. mens. & anni notati fol. 65.

No-

NOTA.

Actis agendis, P. Commissarius opus absolvit, Instrumento desuper confecto, quod sequitur:

In Nomine SS. ac Individuæ Trinitatis, Jesu Christi D. N., Deiparæ Semper Virginis Mariæ, ac Seraphici P. N. S. Francisci. Amen.

Quandoquidem nihil ardentiùs, nihilque gratiùs subditus Religiosus sibi auspicetur, quàm sui Prælati ac Patris faciem intueri, inquiens cum Absolone: Obsecro, ut videam faciem Regis *(sui videlicet Patris) imò cum Canticorum sponso suspirans:* Ostende mihi faciem tuam, vox tua in auribus meis: *Cum Sororibus Lazari persæpè invitans:* Domine veni, & vide, *& cum alterutrâ haud rarò deplorans:* Domine si fuisses hîc, non fuisset mortuus Frater meus. *Cumque non sufficiat Superiori, ac Patri suorum subditorum, & filiorum necessitates à longè cognoscere, siquidem Dominus ipse, quando de Cælo in terram prospexit, ut videret si esset intelligens, aut requirens Deum, omnes, (proh dolor) conspexit declinantes & inutiles factos; quando verò misericordiâ motus præsentialiter terram invisit, protinus eam inebriavit, id est, D. Ambrosio exponente, inebriavit mentem nostram suâ Sanctâ prædicatione, excitavit in nobis virtutum desiderium, & castæ affectionis studium inolevit; unde Regius Psaltes meritò subdit:* Visitasti terram, & inebriasti eam, multiplicasti locupletare eam. *Hinc, cum (experientiâ magistrâ) impossibile sit unico Provinciali Ministro ob longitudinem, latitudinem, & vastitatem hujus Provinciæ Coloniensis, seu Rhenanæ instituere visitationes illius, quæ tanquam necessariæ tum ad subditorum consolationem, & vitæ austeritatem, tum ad regularis observantiæ manutentionem, nec non defectuum (si qui fortè ex humana fragilitate pullulent) celerem extirpationem, à Regulâ, & Constitutionibus nostris præscribuntur, ideo Diffinitori Generali in Generalibus Comitiis, Romæ Anno millesimo sexcentesimo sexagesimo septimo proximè celebratis, rationabile, justumque, quinimò necessarium visum fuit, ut hæc eadem Provincia adeo vasta, ac dilatata, de Sanctæ Sedis Apostolicæ licentiâ divideretur. Quapropter Summus Pontifex D. N. Clemens PP. IX. suppliciter de hac divisione requisitus, per suas litteras in forma Brevis datas apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die septima Septembris* 1667. *clementer indulsit, ut præfata Provincia Coloniensis, seu Rhenana Fratrum Minorum S. Francisci Capucinorum, ab admodum R. P. Fortunato à Cadoro, ejusdem Ordinis Generali Ministro in actu Visitationis ab eo faciendæ, in duas dividi, ac resecari posset, quarum una nomen Provinciæ Coloniensis retineret, altera verò Rhenana vocaretur, cum quibusdam conditionibus in dicto Brevi appositis, cujus tenor de verbo ad verbum est, ut sequitur.*

CLEMENS PAPA IX.

Dilecte &c. Exponi Nobis nuper fecerunt Dilecti Filii, Fratres Provinciæ Rhenanæ, seu Coloniensis. Residuum uti supra.

Quia verò idem admodum R. P. Generalis in finitimis Italiæ partibus visitationis causâ impeditus suprafatæ divisioni interesse minimè poterat, ideoque nec suprammemoratum Breve suum desideratum effectum sortiri; idem D Papa de hoc à nostris Patribus certior factus, ac denuo humillimè supplicatus, Nobis tanquam Visitatori, ac Commissario Apostolico ad hanc Divisionem quantociùs operi demandandam specialiter deputato, aliud Breve benignissimè expedivit, tenoris sequentis, videlicet.

CLEMENS PAPA IX.

Dilecte &c. Aliàs pro pro parte Dilectorum Filiorum, Fratrum Provinciæ Rhenanæ, seu Coloniensis. Residuum uti supra in secundis Litteris Apostolicis.

Pro quorum Brevium integra & completa executione Nos Frater Prothasius Mediolanensis, Commissarius, & Visitator Apostolicus, peractâ Visitatione in Provincia hac Coloniensi, seu Rhenana Nobis, ut suprà, injunctâ, auditis Patribus, & Fratribus, qui Nobis loqui voluêre, visis omnibus scripturis Nobis præsentatis, ac litteris transmissis, consideratâ illius longitudine, latitudine, ac amplitudine, situatione, ac numero omnium Conventuum locorumque, in quibus commorantur Fratres nostri, longioreque distantiâ quorundam ex illis ab invicem, partim propriâ experientiâ, partim etiam fida dignissimorum relatione edocti, comperimus, ob nimiam illius vastitatem non posse amplius commodè, & utiliter visitari, & gubernari ab unico Ministro Provinciali, modo à nostris Constitutionibus præscripto; ideo post maturam deliberationem, consideratis omnibus aliis considerandis, secundùm Deum, & conscientiam nostram judicavimus, & judicamus absolutè necessariam esse illius divisionem, & de facto illam esse hic, & nunc dividendam, juxta facultatem Nobis à Sede Apostolica concessam, decernimus, & statuimus, servatis omnibus servandis juxta dicta Brevia Apostolica.

Et ad hunc effectum, præviè ad Nos convocatis RR. PP hujus Provinciæ Ministro Provinciali, ac Diffinitoribus, Primariisque Patribus de eorum consilio, & assensu, sicut etiam de aliorum interessatorum bona, ac libera voluntate, eandem Provinciam, Authoritate Apostolica in hac parte Nobis concessâ ita di-

vidimus, & divisam semper esse, & fore declaramus; ex una parte Provincia Coloniensis, seu Rhenana dicta, quæ antea habebat Conventus 41. Hospitia 5. & Missiones 6. in toto, jam divisa retinebit, quoad duas inferiores Custodias, Nomen, & Sigillum Provinciæ Coloniensis, ac ei assignamus Conventus, Hospitia & Missiones, quorum locorum nomina sunt, ut infrà.

In Custodia Coloniæ.

Conventus:
1. *Colonia.*
2. *Aquisgranum.*
3. *Monasterium Eyffliæ.*
4. *Dusseldorpium.*
5. *Bonna.*
6. *Juliacum.*
7. *Clivia.*
8. *Xanthis.*
9. *Lintzium.*
10. *Marcodurum.*
11. *Tolpiacum.*
12. *Gladbacum.*
13. *Euskirchium.*
14. *Wassenberga.*

Hospitia.

1. *Cæsaris-Insula.*
2. *Haldenhovium.*
3. *Rhenoberca.*

In Custodia Westphaliæ.

Convent.
15. *Monasterium Westph.*
16. *Paderborna.*
17. *Essendia.*
18. *Coesfeldia.*
19. *Hildesium.*
20. *Brakelia.*
21. *Borckena.*
22. *Werlis.*
23. *Ruthena.*
24. *Werna.*

MISSIO I.

Hannovera.

Omnes alios Conventus, Hospitia, & Missiones, quos antehac Provincia Coloniensis habebat, ab illa eâdem authoritate dividimus, resecamus, & separamus, nec poterit amplius Minister Provincialis hujus Coloniensis Provinciæ illos visitare, nec in eorum gubernio se immiscere, uti antea poterat, ac debebat. Pro altera parte omnes illos Conventus, Hospitia, & Missiones, sicut præfertur, separatos & resecatos eâdem Authoritate Apostolica Nobis in hac parte concessa erigimus in novam Provinciam, ab altera totaliter separatam, ac independentem, quæ Rhenana appellabitur, ac poterit deinceps facere Capitulum suum Provinciale separatum ab altero, eligere quatuor Diffinitores, Provincialem, & omnia alia præstare, quæ aliis Provinciis nostræ Religionis de jure competunt, iis exceptis, quæ in Brevi continentur de Electione Custodum pro Generali Capitulo, & non erigendis Conventibus sine licentia Sedis Apostolicæ; Nomina autem Conventuum, & locorum, quæ huic novæ Provinciæ Rhenanæ per hoc Decretum assignamus, sunt hæc.

Conventus.

1. *Moguntia.*
2. *Treviris.*
3. *Wagheuselium.*
4. *Agonia Domini.*
5. *Aschaffenburgum.*
6. *Spira.*
7. *Cochemium.*
8. *Confluentia.*
9. *Wormatia.*
10. *Benshemium.*
11. *Mons Angelorum.*
12. *Walthurena.*
13. *Berncastellum.*
14. *Binga.*
15. *Lobra.*
16. *Konigsteinum.*
17. *Dieburgum.*

Hospitia.

1. *Welmichium.*
2. *Lorichium.*

Missiones.

1. *Ladenburgum.*
2. *Hemespacum.*
3. *Laudabacum.*
4. *Herschemium.*
5. *Bretbacum.*

Et quia hæc utraque Provincia sic per Nos separata, Constituta, & respectivè instituta non debet habere, nisi tria vota pro Capitulis Generalibus futuris, juxta Breve supra positum, declaramus, quod pro Capitulo Generali proximè futuro sola Provincia Coloniensis eligat unum Custodem, qui cum Patre

Pro-

Provinciali erit vocalis dicti Capituli, & in altero Capitulo Generali sequenti, altera Provincia Rhenana etiam sola eliget unicum Custodem, qui cum suo Provinciali erit vocalis dicti Capituli generalis, & sic deinceps alternatim, & successivè.

Quantum ad limites, & confinia utriusque hujus Provinciæ ad invicem, per aliud decretum, post electionem suo tempore faciendum, assignabuntur & determinabuntur cum consilio, & assensu RR. PP. Provincialium & Diffinitorum eligendorum.

Præcipimus in virtute Sanctæ Obedientiæ omnibus & singulis Patribus & Fratribus hujus Provinciæ utriusque, ut unusquisque se recipiat ad illam Provinciam, de qua est nativus, cui maneat perpetuò incorporatus: illi verò, qui non sunt nativi neque de una, neque de altera harum Provinciarum, pertineant ad illam Provinciam, cui sunt viciniores ratione suæ nativitatis, aut Patriæ, habeanturque pro verè incorporatis tali Provinciæ, sicut cæteri nativi, & taliter semel incorporati uni Provinciæ, non poterunt ad alteram pertransire sine obedientia Amod. Reverendi Patris Generalis. Ita dicimus, declaramus, statuimus, & decernimus hoc & omni alio meliori modo.

Datum Coloniæ Die 30. Mensis Augusti 1668.

Frater Prothasius Commiss. Apostolic.

Hoc Decretum cum duobus Brevibus Apostolicis in illo insertis de ordine A. R. P. Prothasii Mediolanensis Commissarii, & Visitatoris Apostolici, fuit per me Fratrem Basilium de Lugano, ejus Socium & Secretarium lectum & publicatum coram omnibus Vocalibus capitulariter congregatis in loco nostro Coloniæ die & Anno, uti supra, & fuit ab omnibus cum gratiarum actione acceptatum, & subsignatum.

Pro Provincia Coloniensi.

Ego Fr. Heliodorus Ultrajectensis Minister Provincialis, supradicta ita accepto.
Sic & ego Fr. Hieronymus Ruthensis Diffinitor.
Sic & ego Fr. Georgius Dusseldorpiensis Diffinitor.
Sic & successivè omnes alii Vocales ejusdem Provinciæ.

Pro Provincia Rhenana.

Ego Fr. Clemens Bidburgensis Diffinitor & Custos nomine meo & totius Capituli supradictæ Provinciæ Rhenanæ, tanquam Compromissarius supradicta amplector.
Sic & ego Fr. Archangelus Trevirensis, ex Diffinitor & Compromissarius, ut supra.
Sic ego Fr. Onesimus Epternacensis, Guardianus Confluentiæ, supra fata omnia, tanqam Compromissarius, ut supra, amplector.

Frater Basilius Secretarius.

Decretum assignationis limitum, & confinium utriusque Provinciæ Coloniensis & Rhenanæ.

In Nomine Domini. Amen.

Nos Fr. Prothasius à Mediolano, Visitator, & Commissarius Apostolicus, peractâ divisione supradictæ Provinciæ in Coloniensem & Rhenanam, & celebrato capitulo Coloniensi, de consilio & assensu RR. PP. Provincialis, & Diffinitorum in eodem Capitulo de novo electorum, nec non RR. Patrum Compromissariorum pro capitulo Rhenano, Moguntiæ proximè celebrando, post maturam deliberationem ita dividimus, & assignamus limites utrique Provinciæ, ut Coloniensis se extendat ad omnia loca subjecta jurisdictioni temporali Serenissimi Principis Electoris Coloniensis, Rhenana verò identidem se extendat ad omnia loca subjecta jurisdictioni temporali Eminentissimi Principis Electoris Trevirensis, quod idem respectivè servetur inter Monasterium Eyffliæ, & Cochemium: quantùm verò ad limites utriusqne Provinciæ, concernentes alias Provincias adjacentes, remaneant iidem, sicut antea erant: ita dicimus, statuimus, decernimus &c. hoc & omni alio meliori modo &c.

Fr. Prothasius à Mediolano Visitator, & Commissarius Apostolicus.

Actum compleverunt pacta inter utramque Provinciam inita, ut sequitur.

Primo, Fratres utriusque Provinciæ servent mutuam charitatem solitam exhiberi pro Defunctis, quod tamen intelligitur solùm quoad Fratres, non verò quoad Parentes.

Secundo, Utraque Provincia abstineat à receptione Novitiorum, qui sunt nativi ex altera, juxta Constitutiones, & limites constitutos.

Tertio In Familia Linziensi non ponantur Clerici, qui pro tempore, quo ibi degunt, debeant mitti ad Ordinationes: quod si ponantur, aut mitti debeant, tempore opportuno mutentur de familia ad alium locum.

Quarto, Tempore belli, devastationis & contagii, servatis servandis, de consensu & beneplacito utriusque R. P. Provincialis possint invicem mitti aliqui Fratres, prout necessitas exegerit, ibique respectivè cum mutua fraterna charitate recipiantur.

Quinto, RR. PP. Provinciales Provinciæ Coloniensis pro tempore existentes servent Decretum jam factum de petenda ab Eminentissimo Trevirensi de triennio in triennium licentia, audiendi confessiones, & concionandi. Actum Coloniæ 3. Sept. 1668.

Apud antiquam Capellam sub Parochia de Aldenrath Dominii de Portz Hospitium seu Residentiam Fratrum instante Duce Neoburgi erigi concedit.

A tergo: *Dilecto Filio, Ministro Generali, Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupatorum.*

CLEMENS PAPA X.

Dilecte Fili salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CUM, sicut Nobis nuper exponi fecisti, dilectus Filius, nobilis Vir, Dux Neoburgi tibi significaverit, prope ejus dominium de Portz in Ducatu Montium Colonien. Dioecef., sub Parochia de Volberg, quæ Lutherana hæresi infecta est, reperiri quosdam Christifideles Catholicæ Fidei cultores, qui in præcipuis anni festivitatibus ad suscipienda Ecclesiæ Sacramenta, Bensbergam trium horarum itinere inde distantem accedere coguntur; sub Parochia verò de Aldenrath ejusdem dominii de Portz in vicinia residentiæ dictorum Catholicorum positam esse Cappellam quandam, in qua Parochus illius loci paucis vicibus in anno, & non quantùm sufficeret ad hoc, ut iidem Catholici praeceptis Ecclesiæ satisfacere possent, divina officia celebrare consuevit, & Cappellam quidem hujusmodi, quæ valde antiqua est, diversis Ecclesiasticis pluries oblatam fuisse, ad hoc, ut in ea singulis diebus dominicis & festis divina officia celebrarent, neminem tamen illam acceptare voluisse, præter quosdam Fratres tui Ordinis Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupatorum, qui propagandæ Catholicæ Fidei zelo incensi, prædictosque Catholicos in ejusdem Fidei puritate conservare cupientes, curam Animarum eorumdem Catholicorum suscipere parati sunt, dummodo eis de hospitio, seu residentia necessaria apud eandem Cappellam provideatur: Tu verò, ut piis memorati Ducis votis obsecundes, ad erectionem hospitii, seu residentiæ hujusmodi devenire intendas, si nostra & hujus Sanctæ Sedis tibi super hoc licentia suffragetur & facultas. Nobis propterea humiliter supplicari fecisti, ut tibi in præmissis opportunè providere, &, ut infra, indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ad ea, quæ Catholicæ Fidei conservationem, & propagationem concernunt, ex debito pastoralis officii Nobis divinitus commissi propensis studiis intendentes, teque specialis favore gratiæ prosequi volentes, & à quibusvis &c. censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Tibi Hospitium sive residentiam Fratrum Ordinis prædicti apud Cappellam supradictam, dummodo tamen ad id Ordinarii loci accedat assensus, & sine cujusquam præjudicio, Auctoritate nostra Apostolica erigendi & instituendi quamcumque necessariam & opportunam facultatem, & licentiam eadem auctoritate, tenore præsentium concedimus & impertimur. Decernentes ipsas præsentes litteras semper firmas validas & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus & per omnia plenissimè suffragari, sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios & Delegatos, etiam &c. Auditores, judicari & definiri debere, ac irritum &c. attentari. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, ac, quatenus opus sit, dicti Ordinis, & aliis quibusvis etiam &c. statutis & consuetudinibus, privilegiis &c. innovatis; quibus omnibus & singulis, illorum tenores &c. derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die XV. Julii MDCLXXI. Pontificatus nostri Anno secundo.

J. G. Slusius.

Autog. in Arch. Secret. Brev. Apost. regesto mens. & anni præd. fol. 74.

Petitam votorum paritatem in Comitiis Generalibus Ordinis difficultates pati, Serenissimo Archiepiscopo Electori renuntiat, & Fratres Provinciæ continenti ejus patrocinio commendat.

A tergo: *Venerabili Fratri, Maximiliano Henrico, Archiepiscopo Coloniensi, S.R.I. Principi Electori.*

CLEMENS PP. X.

Venerabilis Frater salutem, & Apostolicam Benedictionem.

PRæclara laudum testimonia, quæ de Fratribus Capucinis, eximiè istic in Vinea Domini laborantibus, dissertis ad Nos dedit literis Fraternitas tua, novas erga eosdem paternæ charitati nostræ faces addiderunt, rebus autem ipsis, quoties facultas aderit, Pontificii amoris incrementum testatum iisdem profectò facere non omittemus, enixis ita ad ipsorum vota juvanda precibus tuis ex animo

respon-

responsuri. Remoratur tamen in præsentia propensionem hanc nostram, quin expositam à divisis nuper Provinciis suffragiorum paritatem statuamus, accurata emanati à fel. rec. Decessore nostro in contrarium Decreti habenda à nobis omnino ratio, rem nihilominus suis momentis pensabimus, suffragationi tuæ non parum tributuri. Ut prædictos Capucinos, Ordinemque universum divini cultûs ad incrementum Ecclesiæ Catholicæ adeo strenuè militantem continenti patrocinio foveas, à perspecta Fraternitatis tuę pietate prorsus exigimus, cui Apostolicam Benedictionem ex omni cordis nostri sensu interim impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die prima Augusti MDCLXXI. Pontificatus nostri Anno secundo.

Marius Spinula Secret.

Autog. in Secret. Brev. ad Principes *regesto mens. & anni pręd. f.* 58.

Privilegium ab Altari Ecclesiæ Aquisgrani ad Altare Majus ejusdem Ecclesiæ transferri indulget.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

CUM, sicut dilectus Filius Hieronymus Ruthensis, Custos Provinciæ Coloniensis, Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupatorum, Nobis nuper exponi fecit, dudum fel. record. Gregorius Papa XIII. Prædecessor noster, ut, quotiescunque Sacerdos aliquis ejusdem Ordinis Missam Defunctorum pro Anima cujuscunque Fidelis, quæ Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, ad tria Altaria trium Ecclesiarum cujuscunque Provinciæ dicti Ordinis per Superiores ipsius Ordinis destinanda celebraret, Anima ipsa de thesauro Ecclesiæ per modum suffragii Indulgentiam consequeretur, vivæ vocis oraculo concesserit, & indulserit. Et subinde fel. rec. Paulus Papa V. etiam Prædecessor noster, concessionem, & Indulgentiam hujusmodi, dummodo à dicto Gregorio prædecessore verè emanâsset, etiam ad alias Ecclesias Provinciarum dicti Ordinis postmodum erectarum, & futuris temporibus erigendarum, eisdem modo, & forma, quibus ab eodem Gregorio prædecessore concessa fuerat, perpetuò extenderit, & ampliaverit, prout in ipsius Pauli prædecessoris litteris, desuper in simili forma Brevis, die 9. Junii 1608. expeditis uberiùs continetur. Cumque quoddam Altare Ecclesiæ Domûs Regularis Fratrum dicti Ordinis, Oppidi Aquisgrani, præfatæ Provinciæ Coloniensis, quod in ea majus non est, privilegio præfato in vim indulti à præfatis Gregorio & Paulo prædecessoribus respectivè, sicut præmittitur, concessi, & ampliati decoratum reperiatur, ut autem devotioni Christifidelium ad Ecclesiam hujusmodi confluentium satisfieri possit, dictum privilegium ad Altare majus ipsius Ecclesiæ transferri expediat. Nobis propterea dictus Hieronymus humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ipsius Hieronymi votis hac in re favorabiliter annuere volentes, eumque à quibusvis excommunicationis &c. & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, privilegium supradictum à dicto Altari non majori ad Altare S. Gervasii, quod in eadem Ecclesia Domûs Regularis Oppidi Aquisgrani majus existit, servata tamen forma Indulti, & concessionis Gregorii, ac litterarum Pauli prædecessorum præfatorum, Auctoritate Apostolica, tenore præsentium perpetuò transferimus, ac translatum esse volumus, & declaramus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die XII. Novembris MDCLXXIII. Pontificatus nostri Anno tertio.

J. G. Slusius.

Breve formatum in Archivo generali Armario Provincia Coloniensis.

Paritatem votorum Ministris Provincialibus in Comitiis Generalibus concedit, & deinceps nova loca in Provincia sine recursu ad S. Sedem recipi posse declarat.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

AD pastorale fastigium, meritis licèt imparibus, divina dispositione evecti. *Residuum vide suprà fol.* 20.

Fr.

Fr. Eusebio Juliacensi, Serenissimi Principis Electoris Palatini Concionatori &c. ejusque socio nonnulla privilegia largitur.

INNOCENTIUS P. P. XII.

Dilecte Fili salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Religionis zelus, vitæ, & morum honestas, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita, super quibus apud Nos fide digno commendaris testimonio, Nos inducunt, ut te spiritualibus favoribus, & gratiis prosequamur. Nuper siquidem pro parte dilecti Filii, Nobilis Viri, Joannis Wilhelmi, Comitis Palatini Rheni, S. R. Imperii Principis Electoris Heidelberg. Nobis expositum fuit, quod, cum dilectus filius modernus Minister Generalis, Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupatorum Tibi, qui Frater expresse Professus Provinciæ Colonien. dicti Ordinis, ac in sacro Presbyteratûs Ordine constitutus, necnon verbi Dei Concionator existis, licentiam permanendi in Aula ejusdem Joannis Wilhelmi Principis Electoris, tamquam illius ordinario Concionatori concesserit, prædictus Joannes Wilhelmus, Princeps Elector, operâ tuâ, quam saluti Animarum, necnon Hæreticorum ad Fidei Catholicæ veritatem conversioni valde utilem hactenus expertus fuit, quò diutiùs ac liberiùs fieri possit, uti posse plurimùm desiderat. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut sibi in præmissis opportunè providere, &, ut infra, indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur Te, ac Joannem Wilhelmum Principem specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes &c. absolvimus, & absolutos fore censemus, quorum supplicationibus inclinati Tibi, ac pro tempore existenti socio Ordinis præfati professori, ut ad biennium tantùm de Superiorum vestrorum licentia apud dictum Joannem Wilhelmum Principem &c. permanere, ac in quibuscunque locis, in quibus Conventus dicti Ordinis non invenientur, in ipsius Jo: Wilhelmi Principis Palatio, seu decenti, & proxima Domo degere, & commorari, ita tamen, ut quandocunque, etiam durante biennio hujusmodi, à Superioribus vestris ad claustra vocari possitis; & interea memoratum Joannem Wilhelmum comitandi gratia, dum iter fecerit, quoties opus fuerit, rhedâ, seu alio vehiculo vehi liberè, & licitè absque ullius pœnæ per constitutiones Ordinis præfati quomodolibet impositæ incursu possitis, & valeatis, & vestrûm quilibet possit, & valeat, Auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis &c. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die XXIV. Septembris MDCXCV. Pontificatus nostri Anno quarto.

J. F. Card. Albanus.

Autog. in Secret. Brev. Apost. regesto mens. & anni præd. f. 233.

Ex Ecclesia Monialium S. Ursulæ Coloniæ Sacras Reliquias extrahi, & in Ecclesiis nostrorum Fratrum collocari, Archiepiscopo Colonien. seu ejus Vicario committit.

A tergo: *Venerabili Fratri, Archiepiscopo Coloniensi, S. R. I. Principi Electori, seu Dilecto Filio Officiali Colonien.*

CLEMENS PP. XI.

Venerabilis Frater, seu dilecte Fili salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Cum, sicut dilecti Filii, modernus Minister Provincialis, & Fratres Provinciæ Coloniensis, Ordinis Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupatorum, Nobis nuper exponi fecerunt, in Ecclesia Monasterii Monialium S. Ursulæ istius Civitatis Coloniē. ejusdem S. Ursulæ & ejus Sociarum Reliquiæ, ut piè creditur, asserventur, ipsique Exponentes particulas earumdem Reliquiarum inde extrahere, illasque in eorum Ecclesiis decenter collocare posse plurimùm desiderent; Verùm per quasdam litteras Apostolicas, sub certis ibidem expressis pœnis prohibitum reperiatur, ne reliquiæ prædictæ ex primodicta Ecclesia extrahantur. Nobis propterea dicti Exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportunè providere, &, ut infra, indulgere de Benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur ipsos Exponentes specialibus &c. volentes, & eorum singulares personas à quibusvis &c. censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Fraternitati Tuæ, Frater Episcope, seu Discretioni tuæ, Fili Officialis, per præsentes committimus & mandamus, quatenus, veris existentibus narratis, eisdem Exponentibus, ut ipsi Reliquiarum prædictarum

rum particulas ex supradicta Ecclesia Monialium S. Ursulæ, Civitatis prædictæ, de ejusdem Monasterii Monialium, & illarum Superiorum, seu aliorum, ad quos ea res spectat, consensu, ad effectum illas in prædictis eorum Ecclesiis decenter, ut petitur, collocandi, dictis autem Superioribus, vel Monialibus, seu aliis, ad quos ea res spectat, ut easdem Reliquiarum particulas dictis Exponentibus ad effectum præmissorum donare, & extractionem hujusmodi permittere liberè & licitè, ac absque ullius pœnæ, per litteras prædictas quomodolibet impositæ incursu, possint, & valeant respectivè, quamcumque necessariam & opportunam facultatem & licentiam, Auctoritate nostra Apostolica, arbitrio tuo concedas & impertiaris. Non obstantibus prædictis litteris, aliisque Ordinationibus & Constitutionibus Apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dicti Monasterii, etiam &c. statutis & consuetudinibus; privilegiis &c. innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores &c. derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum &c., die XII. Maii MDCCXIII. Pontificatus nostri Anno XIII.

F. Card. Oliverius.

Autog. in Secret. Brev. Apost. regesto mens. & anni præd.

DECRETO

Sac. Congreg. Episc. & Regul.

Erectio Missionis in loco Clemenswerth & assignatio Fundi ratihabetur.

Beatissime Pater.

Archiepiscopus Elector Coloniæ, humillimus Sanctitatis Vestræ Orator, exponit, quod Incolæ loci Clemenswerth, prius Hummeling nuncupati, Diœc. Monasterien. & in Hollandiæ confiniis situati, non solùm ex natura sua sint rudes & inculti, verùm etiam diversarum sectarum hæreticis circumdati, ita quidem, ut pro spirituali commodo, instructione & cultu in rebus Catholicæ Religionis indigeant. Cumque Orator, ceu prædictæ Diœc. Episcopus, æternæ Animarum saluti invigilare teneatur, nihil in hunc finem magis conducere censuit, quàm, ut in illis partibus species Missionis erigatur, & PP. Capucinis, viciniore Parocho, ad 4. milliaria Italica à loco distante, illius cura committatur, hinc tres Sacerdotes & Laicum dicti Ordinis ibi collocare statuit. Cum autem hi, suam sustentationem medio eleemosynarum ostiatim quærendarum, prout illorum requirit institutum, in illis partibus sperare nequeant, Orator ex proprio ære fundum 6. millium scutorum illius monetæ, quorum redditus pro iis alendis erogentur, facere decrevit, quatenus ab omni mundana cura liberati eorum industriam unicè, tùm ad Catholicos instruendos, eorumque salutem curandam, tum ad hæreticos vicinos convertendos impendant. Hinc assignationem hujusmodi Instituto Capucinorum contrariari Orator reminiscens, Sanct. Vestræ pro derogatione in hoc casu particulari, ob plurima commoda æquè Catholicæ Religioni, ac æternæ animarum saluti illius populi accessura supplicat, ita, ut in cæteris Missionarii juxta directionem, & instructionem ab Episcopo Oratore, & ejus in Episcopatu Successoribus recipiendam regulentur. Quod &c.

Sacra Congregatio Emin. & Rev. S. R. E. Cardinalium negot., & consult. Episcop. & Regul. præposita, ad quam Sanctissimus Dominus noster supplicem libellum remisit, attenta Relatione P. Procuratoris Generalis Ordinis, ac Apostolicum zelum & pietatem Archiepiscopi Electoris Instantis summopere commendando, ejusdem precibus benignè indulsit, eique facultatem tribuit erigendi præfatam piam Domum, sive Hospitium Capucinorum cum conditionibus, & cautelis sibi magis benevisis; ita tamen, ut Fundus alicui pio loco assignetur, cum onere, ut annui redditus per Syndicum præfatorum Religiosorum in ipsorum sustentationem integrè & fideliter subministrentur.

Romæ 15. *Januar.* 1738.

J. Card. Firraus Præf.

Exemplar aut. in Archivo Provinciæ.

NO-

NOTA.

Plissimam voluntatem, & Fundationem Serenifs. Princeps Elector ad perpetua tempora firmavit, subnexo instrumento.

In Nomine Sanctissimæ, & individuæ Trinitatis.

Clemens Augustus, Dei Gratiâ Archiepiscopus Coloniensis, S. R. I. per Italiam Archicancellarius & Princeps Elector, S. Sedis Apostolicæ Legatus natus, Militiæ Hierosolymitanæ Ordinis B. M. Teutonicorum Borussiæ Generalis Administrator, ac Ejusdem per Germaniam, Italiam partesque transmarinas supremus Magister, Episcopus Monasteriensis, Hildesiensis, Paderbonensis, & Osnabrugensis, utriusque Bavariæ superioris Palatinatus, Westphaliæ, & Angariæ Dux, Comes Palatinus Rheni, Landgravius Leuchtenbergæ, Burggravius Strombergæ, Comes Pyrmontanus, Dominus in Boukelohe, Werth, Freudenthal, & Eulenberg.

Cum aliàs ex Pastoralis Officii debito omnes & singulos Religiosos, qui spretis sæculi opibus amore Domini Salvatoris nostri Jesu Christi, ejusque perfectius imitandi studio voluntariam paupertatem amplexi sunt, Paternâ dilectione peculiariter prosequamur, ex illis ipsis tamen âmplicri favore & benevolentiæ nostræ ostensione dignos censemus eos, qui pro Dei Gloria & Animarum divinitus nobis concreditarum salute procurandâ magis industriè & fructuosè laborare probantur, Quapropter intentâ animi consideratione reputantes Nobiscum copiosos animarum fructus, quos aliquot jam annorum lapsu in Hummelingæ tractibus, ubi haud pridem exstructâ pro Nostrâ, & Successorum pro tempore Nostrorum commoditate, & commoratione magnifica Arce, quam Clemens Werdam nuncupari voluimus, è regione ejus Ecclesiam quoque Divino cultui sumptuosè erectam, & ornatam sub invocatione Beatissimæ Virginis Dei Genitricis in Cœlum assumptæ dedicavimus, eidemque Ecclesiæ sub eodem tecto Residentiam seu Domum Religiosorum Virorum habitationi percommodè aptatam adjunximus, quibus incumberet curare decorem Domûs Dei, inibique pro Nostrâ & Serenissimæ Domûs Bavaricæ salute & incolumitate, nec non pro felici ac diuturno populorum curæ nostræ divinâ volente providentiâ commissorum regimine supremo Cœli & Terræ Domino incruentam Hostiam indies immolare, aliisque sacris ministeriis secundùm instituti sui rationem ritè deservire acciti illuc à Nobis dilecti Filii de Ordine S. Francisci Seraphici Religiosi Patres Capucini Sanctissimæ Ecclesiæ Sacramenta fideliter & indefessè administrando, Verbum Dei solerter prædicando, prima Fidei rudimenta juxta Catechismi Romani methodum ac præscriptum per omnem latè Regionem, ac Pagos vicinos rudem populum puerosque edocendo hactenus protulerunt, ingenti cum incolarum & accolarum, præsertim ex confinibus Hollandiæ Oppidis sub Hæreticorum dominatu, tam salutaribus salutis æternæ remediis destitutis ad præfatam Ecclesiam pagosque vicinos SS. Ecclesiæ Sacramenta, sanamque Verbi Divini doctrinam & incorruptæ Catecheseos explanationem à Patribus excipiendi causâ confluentium solatio & spirituali emolumento, Nos tam evidentibus causis persuasi pietati, æquitati & munificentiæ nostræ admodum congruere censuimus laudatorum Patrum labores & industriam tam subditorum illic nostrorum, quàm accolarum saluti adeo proficuam peculiaribus beneficiis & Clementiæ Nostræ significationibus remunerari.

Nos igitur sincero majoris Divinæ laudis & gloriæ intuitu atque ferventi animarum salutis promovendæ zelo impulsi, supràque memoratos spirituales animarum fructus perpetuos esse, & in omnem retro posteritatem uberrimos promanare cupientes, sperantes insuper hac nostrâ devota voluntate divinam Benedictionem Nobis & Serenissimæ Domui Bavaricæ, Populisque Nobis subjectis impensiùs demereri, Deo inspirante, decrevimus in favorem Religiosorum Ordinis S. Francisci Seraphici Patrum Capucinorum Fundationem & dotationem stabilem in omne ævum permansuram facere, eumque in finem residentiam seu domum loco suprà memorato eorum habitationi paratam unà cum mobilibus ad eam pertinentibus ipsis Religiosis Patribus, & eorum de eodem Religioso Ordine pro quovis futuro tempore successoribus in habitationem, nec non hortum cum pomario post Residentiam situm ad eorum usum tradere, & in perpetuum consignare, quemadmodum vigore præsentium actualiter tradimus & consignamus: Insuper quò minus ipsos ad victum quotidianum comparandum eleemosynas colligendi necessitate, à Divino cultu & animarum salutari culturâ, quovis modo impediri contingat, tum etiam, ut Nostræ in eos munificentiæ luculentum ad posteros extet monumentum; Nos de redditibus annuis eorum sustentationi abundè sufficientibus ex propriis Nostris bonis Patribus provideri volentes, in dotationem residentiæ summam pecuniæ 11250. Imperialium in Capitalibus ex propriis Nostris possessionibus ad Censum annuum locatam & constitutam, utpote quà summâ Cameræ Nostræ Monasteriensis debita, testantibus idipsum recognitionum documentis, in Archivo Vicariatûs Generalis Monasteriensis existentibus, & in copiis vidimatis residentiæ hujus Domui traditis relicta sunt, Patrum sustentationi in perpetuum eatenus consignamus, ut Capitalia ipsa consumendi minuendive facultate præscisâ, ac prorsus sublatâ, ex Capitalibus ipsis Patres Residentiæ, qui nunc eam incolunt, & qui pro quolibet futuro tempore horum in eadem Residentia successores existent, pensiones seu census integros annuatim summam 450. Imperialium constituentes quotannis percipiant. Præterea Patribus clementissimè indulgemus & concedimus facultatem in perpetuum permansuram, ut ipsi, eorumque Successores ex sylvis Clemens Werdam circumjacentibus ligna annuatim decidua colligere, eorumque usu pro culinæ suæ foco aliisque necessitatibus & commoditatibus suis frui valeant, districtè prohibentes omnibus & singulis, ne ipsos Patres quoad hoc prohibere vel impedire quisquam præsumat. Omnia verò & singula superiùs specificata commoda & emolumenta Patres Residentiæ, qui nunc eam incolunt & illorum successores pro tempore futuri eâ lege, & conditione

per-

percipient, ut Residentiam à Nobis, sicut præfatum, fundatam & dotatam, perpetuis retro temporibus incolant Religiosi de dicto Ordine Sancti Francisci Seraphici, Patres & Fratres Capucini numero sex, nempe Pater Præses cum quinque aliis, inter quos unus aut duo Fratres Laici.

Porro Patres sub strictâ obligatione in perpetuum tenebuntur præstare sequentia, in quorum obligationem Definitorium die 16. hujus habitum, conceptis in originali hîc annexo per semetipsum verbis consensit hoc tenore & modo.

Primò In dies dicetur una Missa, & post ipsam Lytaniæ pro felici ac longo regimine pro impetranda temporali æternaque Beatitudine Serenissimi Electoris, ac munificentissimi Benefactoris & Fundatoris nostri Clementis Augusti.

Secundò Manet hæc obligatio post (concedat Deus remotam) mortem pro dilectissimâ Serenissimi Anima, si indigeat, aliàs pro Defunctis ex Serenissima Familia Bavaricâ.

Tertiò Singulis diebus Sabbathinis (nisi ob Festum cadens alia Benedictio detur) cum expositione Sanctissimi dicetur Rosarium cum Lytaniis Lauretanis pro Serenissimo.

Quartò Diebus Dominicis & Festivis, nisi casus extraordinarius contingat, erit concio & vespere Benedictio.

Quintò Unus Patrum diebus Dominicis, nisi dura infirmitas aut alius casus impediat, in pagis catechizabit.

Sextò Patres assumunt reparationem residentiæ & tecti Ecclesiæ, quoad internum verò ornatum, scilicet picturam, laborem Italicum ex gypso, etiam quoad Altare & Cathedram, & quæ ex marmore, casu quo Dominus temporalis eorundem reparationem non curaret, horum restaurationem Patres assumunt, sed modo Capucinico, prout in Ecclesiis eorum ordinariis fieri solet, ostendet nihilominus quilibet pro tempore Præses aut Superior zelum decoris domûs Dei.

Septimò Tenebuntur Patres conservare lumen perpetuum coram Venerabili, nec minus subministrare cuncta, tam quæ ad Sacristiam, quàm Sacrificium Sanctum peragendum requiruntur.

Quamvis autem de Patrum diligentiâ & fidelitate in satisfaciendo prædictis obligationibus minimè ambigamus, nihilominus, ne quid unquam earum per longinquitatem temporis in oblivionem veniat, conscientiam eorum, uti & Patris Provincialis desuper gravamus. Ut igitur Patres, eorumque deinceps futuri Successores Domûs Residentiæ, omniumque mobilium ad eam pertinentium, horti cum pomario adjacentis, censuum quoque, seu pensionum ac lignorum in præcedentibus specificè memoratorum respectivè, habitatione, usu, fructibus, perceptionibus annuis in omnem retro ætatem liberè ac pacificè gaudeant ac perfruantur, Nostros pro tempore futuros Successores & Cathedrale Capitulum Monasteriense paternè hortamur, eisque impensè commendatum cupimus, ut hujus Nostræ piæ voluntatis ac fundationis, sede plenâ vel vacante, perpetuos sese Fautores, Defensores, ac Tutores exhibere non graventur, & Residentiam, & Patres contra quaslibet personas quovis modo, vel ingenio aliquid adversùs hanc nostram dispositionem, & fundationem moliri attentantes, suâ authoritate & potestate, quà temporali, quà spirituali tueantur atque defendant, pœnis tum corporalibus, tum spiritualibus coerceant eos, qui fortè in prædictis Patres iniquè molestare, vel vexare præsumpserint, quatenus & ipsi Servorum Dei defensione, & tutela gratiam, & Benedictionem temporalem & æternam ab Omnipotente rerum omnium Domino sibi acquirant. Denique ut hujus nostræ dispositionis & fundationis Authoritas per successiva tempora stabilis, & inconcussa in omne ævum permaneat, hanc paginam manûs propriæ subscriptione roborantes, sigilli nostri impressione insigniri præcepimus. Actum in loco ClemensWerdæ Anno Dominicæ Incarnationis 1742. Die tertia Novembris in festo S. Huberti.

Clemens Augustus, Archiepiscopus, & Elector
Infimus Fundator.

Authographum in Archivo prædicto.

Zelo Serenissimi Fundatoris promptissimo obsequio accessit Reverendissimum Cathedrale Capitulum Monasteriense, fundationem confirmando; uti sequitur.

Quandoquidem Nos Decanus, Senior & Capitulum Cathedralis Ecclesiæ Monasteriensis intus scriptam Serenissimi Electoris Coloniensis, Principis & Episcopi nostri clementissimi fundationem, præhabitâ maturâ deliberatione non tantùm piam, & laudabilissimam, sed etiam ad promovendum Dei, Deiparæque Virginis cultum utilissimam esse, & fore comperimus, gratiosissimè desideratam desuper confirmationem nostram sigilli nostri majoris appressione, & jurati Secretarii subscriptione impertiendam esse duximus, prout eandem hisce impertimur, ex Congregatione nostrâ Capitulari die vigesima sextâ Mensis Januarii Anni millesimi septingentesimi quadragesimi tertii.

In Fidem

Franciscus Hermannus Keukerinck Secretarius.

Autogr. in Archiv. Provinc.

Ferdinandi Comitis de Plettenberg &c. Fratribus novam Domum in ſuo Comitatu Wittem conſtruentis pietatem laudibus ornat.

CLEMENS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Attulerunt Nobilitatis tuæ litteræ ingens profectò paternæ noſtræ Charitati gaudii argumentum, dum eorum, quæ Tibi pro re Catholica commendari juſſimus, exactam â Te rationem habendam eſſe polliceris. Verum avitæ tuæ pietatis, & magnanimi Spiritûs exemplum eſt filiale hoc erga Nos, & Sanctam Sedem obſequium, eò inſignius, dum eodem tempore cor tuum tradis ad vigilandum diluculo, & ad coercendam in Dynaſtiis tuis hæreſeos potentiam, in Comitatu tuo Wittem Religioſo Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum Ordini novam Domum conſtruis. Opere nomini tuo, tam decoro, alioque multiplici virtutis tuæ ſemine non ſolùm integros gloriæ manipulos metis, ſed etiam Pontificiæ benevolentiæ, propenſæque in tua commoda noſtræ voluntatis officia Tibi concilias. In quorum pignus Apoſtolicam Benedictionem Tibi peramanter impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die xx. Novembris MDCCXXXIII. Pontificatus noſtri Anno quarto.

Vincentius Lucchesinius.

Autogr. in Archivo Secr. Brevium ad Principes *Reg. menſ. & anni præd.*

N O T A.

Fundavit & Excellentiſſimus Dominus Comes Domum hanc in gloria & laude Fratrum, quam uberem inſeruit Inſtrumento deſuper confecto, ut ſequitur:

Nos Ferdinandus, Sacri Romani Imperii Comes de Plettenberg & de Wittem, L. B. de Eiſtet, Schlenacken, Dominus in Nortkirchen, Meinhovel, Davensberg, Lembuk, Capelle, Nurburg, Gulpen, Margrathen, Bolzum, Hemmerich, Kenten, Quadrat, Ulmen, Alroth, Buxfordt, Geisbak, Haſelbung, Grotenhauſſ, Hagenberk, Empte, Coppel, Lacket &c.

Cammerarius Hæreditarius Archi-Epiſcopatûs Colonienſis, Marechallus Hæreditarius Archiepiſcopatûs Monaſterienſis, aurei velleris Eques, Sacræ Cæſareæ, ac Catholicæ regiæ Majeſtatis Conſiliarius intimus, Sereniſſimi Electoris Colonienſis primus Miniſter Statûs, Archipræfectus aulæ & Archicammerarius.

Poſteritati pateſcere cupimus, quod, quamprimum ejuſdem S. R. I. Comitatum de Wittem unà cum Dynaſtia imperiali de Eiſt, ac nonnullis aliis pagis illuc ſpectantibus emptionis titulo acquiſivimus, ibidem ſucceſſivis temporibus quandoque præſentes, ſollicitudinum noſtrarum partem non minorem impendimus circa ea, quæ ad divini cultus augmentum, & animarum ſalutem quidquam conferre poſſent, præſertim cum in locis prævaleat ſecta Calviniana, jam dudum à Sacra Sede Romana in Conciliis Oecumenicis damnata, & quæ futuris temporibus pedetentim irrepere aliquando poſſet; tanto periculo obicem & ſcutum opponere ſtudentes, præhabita matura deliberatione decrevimus, atque ſtatuimus in noſtro Comitatu de Wittem exſtruere Monaſterium Religioſorum Virorum, qui inibi manentes & BB. Patrum vitam ſectantes, diu noctuque omnipotentis Dei laudes canere, ac indefeſſis precibus divinam clementiam exorare valeant, ut ejuſmodi hæreſin, cæteraque mala ab hoc Comitatu paternè avertere dignetur, atque ſubditos noſtros in ſancta unicè ſalvifica fide Romano - Catholica conſervare, rati hujus noſtræ piæ intentionis & decreti executionem Altiſſimo non ingratam fore.

Itaque manum operi tam ſalubri admoventes prædictum Monaſterium ex propriis mediis, divina duntaxat Providentia adjutrice, extruximus, & nunc tandem perfectum RR. PP. Capucinis Provinciæ Colonienſis, Religioſæ diſciplinæ exactis cultoribus, & quos ſemper ſpeciali favore noſtro proſecuti ſumus, & , quoad vixerimus, proſequemur, ſub ſequentibus legibus unà cum horto, cæteriſque ædificiis muro cinctis, ex nunc & impoſterum juxta Ordinis ſui conſtitutiones perpetuò poſſidendum tradidimus, prout tenore præſentium tradimus & donamus, ita tamen, ut numerus Religioſorum ibidem degentium nullo unquam tempore vigeſimum excedere poſſit, ne ſubditi noſtri, à quibus eleemoſynas Chriſtianas colligere illis conceſſum, & quibus juxta regulam ſuam unicè ſe alere & nutrire poſſunt, plus æquo graventur, dum per ipſos voce & exemplo prælucentes cœleſti pabulo reficiuntur, & mediante verbi divini declamatione in ſancta, quam profitentur, Catholica Fide roborantur.

Porro Eccleſiam juxta præfatum Monaſterium ædificatam, & annuente Deo brevi in honorem Divi Joannis Nepomuceni, necnon Sancti Patris Franciſci conſecrandam, nobis & ſucceſſoribus noſtris Comitibus de Wittem reſervamus, volentes eam taliter ex voto noſtro exſtructam pro Capella Caſtrali privata noſtra nunc & in futurum haberi, Patribus in eadem tantùm exercitio divino conceſſo,

Reſervamus quoque Nobis & ſucceſſoribus noſtris Comitibus prædictis hujus Monaſterii in modum prælibatum

ipſis

ipsis cessi & donati alam anteriorem juxta dictam Capellam, à latere dextro versùs urbem Aquisgranensem existentem, ut eam opportunis & quibuscunque temporibus occupare valeamus & valeant, nolentes dictis Patribus fas esse absque nostro aut Successorum nostrorum prærequisito & obtento consensu, illius alæ partem vel minimam sibi arrogare, eam immutare, aut ad illorum qualemcunque usum adoptare, quamvis aliquando contingeret Comites Successores nostros aliis seu in longè dissitis Terris, aut Provinciis residentias suas habere,

Cum autem intentio nostra præcipuè in Divini nominis honorem collimet, Nosque prædictis Patribus tradendo & donando memoratum Conventum, Nobis & successoribus nostris Ecclesiam & priorem alam reservantes, nullatenus velimus eos, quavis via in regulari disciplina turbare, quin potius in perfecta ejusdem observantia, eos animare, & fovere intendamus, hinc declaramus & decernimus, ut regularis clausura semel introducta sub nullo prætextu à successoribus nostris violetur, Patribusque concedimus, ut illam conformiter Ecclesiasticis statutis illæsam servent, reservato tantùm jure Nobis successoribusque nostris in Comitatu cum conjugibus, liberisque nostris etiam aliis personis spectabilibus utriusque sexus clausuram ingrediendi, prout talis facultas Nobis tanquam fundatori Monasterii, & Domino territoriali competit.

Si tractu temporis, quod avertat Deus, contingeret, ut Comitatus Wittemiensis à familiæ nostræ successoribus ad manus Acatholicas degeneraret, eo casu Nos præsentium tenore Ecclesiam, & priorem alam Patribus Capucinis sub Dominio à Constitutionibus & Sanctionibus Sacræ Sedis Apostolicæ præscripto concedimus, ac donamus, ita ut dicta Ecclesia & ala à successoribus nostris nullo modo alienari, aut ad Dominium Acatholicorum transferri valeat, tum quoque præfatam Nobis & successoribus in priori articulo reservatam facultatem ingrediendi Clausuram cassari volumus.

Quæ omnia & singula, dum hisce tradimus & donamus, nihil aliud à RR. Patribus Capucinis præstolamur, nisi ut Nos nostrosque successores benefactorum suorum catalogo inscribant, sicque pro nobis ac familia nostra, prout apud ipsos fieri consuevit, quotidie preces suas in Choro, & post mensam fundant. Ita actum in arce nostra Wittem 16. Maii 1733.

Ferdinandus Comes de Plettenberg & Wittem.

Autogr. in Archivo Provinciæ.

D E C R E T O

S. Congregat. de Propag. Fide.

Usus proventuum Ecclesiæ Parochialis Stolbergensis Fratribus nostris ibi existentibus conceditur.

Beatissime Pater.

SAnctitati suæ profundissima submissione expono, qualiter in Dynastia mea Stolbergensi ab annis pluribus Sacellani pro tempore, Arcis curam Pastoralem exercuerint, quem in finem prædecessores mei salarium annuum 120. Imperialium eisdem liberè ac gratiosè elargiti sunt, prout & ego in præsens præstiti.

Cum autem Hæreses in prælibato loco, ejusque vicinia liberius grassari cœperint, ita, ut pagus integer paucis ab hinc annis fidem Orthodoxam deseruerit, antiqua tempesceret devotio, majusque de die in diem perversionis periculum præsens status minaretur, idcirco tam ob instantes subditorum meorum preces, quàm fidei salvificæ zelo & conscientiæ stimulo incitatus, pro salubri remedio laborandum censui: cumque PP. Capucinis eadem ex causa Apostolicæ Missionis munus in diversis hisce partibus non sine ingenti animarum lucro demandatum fuerit, ita, ut prætermissis aliis, in unica duntaxat Missione, ubi 18. tantùm Fidem Chatolicam profitentes invenerunt, nunc præterlapso aliquot annorum spatio ultra sexcenti numerentur communicantes, & ego duos pariter PP. Capucinos in desolatorum catholicorum subsidium, ad fatam dynastiam meam Stolbergensem destinari curavi, quibus & necessaria subministro. Patres memorati vix comparuerunt, mox illi introducere Rosarium Beatæ Mariæ Virginis, collapsam suscitare devotionem, diu noctuque consolare infirmos, ignorantes instruere, confortare catholicos &c. cœperunt, ita, ut collapsa pietas, Sacramentorum usus, cultusque divinus novo quasi spiritu refloruerint, prout fide dignis subditorum meorum testimoniis, cum ingenti cordis mei jubilo edoceor, ipsique hæretici tam Lutheri, quàm Calvini dogmata sectantes, ibidem præpotentes, quorum quatuor modò familias singularis prælibatorum Patrum industria ad Sanctæ Ecclesiæ gremium reduxit, eosdem ob semotum à cupiditate animum, suavem conversandi methodum, exemplaris vitæ splendorem &c. singulariter venerantur.

Hæc sunt, quæ me ad pastoralem, quam (uti suprà memoravi) Sacellani antea exercuêre, curam salubriori PP. Capucinorum Missioni defferendam induxerunt, hâc ego de causa ad pedes Sanctitatis suæ supplex accedo, humillimè rogans, quatenus authoritate Apostolica pro dictis Patribus Capucinis Missionem instituere, animarumque curam de-

mandare clementissimè dignetur, eò vel maximè, cum & illam Serenissimus Archiepiscopus noster Coloniensis Clemens Augustus per quam sibi gratam asseruerit, & ego quà Dynasta loci dictum meum jus præsentationis ad stabilem missionem libens transferre, ac de honesta sustentatione Patribus ulterius providere mentis sim.

Gratiam igitur hanc pro fidei incremento, ac animarum salute à sanctitate suâ humillimè exoro, eidem faustissimum regimen ad annos plurimos humillimè apprecor, qui in profundissima subjectione sum.

Sanctitatis suæ.

Obedientissimus Filius, & Servus.

Henricus Ferdinandus Lib Baro de Cortenbach, Dominus in Lawenburg, Newenburg, Stolberg &c.

Adjunxit huic libello supplici P. Provincialis alium & sequentem:

Eminentiss. ac Rever. Domini.

Pater Franciscus Hildesiensis, Minister Provincialis Provinciæ Coloniensis, Ordinis Minorum S. Francisci Capucinorum Eminentiis vestris denuò reverenter exponit, Religiosos Capucinos, ejusdem suæ Provinciæ de prævio benignissimo consensu Eminentissimi, & Serenissimi Archi Episcopi Electoris Coloniensis tanquam Ordinarii æque, ac Serenissimi Electoris Palatini, ceu supremi Domini Territorialis, tanquam Operarios in vineam Domini jam ab Anno 1737. evocatos esse ad locum Stolberg, Territorii Cliviensis & Archi-Diæcesis Coloniensis, situm in medio Nationis pravæ, cum plena facultate altefati Eminentissimi Ordinarii administrandi ibidem curam animarum periclitantium, & reparandi cultum Divinum juxta ritum S. Matris Ecclesiæ Catholicæ; prout extructâ ibidem pro Patribus Operariis Religiosâ Residentiâ ejusmodi munus Apostolicum ad plenam Principum, & Populorum satisfactionem, & consolationem toto zelo, prudentiâ & discretione adimpleverunt, & etiamnum adimplere pergunt, nemine obstante, aut contradicente, uti fusius patet ex appositis copiis Authenticis. Cum autem ipsemet altefatus Eminentissimus Ordinarius pro sua ad Sanctam Sedem Apostolicam devotione, & hujus operis majori firmitate, meritò velit, ut ex parte hujus nostræ Coloniensis Provinciæ ad Ecclesiam sæcularem inibi administrandam consensus Româ obtineatur. Ideo idem humillimus Orator Eminentiis Vestris impensissimè supplicat, ut eandem Residentiam Stolbergensem inter Missiones Apostolicas annumerare, sibique benignè concedere dignentur, ut Religiosi illuc destinati, vel destinandi, & ab Ordinario approbati, seu approbandi, tanquam Missionarii Apostolici, munere suo ritè persungi possint & valeant. Quam gratiam eò faciliùs ab hac Sacra Congregatione se obtenturum esse confidit, cum eadem Provincia Coloniensis, antequam Anno 1668. authoritate Apostolicâ à Provincia Rhenanâ fuisset divisa, & in distinctam Provinciam constituta, tota fuerit Missionaria cum omnibus & singulis facultatibus, Præfectis Missionum concedi solitis.

Quam gratiam Deus &c.

Relato per Eminentissimum, ac Reverendissimum Dominum Cardinalem Portocarrero supra posito utroq; supplici libello, S. Congregatio rescripsit, ad Dominum Secretarium, cum Sanctissimo, pro dispensatione ad effectum dumtaxat, proventus parochialis Ecclesiæ de Stolberg, cui inserviunt, pro suá sustentatione capere & sumere.

In audientia autem Sanctissimi Domini nostri BENEDICTI *Papæ XIV. habita per P. D. Nicolaum Lercarium, dictæ Sacræ Congregationis Secretarium die 21. Mensis ejusdem Februarii, Sanctitas sua cum prædictis Patribus Capucinis benignè dispensavit ad effectum, ut supra.*

Datum Romæ ex ædibus præfatæ Congregationis die 23. prædicti mensis & anni 1745.

V. Card. Petra Præfectus.

Autograph. in Archiv. Provinc.

PRO-

PROVINCIA RHENANA.

A *Rheno, notissimo Germaniæ Fluvio, quem accolit, etymologiam hauriens, Cœlo influente concepta est hæc Provincia, dum Joannes Svicardus à Crònberg, Archiepiscopus Moguntinus, & S. R I. Princeps Elector, Deiparæ, & Seraphici Patris Francisci apparitione monitoque directus, anno reparatæ salutis millesimo sexcentesimo decimo à P. Hieronymo à Castro Ferettorum, tunc Congregationis nostræ Generalem clavum moderante, Operarios pro arvis Moguntinis per Litteras requisivit sequentes:*

Joannes Svicardus Dei Gratia Archiepiscopus Moguntinus &c.

Reverende, Devote, Nobis in Christo dilecte.

Etsi ad eam, quam hactenus continuis aliquot annis in commissa hac Nobis divinitus Archi-Diœcesi nostra Moguntina, indefesso studio, ac sollicitudine ursimus Catholicæ pietatis, & Fidei restituendæ, reformandæque contentionem, neque Divini Numinis clementia, neque Operariorum in Vinea Domini strenuè, & fideliter laborantium opera, & diligentia unquam defuerit, eâque re id consecuti simus, ut, quod antea desperatum videbatur opus, id nunc prope confectum, & ad ultimam coronidem perductum videatur: non desistimus tamen id, quod in magnæ molis structuris necessarium autumamus, undequaque scilicet præsidia & fulcra inquirere, quibus tam Sanctæ Reformationis nostræ ædificium non muniamus solùm, sed & perpoliamus, atque illustremus.

Cum itaque præter cæteros Religiosorum Virorum Ordines, quibus Ecclesia, & Provincia hæc nostra Moguntina minimè caret, imprimis etiam Patrum Capucinorum doctrina & pietas, concionandique dexteritas, & lucrifaciendorum hominum felicitas præclara & celebris sit, eaque res ad amorem & studium eorundem non mediocriter Nos inflammaverit, constituimus & illis, adjuvante Do-

Domino (cujus unius gloriæ universa consilia nostra consecravimus.) hïc in Urbe nostra Moguntina locum facere, eorumque tum operâ & doctrinâ, tum inculpatæ vitæ exemplo & moribus sanctis, quibus imprimis fulgere perhibentur, ad Populum nostrum in prisca fide & pietate confirmandum, tum verò etiam ad cæterorum, qui in hoc genere non pœnitendam Nobis operam locant, & Religiosorum & Sæcularium Clericorum labores, & molestias sublevandum uti.

Cæterùm, quia non dubitamus ad profectum Ecclesiæ interesse multùm, talibus uti Ductoribus, quibus indoles & ingenium Populi aliquatenus sit perspectum; præterea etiam pietas atque obedientia dictorum Patrum non ferat, ut insciis & inconsultis suis Superioribus statione sua cedant, atque aliò tanquam novam in messem commigrent, consultissimè Nos facturos putavimus, si hâc de re ante omnia ad Paternitatem Vestram, velut istius Ordinis Præpositum Generalem perscriberemus, ejusque consilio & voluntati omnia relinqueremus. Satisfecerit autem pro hac vice desiderio, & voluntati nostræ abundè, si ad summum Personas quatuor, vel quinque Ordinis sui, partim & maximè Sacerdotes Professos, partim etiam laicos, Germanos tamen omnes, & qui cœli hujus, & hominum temperiem tollerare, Nobis etiam commodo, atque adjumento esse possint, ad Nos facultate necessaria instructos miserit; providebimus illis de commodo Residentiæ loco, & honestæ sustentationis adminiculis, ut & precibus suis vacare, & coeteris superesse necessitatibus, nostrum verò præprimis erga se amorem & benevolentiam argumentis semper liquidis perspicere valeant. De Paternitate verò sua, si (quod vehementer cupimus, & desideramus.) id Nobis officii tum seligendis, tum transmittendis Patribus illis præstiterit, etiam atque etiam curabimus, ne datâ opportunitate mutuas sibi gratæ voluntatis vices defuisse queratur.

Datæ in Arce nostra Sancti Martini in Urbe nostra Moguntina die 16. Maii 1608.

Provincia per graves hasce Litteras, & subsequum dati à prædicto P. Hieronymo consensûs rescriptum ita concepta, in lucem publicam emersit, Ordinique & Ecclesiæ nata est, dum conducti, condictique Cultores ad annum millesimum sexcentesimum undecimum ex Flandro-Belgica Provincia appulerunt, primamque ibi & manum Apostolicam exeruerunt, & stabilem Familiam locaverunt.

Novos hos novæ vitæ, Sacræque Prædicationis satores dum Antonius Albergatus ad tractum inferioris Rheni Apostolicus à latere Nuntius, & Vigiliarum Episcopus, favoribus multis complectens, ac ab eorum fructu, quem uberem in vicinis Episcopatibus ferebant, spem suam adæquari lætans, ipsos ex jussu & annutu Pauli V. Pontif. Max. Missionarios Apostolicos creavit, & postmodum sacer de propaganda Fide Senatus, Rhenanæ Provinciæ nomine Apostolicam Missionum matriculam adauxit. Inimicus quidem homo (Religiosâ veste contectus) gemmantem Provinciæ florem sparso Romam usque subdolæ delationis lolio suffocare nitebatur, protexit autem Fratres à Conventu malignantium Serenissimus Archiepiscopus, & Princeps Elector Moguntinus per litteras, ad Summum Pontificem subjunctâ formâ exaratas:

BEATISSIME PATER.

Per communem rumorem haud absque animi moerore intellexi, qualiter quidam, nescio, quo spiritu ducti, tum occultis machinationibus, tum apertis

& si-

& ſiniſtris informationibus Sanctitatem Veſtram, ſicut & Eminentiſſimos Cardinales S. Congregationis ſuper Regulares ſubdolè eò inducere præſumant, ut Fratres Minores S. Franciſci Capucini, per Apoſtolicas Sanctiones, à munere excipiendi Confeſſiones Fidelium in hiſce partibus, ſub frivolo prætextu, quaſi fuerint ad id muneris minùs idonei, arceantur, non obſtante ipsâ notoreitate & experientiâ, quod ſcilicet Fratres Capucini, in ſectanda vita Apoſtolica, imitanda paupertate Crucifixi, zelo Animarum, quinimo & in ſana ſolida doctrina, non ſolùm nulli Ordini hodiedum cedere, verùm etiam reſpectivè pleriſque quaſi palmam præripere videantur; proindeque pro convertendis hæreticis, conſervandis Converſis, & malis Chriſtianis, excipiendis Confeſſionibus reverà aliis multò magis idonei cenſendi ſunt, maximè cum vigore Ordinis, & Inſtituti ſui, ſpretis corporalibus emolumentis (quibus ſæpiuſculo alii nimium, prô dolor! inhiantes, parum in procuranda Fidelium ſalute proficiunt) ſolùm Animarum lucrum ſectari videantur: prout etiam noſtra Germania, & in ſpecie meus Epiſcopatus Spirenſis, ubi propter vicinitatem Acatholicorum & paucitatem Operariorum idoneorum, operâ Capucinorum citra Fidei Orthodoxæ præjudicium nequaquam carere poſſum, & omnes mecum Archiepiſcopi, & Epiſcopi harum partium ultramontanarum abundè teſtari poſſunt, quantùm videlicet fideles ſæpe dictorum Religioſorum verbo & opere multùm pollentium, doctrinâ ſanâ, vitâ, exemplo & inſtructione profecerint. Proinde ad cavendum in his partibus univerſale ſcandalum & periculum publicæ commotionis in populo, ac deſolationis tot millium Animarum, ab Ordine iſto tum converſarum, tum conſervatarum, alioquin in hiſce præſertim bellorum & hæreſum fluctibus maximè periclitantium, ſupplico Sanctitati Veſtræ omni, quâ poſſum, reverentiâ & ſubmiſſione, quatenus rejectis illis frivolis æmulorum machinationibus ſepe mentionati Religioſi Capucini ad Dei majorem gloriam & Sanctæ Matris Eccleſiæ ſubſidium, in Sacramentalis Confeſſionis adminiſtratione ſedula, verbi Dei prædicatione ferventi, ſalutiſque Animarum propagatione, quibus muneribus hactenus laudabiliter, & ſine offenſa, omni meâ ſatisfactione in meo Archiepiſcopatu Trevirenſi, & Epiſcopatu Spirenſi occupati fuerunt, in iiſdem quoque Sanctitatis Veſtræ authoritate manuteneantur, confirmentur, imò novis indultis pro ſecuriori melioríque Animarum ſalute in meis jam dictis Eccleſiis procuranda cumulentur; ſiquidem eò uberiores in Vinea Domini fructus ſperandi exſpectandique ſint, quò ferventiores & magis idonei Operarii, velut Legis Dei & Animarum puri zelatores, nullius verò proprii commodi cultores in ea excolenda conſtituti & applicati fuerint. Hiſce me &c.

Datum Treviris 25. Aprilis Anno 1650.

Philippus Chriſtophorus.

Protecto, & aucto ſic Rhenenſium nomine, auctiſq; eorundem Cœnobiis cenſuit Clemens PP. IX. multiplicatam hanc Familiam in duas dividendam Provincias; quod, dum Anno milleſimo ſexconteſimo ſexageſimo octavo P. Prothaſio Mediolanenſi committitur, unam is Provinciam nomine Colonienſis *inſignit, & alteri primigenium nomen relinquit.*

Hæc itaque Rhenana Familia à primo ſuo mane, uſque in præſentem meridiem in Agro Dominico ſtare, proficere ac deſudare aſſueta, ſuos per Alumnos, ac per hos in horrea Eccleſiæ illatos manipulos, vocationis ſuæ numeros ſtuduit adimplere. Duas Civitates, Benshemium videlicet, & Lobram, tria Oppida, ſcilicet, Saxoregium, Hernshemium, & Burgsinam, ac tres Pagos, nempe Fellen, Wangenrodam, & Renger-

gersbrunn, individua verò hominum multa millia ad Fidei veritatem reduxit, ac Pagum unum in ea periclitantem servavit.

Parochias quinquaginta sex, inter hæreticos sitas, aliisque Sacerdotibus orbas annis multis copioso cœli fœnore curavit, purgavit, & auxit, quarum undecim regit, & curat usque in hodiernum diem. Res verò in iis optimè gestas loquuntur publicæ tabulæ in Ecclesiasticis & Sæcularibus Curiis conditæ, firmant fide dignorum testimonia, tum Philippsburgi ab Excellentissimo Comite de Stahrenberg, tum à Scabinatu Hernsheimensi, tum à Cœtu Catholico Manhemii, & Brettenæ, tum à Senatu Bruchsaliensi, tum à Serenissimis Electoribus Moguntino & Trevirense data, & videnda, vel in Provinciæ Archivo, vel ejus Annalibus à P. Hierotheo consluo, Viro de Religione & Provincia meritissimo, typo vulgatis, ad quorum vices illud solùm produco, quo Cathedralis Ecclesiæ Wormatiensis Decanus, Vicarius Generalis &c. cum suis Civibus merita Fratrum ita commendavit:

Notum facimus per præsentes, Patres Capucinos Provinciæ nuncupatæ Rhenanæ, tempore ac regimine Serenissimorum Dominorum Electorum Palatinorum Caroli Ludovici, & Caroli Filii ejus & Successoris per Dîoecesin nostram Wormatiensem, cum primis autem in Ladenburg, Hembsbach, Dossenheim, & Strassen, ac dein per Comitatum Leiningensem, in Alt-Leiningen, Grünstad, Münzheim, & Heldheim diligenti studio, indefesso labore, Seraphico divini cultûs zelo, honestâ, quâ par est, vitâ, probatisque religionis moribus, exuberanti cum animarum fruge, sed non sine continua persecutione, crebris vitæ periculis, nedum pecuniariâ mulctâ, aliisque ærumnis & tribulationibus, per ferventem Divini Verbi prædicationem, sedulam Doctrinæ Catholicæ lectionem, frequentem Sacramentorum administrationem, aliaque munia Ecclesiastica, Orthodoxam nostram Religionem, ejusque desolatos asseclas, & Cathedralis Ecclesiæ, Dioecesisque nostræ Wormatiensis jurisdictionem cum omnimoda satisfactione, sub Missionis Apostolicæ titulo, & auctoritate curâsse, propugnâsse, conservasse, ac demum oriente nuper iterum in Palatinatu Romanæ Fidei lucifero, hæresibus ibi grassantibus obnubilato, sub regimine Serenissimi Electoris Palatini, D. Philippi Wilhelmi bene memoratos Patres Capucinos fuisse primos, qui nonnisi fervore Seraphico succensi, ardentique Orthodoxæ Religionis propugnandæ desiderio, ad uberiorem animarum frugem pro ingenti illa, ac quaquà patente messe, Heidelbergæ, Manhemii, Francodalii &c. strenuos sese Operarios ultro, ac voluntariè præsentârint, & ibidem non absque speciali consolatione, benevolentia, & benedictione singulari Celsissimi & Reverendissimi Episcopi nostri perseverent. In cujus fidem propria manu hasce subscripsimus, nostrumque Sigillum appressimus Wormatiæ Anno 1687. 18. Februarii.

Adolphus Fridericus, Dominus in Elz &c.
Vicarius Generalis.

Ab Achatholicis in odium Fidei exercitata in suis Filiis, numerat inter hos Pugiles, palmam emeritos, quinque videlicet carceribus mancipatos, quinque Guardianos cum suis Familiis ex cœnobiis ejectos, & in exilium pulsos, quinque in præsentissimæ mortis angustias conjectos; alios fustibus, gladiis, saxis petitos; alios Habitu Religioso nudatos; quosdam calcibus Equinis substratos, alios sauciatos, barbâque hinc inde raptatos, plures sordibus, lutoque fœdatos, omnes hos opprobriis, & tribulationibus spectaculum, & tanquam purgamenta hujus mundi effectos.

Prout

Prout autem in ſago, ita & in toga memorabili pollet claritate, utpote, quæ Viſitatores Diœceſibus, & Ordinis Provinciis; Legatos, Confeſſarios, Concionatores Electoribus, Ducibus, Principibus, ac Epiſcopis dedit tres ſupra viginti. Pulpitum Metropolitanum, & Aulicum Moguntiæ, Aulicum Treviris, Cathedrale in Auguſta Nemetum &c. occupat, totumque per annum decorat.

Scriptores publicos enumerat ultra decem & ſex, qui eruditis, piiſque ſuis lucubrationibus Bibliothecas augent, & ornant, inter quos unicus P. Martinus Cochemius viginti ſeptem operibus Germaniam univerſam implevit.

Præter P. Lucam Maringium, Generalem Ordinis Definitorem, Virum Seraphico Spiritu, cœleſtique Sapientia plenum, ac ſanctæ vitæ opinione celebrem, genuit, & aluit alios, quos gratia curationum, apparitiones Divorum, Pœnitentiæ inſuetæ rigores, præcipuarum, ac heroicarum virtutum exempla; vel illuſtrium Natalium ſplendor, & eximia in regendo, ac præſidendo prudentia, effecêre quaſi flores roſarum in diebus vernis, quaſi Lilia, quæ ſunt in tranſitu aquæ, & quaſi flores redolentes in diebus æſtatis, prout effusè in prælibatis Provinciæ Annalibus videre, & legere eſt.

Numerat Conventus XXVII.

Miſſiones Stabiles III.

Domum Fratribus noſtris in Civitate Trevirenſi conſtrui â Lothario Archiepiſcopo, & Electore requirit.

A tergo: *Venerabili Fratri, Lothario, Archiepiſcopo Trevirenſi, S. R. I. Principi Electori.*

PAULUS PAPA V.

Venerabilis Frater ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

ALlatum ad Nos eſt facile fore, ut Dilecti Filii, Fratres Ordinis Sancti Franciſci Capucinorum Domicilium obtineant in iſta Civitate tua Trevirenſi. Lætificavit ſanè plurimùm hic nuncius animum noſtrum, qui, quanta ſperare poſſimus bona ad Dei gloriam, & animarum ſalutem, ſi iſtic recepti fuerint hi ſervi Dei, probè intelligimus. Et propterea à Fraternitate Tua, quàm efficaciter noſtris hiſce litteris poſtulare voluimus, ut receptioni huic Fratrum Capucinorum in iſta Civitate tua, ſicuti de eximia tua pietate planè Nobis pollicemur, favere requiſitis à Nobis velles. Nam vehementer hoc deſideramus. Et quoniam Venerabili Fratri Antonio, Epiſcopo Vigilienſi, Nuncio noſtro mandavimus, ut uberiùs Tibi noſtrum hoc deſiderium exponeret, & quàm Nobis cordi eſſet hoc negocium, Tibi ſignificaret; illi fidem in omnibus non ſecus, ac Nobis loquentibus adhibebis, & Nos divinæ gratiæ incrementum Fraternitati jugiter optamus.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris XV. Kalendas Februarii MDCXV. Pontificatus noſtri Anno decimo.

Petrus Stroza.

Aut. in Archivo Vaticano ſecreto reg. Brevium ad Principes *ep.* 251.

Pro Catholicæ Religionis incremento Domum Fratribus noſtris, vel aliis Religioſis Reformatis in Civitate Francofurti conſtrui, Archiepiſcopo et Electori Moguntino commendat.

A tergo: *Venerabili Fratri, Joanni Svicardo, Archiepiſcopo Moguntino, S. R. I. Principi Electori.*

PAULUS PAPA V.

Venerabilis Frater ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CErtiores facti à Venerabili Fratre Antonio, Epiſcopo Vigilienſi, noſtro Apoſtolico Nuncio, quod ſi erigeretur aliquod Monaſterium Fratrum, Capucinorum, ſive alterius Ordinis Religioſorum Reformatorum in Civitate Francofurti, negotium Catholicæ Religionis in Germania multò melius ſe haberet. Propterea in Tuæ Fraternitatis prudentia, atque zelo confiſi, mandavimus eidem Nuncio noſtro, ut de ineunda opportuna ratione erigendi prædictum Monaſterium Francofurti Tecum ſedulò ageret. Nam ſicuti de optima voluntate tua planè certi ſumus, ita quoque abunde novimus, quantùm prudentiæ tuæ tribuere debeamus: quibus de cauſis ab efficacioribus cohortationibus, ut negotium hoc alacri animo ſuſcipias, pariter abſtinemus. Nuncium autem noſtrum non ſecus, ac Nos loquentes audies. Deum oramus, ut paſtorales labores tuos clementer reſpiciat, ac Te ſuper Gregem tuum ſedulò vigilantem benignus cuſtodiat, ac Fraternirati Tuæ peramanter benedicimus.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris IX. Kalendas Auguſti MDCXV. Pontificatus noſtri Anno undecimo.

Petrus Stroza.

Autograph. in Archivo Secreto Vaticano Regeſt. Brevium Pauli V. ad Principes *epiſt.* 35.

Emptionem Domûs Regularis S. Antonii, de Sancto Antonio Viennenſi, cum annexa ei Eccleſia Francofurti ad favorem Fratrum poſt ceſſionem RR. Patrum Societatis Jeſu factam, Apoſtolica Auctoritate confirmari, ac inibi Conventum Fratrum erigi, Archiepiſcopo Moguntino committit.

A tergo: *Venerabili Fratri, Archiepiſcopo Moguntino, S.R.I. Principi Electori.*

URBANUS PAPA VIII.

Venerabilis Frater ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

ALiàs pro parte dilectorum Filiorum, Præceptoris, & Fratrum Domûs Regularis Ordinis S. Antonii, de S. Antonio Vienenſi, Oppidi de Hŏchſt, Moguntinæ Diœc. Nobis expoſito, quòd dicta Domus Regularis ære alieno gravata reperiebatur, nec Præceptor, & Fratres prædicti æs alienum hujuſmodi faciliori, & minus diſpendioſâ ratione extinguere poterant, quàm ſi alia quædam Domus Regularis cum ipſi annexa Eccleſia in Oppido Francofurti dictæ Diœceſis juxta ſua notiſſima latera ſita, & à primodicta Domo dependens, ſeu ad illam legitimè ſpectans, dilectis Filiis Presbyteris Societatis Jeſu concederetur, ac in eorum favorem alienaretur, pretiumque ex venditione Domûs hujuſmodi proveniens in dicti æris alieni diſſolutionem converteretur, Nos eorundem Præceptoris, & Fratrum ſupplicationibus ea in parte tunc inclinati, de Venerabilium Fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpoſitorum conſilio, Fraternitati Tuæ per alias noſtras in ſimili forma Brevis expeditas litteras dedimus in mandatis, quatenus, conſtito Tibi legitimè de præmiſſis, eiſdem Præceptori, & Fratribus, ut ſecundodictam Domum hujuſmodi in Presbyteros prædictos juſto, & rationali pretio unà cum omnibus juribus, dependentiis, & pertinentiis ſuis univerſis, ſervatis ſervandis, transferre, ac in illorum favorem alienare, pretiumque proveniens hujuſmodi in dicti æris alieni diſſolutionem, & non in alios uſus convertere; Ipſis verò Presbyteris, ut Domum cum annexis hujuſmodi, ad effectum inibi unam Regularem Domum, ſeu Collegium dictæ Societatis erigendi, acquirere valerent, ac aliàs ſub contentis modo & formâ tunc expreſſis, licentiam auctoritate noſtra concederes, prout in

ut in eiſdem litteris, quarum tenorem præſentibus pro expreſſo haberi volumus, pleniùs continetur.

Cum autem, ſicut dilectus Filius Procurator Generalis Fratrum Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum Nobis nuper exponi fecit, Preſbyteris prædictis licentiâ domum hujuſmodi acquirendi, ut præfertur, per dictas noſtras litteras tibi conceſsâ minimè uti volentibus, illique expreſsè renunciantibus, dilectus Filius Adamus Fraisbach, Eccleſiæ Collegiatæ B. Mariæ Virginis ad gradus nuncupatæ Moguntiæ Decanus, Domum prædictam nomine, & ad favorem dictorum Fratrum Capucinorum, ad effectum ſcilicet inibi unam ejuſdem Ordinis Regularem Domum erigendi, à Præceptore, & Fratribus prædictis pro certo pretio inter eos convento emerit, cupiatque propterea dictus Procurator Generalis emptionem hujuſmodi pro firmiori illius ſubſiſtentia, & ſoliditate Apoſtolicæ noſtræ confirmationis robore aliàs deſuper, ut infra, opportunè provideri. Nos eundem Procuratorem Generalem ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis &c. & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus &c. inclinati; Fraternitati tuæ per præſentes committimus, & mandamus, quatenus veris exiſtentibus narratis emptionem Domûs cum annexis hujuſmodi, per dictum Adamum ad favorem eorumdem Fratrum Capucinorum, ut præmittitur, factam, ac, prout illam concernunt, Inſtrumentum, ſeu ſcripturas deſuper confectas, auctoritate noſtra approbes, & confirmes, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicias, ac omnes, & ſingulos tàm juris, quàm facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſuppleas.

Præterea in dicta Domo ad favorem eorundem Capucinorum, ut præfertur, empta, unam eorundem Fratrum Capucinorum Regularem Domum cum Eccleſia, Sacriſtia, dormitorio, hortis, hortalitiis, infirmaria, aliiſque membris, & officinis neceſſariis, & opportunis, ac aliàs in omnibus, & per omnia adinſtar aliarum Domorum Regularium ipſius Ordinis, ſine tamen alicujus præjudicio, erigas, & conſtituas, illique ſic erectæ, & conſtitutæ, ejuſque Guardiano, & Fratribus pro tempore exiſtentibus, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, indultis, Indulgentiis, cæteriſque gratiis, quibus aliæ ejuſdem Ordinis Regulares Domus, illarumque Guardiani, & Fratres quomodolibet utuntur, fruuntur, & gaudent, ac uti, frui, & gaudere poſſunt, & poterunt in futurum, pari modo, & abſque ulla prorſus differentia uti, frui, & gaudere liberè, & licitè valeant, auctoritate noſtra prædicta concedas, & indulgeas. Non obſtantibus litteris noſtris præteritis, & quibuſvis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, etiam juramento &c. cæteriſque contrariis quibuſcunque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die XIII. Septembris MDCXXVIII. Pontificatus noſtri Anno ſexto.

M. A. Maraldus.

Exempl. in Archivo generali Ordinis Armario Provincia Rhenana. *Vide & alia de hac Domo infra.*

Per Fr. Benedictum Leodium, Miniſtrum Provincialem &c. Regi Chriſtianiſſimo rem Catholicam in Germania commendat.

URBANUS PAPA VIII.

Chariſsime in Chriſto Fili noſter ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

NON ignoramus res Catholicorum in Germania apud Majeſtatem Tuam commendatione non indigere, qui antehac ſatis perſpeximus, quàm feliciter, ac glorioſè Religionem adverſus hæreticos propugnaveris. *Reſiduum harum Litterarum, ſicut & alias Apoſtolicas Litteras &c. cum compendio vitæ & meriti prædicti P. Benedicti, vide ſupra fol. 114. & ſeq.*

Emptam à Georgio Antonio, Epiſcopo Wormatienſi, S. R. I. Principe, pro Domo Fratrum in Civitate Wormatiæ conſtruenda Eccleſiam S. Amandi cum duabus ædibus contiguis, cum alia S. Jodoci Eccleſia permutari, et in hujus ſitu Fratrum Domum erigi concedit, hancque quoad dominium ad S. Sedem devolvi declarat.

INNOCENTIUS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

CUm, ſicut Dilectus Filius Procurator Generalis Fratrum Ordinis Minorum San-

Sancti Francisci Capucinorum nuncupatorum Nobis nuper exponi fecit, aliàs de anno millesimo sexcentesimo trigesimo septimo, Venerabilis Frater Georgius Antonius, Episcopus Wormatiensis, S. R. Imperii Princeps, postquam ad instantes & recommendatitias litteras altæ memoriæ Ferdinandi II. Romanorum Imperatoris, in favorem dictorum Fratrum scriptas, in Civitate seu potius in suburbiis, ac intra muros Wormatiæ, Diœcesis Wormatiensis ruinosam, derelictam, & omni cultu divino penitus desolatam Ecclesiam seu Parochiam S. Amandi, cum duabus parvis domibus Ecclesiasticis, omnino etiam destructis & ruinam extremam minantibus (quæ ob penuriam nec reparari, nec usui suo esse poterant) cum consensu Capituli Collegiatæ Ecclesiæ B. Mariæ, præfatis domibus & Parœciæ vicinæ, eisdem Fratribus Capucinis ad majorem Dei cultum, fideique catholicæ propagationem, ac hæresûm, quæ in memorata Civitate, locisque circumvicinis sunt, exstirpationem, nec non ad Ordinis eorundem Fratrum incrementum assignaverit, & omni meliori modo, forma, & jure donaverit, assignationemque, & donationem hujusmodi Fratres Capucini præfati modo licito acceptârint, & in præsentia D. Decani, & Capituli antedicti per Notarium, & testes solemniter possessionem realem & actualem adepti fuerint, & crucem suam in loco plantaverint, & ad effectum ibidem Conventum ædificandi juxtà quinque jugera terræ legitimo pretio à Jona Godelman emerit &c. Tandem verò Anno MDCXLII. die 6. Martii supramemoratus Venerabilis Frater Episcopus cum consensu totius, tunc temporis in numero legitimo congregati dicti Capituli ob memoratas, & alias plures graves causas, in locum dictæ Ecclesiæ seu Parœciæ, domorumque assignatarum, seu donatarum, nec non & quinque jugerorum emptorum Capellam S. Jodoci juxta Ecclesiam dictam Collegiatam B. Mariæ in extremitate ambitûs sitam, cum duabus aliis domibus Capitularibus contiguis ruinosis & destructis, similiter ruinosam, & omni cultu divino viduatam, ac insimul tantùm horti adjacentis, quantùm opus esset, permutatione factâ, & cum conditione, ut dicti Domini Capituli Ecclesiam, & domos prius assignatas, cum emptis quinque jugeris terræ in suum dominium & fructum reciperent, de novo & taliter assignavit, & assignationem, ac permutationem, possessionemque dictæ Capellæ S. Jodoci, domorumque duarum contiguarum, & horti ab iisdem Fratribus Capucinis, realiter per Notarium & testes, de consensu prædicti Capituli apprehensam, authoritate sua ordinaria roboravit, & propriis suis sumptibus juxta dictam Capellam S. Jodoci, quam reparari curavit, Conventum Fratrum Capucinorum à fundamentis erexit, & fundavit, quem dicti Fratres de facto inhabitant; atque ibidem exercitiis tam spiritualibus, quàm regularibus religiosè vacant, & divina officia persolvunt.

Quia tamen ex Clementina, quæ incipit: *Exivi de Paradiso de verb. signif. in* §. *proinde* expressè habetur, quod Summi Pontifices rerum omnium concessarum, oblatarum & donatarum Fratribus (quas, & quarum usum facti scilicet, Ordini & Fratribus præfatis licet habere) proprietatem & dominium, pro se, & Romanâ Ecclesia receperunt, dimisso ipsis Fratribus tantummodo usu facti simplicis, ideo, ne aliquo futuro tempore de hujusmodi donationis, assignationis, permutationis validitate, quoad dominium, & proprietatem ad favorem ejusdem Ecclesiæ Romanæ, ac de domorum, & locorum sic Ordini & Fratribus præfatis donatorum, assignatorum, permutatorum, quoad usum simplicem facti, vel aliàs, eisdem Fratribus competentia, ab aliquibus dubitari contingat, Nobis supplicari fecit idem Procurator Generalis, ut præmissa confirmare de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur eundem Exponentem specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis &c. absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, donationem, assignationem, permutationem à dicto Georgio Antonio, Episcopo & Principe, sicut supra, tam de Ecclesia, & Parochia Sancti Amandi, & Domibus ac locis adjacentibus, quàm postea, & pleniùs de Capella S. Jodoci, vicinisque domibus, & hortis, ordinaria sua Auctoritate præfata, eisdem Ordini, & Fratribus Capucinis factam, & ab eis, ut præfertur, acceptatam, Conventumque eorundem jam erectum & fundatum, Apostolica Auctoritate, tenore præsentium ad favorem ejusdem Romanæ Ecclesiæ confirmamus & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robus adjicimus, ac omnes & singulos, tam juris, quàm facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, eandemque Capellam, Domos seu Conventum, & locum hujusmodi, tanquam ad eandem Romanam Ecclesiam, quoad Dominium & proprietatem spectantem, juxta dictam Clementinam ad usum facti simplicis duntaxat, Ordini & Fratribus Capucinis præfatis, auctoritate & tenore præmissis, concedimus & assignamus. Decernentes præsentes litteras validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri & obtinere, & ab omnibus & singulis, quos illæ con-

concernunt & concernent in futurum, inviolabiliter observari, sicque per quoscumque Judices Ordinarios & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, siquid secus super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac, quatenus opus sit, Ordinis, ac Ecclesiæ dictæ B. Mariæ & Capituli, domorum aut locorum hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, eorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter & expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die VIII. Mensis Martii Anno MDCXLV. Pontificatus nostri Anno primo.

M. A. Maraldus.

Breve formatum in Archivo Provinciæ.

N O T A.

INstrumentum emptionis, & venditionis primæ tale est, quale hic subjungitur.

Nos Georgius Antonius, Dei, & Apostolicæ Sedis gratia electus, & confirmatus Episcopus Wormatiensis, S. R. I. Princeps, universis & singulis præsentes nostras litteras inspecturis, lecturis, seu legi audituris salutem in Domino sempiternam.

Religionis zelus, Regularis vitę observantia, pietas, charitas, & patientia, aliaque spiritualia & corporalia opera, dona, virtutes, quibus Ordo S. Francisci Capucinorum nuncupatus, passim præfulget, tam magnos in Ecclesia fructus faciunt, quod tales cooperatores in vineam Domini divinitus missos esse, omnes fateantur; quapropter in honorem summæ & individuę Trinitatis, consilio inito, maturaque deliberatione cum Decano præsertim, & Capitulo Majoris Ecclesiæ nostræ, & aliis de Clero ibidem existentibus, & in partem sollicitudinis Nobiscum vocatis, quorum omnium animos, non minus ad promovendum hoc commune, & publicum bonum propensos valde, & quasi æstuantes deprehendimus, non ita pridem, anno nimirum 1630. ad exemplum aliorum Principum, ac Statuum imperii & ad instantiam, litterasque intercessoriales Ferdinandi II. memoriæ gloriosissimæ, tam ad Nos, quam insuper ad ipsam Civitatem Wormatiensem, Ratisbona ex generali Principum Electorum Conventu Anno eodem die 29. Septembris speciatim datas, Religiosos nostros in Christo dilectos Patres, Fratres Minores Ordinis S. Francisci, qui vulgò Capucini vocantur, & indefesso undique labore animas Deo lucrifaciendi & reducendi tam immensos quotidie, & jucundos manipulorum acervos in horreum Domini incessanter invehunt, in prædictam Civitatem Wormatiensem authoritate nostra ordinaria, tanquam strenuos & imperterritos verbi Dei buccinatores, quales se pręsertim in hoc calamitoso persecutionis Catholicorum & belli tempore, in stabili continuaque defensione Catholici exercitii, fideique & cathedræ nostræ summi Templi facto & exemplo ostenderunt, vigore litterarum eodem anno ipsis datarum, admisimus & suscepimus. Quandoquidem autem ex tunc obsecutas mox Svecorum, aliarumque exterarum nationum hostiles in universam Germaniam irruptiones, & ipsa intrinseca imperii cum istis per certa fœdera adversus Sacram Cęsaream Majestatem, unicum suum post Deum in terris supremum caput, counita diffidia, & hinc causata Catholicorum Fidelium, imperii Principum ac statuum exilia, exspoliationes, atque eversiones tot Provinciarum, Principatuum, Ditionum, & Episcopatuum, ut nec ipsis quidem sacris parsum fuerit, quibus calamitatibus & furoribus non minùs & nostra Diœcesis ad extremum usque gradum dilacerata, prædictis Patribus pro commoda & ipsorum instituto congrua habitatione, domicilio, seu Monasterii loco, in quo & officio suo, & intentioni nostræ melius, & uberius satisfacere, & in Domino fructificare valuissent, providere non potuerimus, per Dei tamen Omnipotentis clementiam, & victoriosa Sacræ Cæsareæ Majestatis arma pacato nonnihil Imperii statu, à quinquennali exilio revocati, & ad devastata Diœcesis nostræ loca reversi, dirutas Ecclesias, & profanata templa, & omnia, quasi in aliam formam, & faciem redacta deprehendentes, tantò majorem pro finali tandem nostri in solius Dei, Sanctissimumque ejus honorem cœpti propositi, & desiderii complemento invenimus impulsum, quantò detestabiliorem animarum periclitationem, & subreptum gregis nostri depastum, per istam inde fugatam adversariarum heresеon (assumpta in occasione depravatorum temporum licentia) ad malum vigilantiam, adstipulante armorum & vis publicæ præpotentia, cognovimus in ovile nostrum irruisse, & impedimentum non propagatæ & restitutæ ulterius pro ratione voti nostri Religionis Catholicæ non exiguum attulisse, eandemque hanc paternam nostram solicitudinem nobis commissarum animarum, ac piorum Catholicorum, dilectissimorum nobis & fidelium superstites reliquiæ in nostra Diœcesi, & adhuc exiguo numero piis precibus auxerunt, & pro maturo imminentis perpetui conscientiarum, ac Fidei nostri damni, & ruinæ remedio dolenter implorarunt: ursit & ipsa rei necessitas, factique evidentia, & undique jam in agro Domini supercrescens & multis modis prævalens zizania, ad quam eruendam novo rursum opus erat auxilio, nova cultura, bonam, &, uti speramus, fertilem sementi copiam suppetitante loco & Ecclesia S. Amandi in suburbio Collegiatæ Divæ Mariæ Virginis sita, eidemque cum juribus suis attinente: quæ cum facto assensu, & complacentia Magistratus civici, per Nos ibidem constituti, demandatæ jam & efficaciter tentatę demolitioni (non minùs ac alię similes in suburbiis funditus eversę Ecclesię, Hospitale S. Spiritus, ac Fratrum de monte Carmelo

melo monasterium) destinata esset, opificumque jam perfidę manus admotę, ac initium nefario operi temerè factum, cœlestem Divini Numinis sensit repulsam, & terrore consternatis infernalibus istis Cyclopibus, quasi à cervice jugulandis, revocato furore & gladio, miraculosè conservata principaliori structura, magnam sese futurorum profectuum spem exhibere, & intermissas hactenus Dei omnipotentis Sanctorumque ejus laudes urgere, ac reposcere videbatur. Noluimus itaque, nec potuimus officio & obligationi nostræ coram Deo & hominibus, quantùm in nobis, & à nobis esse potest, deesse ulteriùs, quin matura causę cognitione habita, hujus Ecclesię jam decennali desolationi, ibidemque soliti cultus divini deorbationi pro omni posse consuleremus, & accedente consensu, quin & hortatu, & instantia Venerabilium nobis Dilectorum & Fidelium, Decani & Capituli, proindeque facta assignatione certarum circumjacentium arearum, ubi exigua olim, nunc dirutę & rasę, collocatę ædes, prędictam Ecclesiam devastatam, ac suarum veterum ędicularum rasarum rudera, cum cœmeterio ejusdem Ecclesię, & locis vicinioribus, in singularis desuper traditæ possessionis erecto instrumento speciatim descriptis, tum & vineam istam, seu fundum proximè adjacentem, quem à Dilecto pariter nobis & fideli Joanne Jona Godelman, & ejusdem uxore Margarita, Cive & Senatore Wormatiense, ob præscriptorum locorum contiguitatem, cum suis appertinentiis & collapsis ibidem cujusdam Joannis Jacobi Gros Piscatoris domuncula & ruderibus, ex eleemosinis piorum hominum & hujus Ordinis fautorum, & benefactorum collectis, juxta speciales desuper erectas emptionis & venditionis Litteras, per Consiliarium nostrum & Mandatarium non minùs dilectum & fidelem Joannem Jacobum Lasser, jurium Doctorem coemimus, prædictis Patribus Capucinis, & eorundem S. Ordini, in honorem Seraphici Patris S. Francisci pro construendo, & juxta instituti sui rationem meliùs accomodando, atque ampliando Cœnobio, authoritate nostra ordinaria, omni meliori modo, via, jure, & ordine, quo idipsum tam juxta præscriptum Sacrorum Canonum, quàm de consuetudine, vel statuto fieri posset, nulla amplius obstante contradictione, donavimus, cessimus, atque tradidimus, cedimus, & contradimus etiam tenore præsentium, cum omni Dominio, proprietate, juribus, cæteris & pertinentiis, nihil in fundis supra nominatis excludentes, prout eosdem nuper 27. Maii Anno 1637. in realem, & actualem possessionem per eundem Consiliarium nostrum coram Notario, & Testibus, actu publico, tenore instrumenti, desuper confecti, solemniter & efficaciter immitti fecimus, sine quovis impedimento perpetuò possidenda. Volumus tamen curæ animarum solitæ, & juribus parochiæ, eidemque incorporatorum altarium quorumcunque, aut etiam præfatæ Ecclesiæ Collegiatæ B. M. Virginis pro hoc in aliis nequicquam derogari, sed eadem jura, & exercitia Parochialia debita, ad jam dictam Ecclesiam B. Mariæ Virginis, pro ordinatione, & dispositione Capituli, de consensu & ratihabitione nostra transferri, prout actu ipso desolationis tempore translata esse percepimus, reditus etiam Parochiæ illibatos manere, tum & de alio cœmeterii loco pro Parochianorum commodo provideri: solam decentis fundi, secundum ejusdem dimensionem præstita desuper reali satisfactione, absque ulla spiritualium obligationum, jurium, aut cujuscunque inde emergentis interesse, respicientes possessionem, in quorum omnium præmissorum fidem, & confirmationem, præsentes hasce litteras, & manus propriæ subscriptione, & sigilli nostri appensione curavimus communiri. Actum Moguntiæ Anno Domini 1637. 3. Junii.

Georgius Antonius Ep. Worm.

Si prælibata littera piissimum Celsissimi Principis erga nostram Religionem affectum probant, exhibent & irritatum ejus contra hanc zelum sequentes, & consultò ad exemplum hîc apposita.

Georgius Antonius, Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Wormatiensis, Præpositus Moguntinus &c.

Onus Episcopalis servitutis, ad quod Nos dignatio divina provexit, assiduè admonet, in eam potissimum curam Nobis esse pastorali sollicitudine incumbendum, ut, quæ à Sacris Oecumenicis Conciliis pro communi totius nostræ Diœcesis Wormatiensis animarum salute, piè prudenterque statuta sunt, nulla aut temeritate violentur, aut negligenter deserantur, ea præsertim, quæ ad bonos Pastores Ecclesiis gubernandis præficiendos pertinent: hinc in partem sollicitudinis PP. Capucinos Ordinis Sancti Francisci ante aliquot annos Wormatiam evocavimus ad corrigendos depravatos mores, & fraude hæretica depravatum gregem Nobis commissum, è faucibus diabolicis eruendum, adeoque Vicariam operam Parochis nostris luctuoso hoc rerum statu ad tempus impertiendam, ut Fides Catholica propagetur, hæresis extirpetur, qua (prò dolor!) nostra scatet Diœcesis & passim dispersus grex congregetur.

Sanè ad aures nostras non ita pridem devenit, R. P. Generalem Capucinorum in nupera visitatione Provinciæ Rhenanæ præmemoratam dispositionem in diversa loca iisdem Capucinis factam, ad tria duntaxat loca, Wormatiam, Franckenthalium, & Heidelbergam restrinxisse, cætera verò in vilipendium, & animarum concreditarum perniciem cum displicentia plurimorum revocasse, adeoque in prejudicium jurisdictionis nostræ, sibi jurisdictionalia nostra Episcopalia usurpasse, quæ certè, uti officio nostro diametraliter repugnant, ita pastorali cura veniunt resecanda. Quare authoritate, qua in hac parte fungimur, ordinaria, revocamus facultates iisdem Capucinis in illorum prima admissione ad nostram Diœcesin concessas, Sacramenta administrandi, cæteraque officia divina exercendi: dehinc interdicimus illis Wormatiæ, & in Diœcesi nostra infra tres menses, postquam tenore præsentium compellati fuerint, Sacramenta administrare, concionari, docere, Missas publicè celebrare, aut quæcunque alia divina officia exercere, sub pœna excommunicationis majoris latæ sententiæ; imò eosdem in Domino monemus, districtè præcipiendo mandantes, ut infra eundem terminum Wormatia, Heidelberga, Franckenthalio, cæterisque locis quantò citius excedant, eademque aliis Viris Religiosis à Nobis deputandis, vita, doctrina, prudentiaque excellentibus, sine mora, non attento quocunque quæsito colore, quantocius consignent, alioquin ad ulteriora, prout juris ordo dictaverit, contra eosdem procedemus, in eo mandato nostro satisfacturi. In cujus rei fidem præsentibus sigillum nostrum jussimus appendi 19. Januarii 1647.

Utrumque documentum ex annalibus impressis hujus Provinciæ fol. 321. & fol. 340.

DE-

DECRETO

S. Congregationis de Propaganda Fide Habitæ 14. April. 1654.

Ne Fratres Missionarii ab aliis Religiosis molestentur, cavetur.

Referente Eminentissimo Domino Cardinali, Antonio, Præfecto, libellum supplicem Procuratoris Generalis Capucinorum humiliter petentis, ut Sacra Congregatio, molestiis, & perturbationibus, quibus ab aliis Religiosis distrahuntur & molestantur Missionarii Capucini, Provinciæ Rhenanæ, & præcipuè in Oppido S. Goaris, opportunum remedium dare dignetur, ut majori studio, & quiete possint dicti Missionarii Animarum saluti, in servitio ejusdem Congregationis de Propaganda Fide ex animo incumbere. Eminentissimi Patres responderunt, nihil esse innovandum à quavis persona in præjudicium Ordinis, & Missionariorum ejusdem Ordinis, nisi certioratâ ipsa Sacrâ Congregatione, ne, ut supra, ab officio Apostolico conversionis Animarum distrahantur.

Card. Antonius Præf.

Autog. in Archivo Provinciæ.

Provinciam dividendi P. Ministro Generali facultatem largitur.

A tergo: *Dilecto Filio, Ministro Generali Ordinis Fratrum Minorum Capucinorum nuncupatorum.*

CLEMENS PAPA IX.

Dilecte Fili salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti Filii, Fratres Provinciæ Rhenanæ, seu Coloniensis, tui Ordinis Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupatorum, quod in Capitulo Generali dicti Ordinis novissimè in hac Alma Urbe celebrato, Definitio Generalis bene perspectam habens Provinciæ prædictæ nimiam vastitatem, ob quam uni solo Ministro Provinciali penitùs est impossibilis visitatio consueta, vigore Regulæ, & Constitutionum generalium omninò requisita ad conservandam disciplinam regularem, aliisque causis gravissimis consideratis, censuit, eidem Provinciæ subveniendum esse per convenientem divisionem de hujusmodi Sanctæ Sedis Apostolicæ licentia faciendam. *Residuum cum annexo divisionis instrumento, vide supra fol. 311. & seq.*

In Civitate Bruchsaliæ novam Fratrum Domum erigi consentit, & pietatem Lotharii Friderici, Episcopi Spirensis, Coadjutoris Moguntini &c. desuper commendat.

A tergo: *Ven. Fratri, Lothario Friderico, Episcopo Spirensi, Coadjutori Moguntino.*

CLEMENS PP. X.

Venerabilis Frater salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Perlibenter indulsimus enixis Fraternitatis Tuæ precibus necessariam ad novum in Civitate Bruchsaliensi Fratrum Capucinorum erigendum Conventum facultatem à Nobis efflagitantibus; ea nimirum est pietatis tuæ præstantia, ut Religiosis eorumdem Fratrum divini cultûs ad amplificationem conatibus præstò Te usque futurum pro certo habeamus. Tuum igitur fuerit exspectationi nostræ eximiè respondere, Tibique sic magis in dies magisque Pontificiam voluntatem conciliare. Solidum interim ejusdem pignus, Fraternitati Tuæ Apostolicam Benedictionem ex animo impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, Die 1. Augusti MDCLXXI. Pontificatus nostri Anno secundo.

Marius Spinula Secret.

Autog. in secret. Brevium ad Principes *Regesto Mens., & Anni prædictorum fol. 120.*

NO-

NOTA.

Litteræ, quibus S. Sedis assensus, ante Privilegium novas Domos sine recursu Romano recipiendi Provinciæ concessum, fuit expetitus, fuere, quæ sequuntur:

Sanctissime in Christo Pater, ac Domine D. Colendissime.

Post humillimam Mei, meæque Ecclesiæ commendationem, ac Sanctitatis Vestræ pedum oscula beatorum.

Singularis erga Catholicam Religionem, & Fidem zelus, ac fervor, stricta Regularis vitæ observantia, aliæque eximiæ pietatis virtutes, & opera, quibus Ordo S. Francisci Capucinorum nuncupatus passim præfulget, tam uberes in Ecclesia Dei fructus faciunt, ut tales Cooperatores in Vineam Domini divinitus missos esse, jure fateantur omnes, atque hinc est, Pater Sanctissime, quod & ego pro mea subditorumque meorum devotione, & spirituali consolatione promovenda, omnibus votis indulgentiam optem, quâ hic Sacer Ordo in Civitate mea Bruchsaliensi, undique hæreticis cincta (ubi ejusdem Religiosi, per plures annos aliunde, jam verò unius anni spatio, Missionis titulo existentes cum magno salutis Animarum fructu, indefesso continuoque labore deserviunt, Conventum, & Ecclesiam extruere audeat. Verùm cum illud sine speciali Sedis Apostolicæ licentia efficere ei non liceat, supplex ad Sanctitatem Vestram pro obtinenda gratia recurro, quam impetratam precibus, ac sacrificiis demereri studebo.

Sanctitatis Vestræ.

Spiræ 20. April. 1671.

Humillimus, & Obsequentissimus Filius

Lotharius Fridericus Episc. Spirensis.

Exemp. Auth. in Archivo Provinciæ.

Provinciæ paria cum aliis Ordinis Provinciis vota in Capitulis Generalibus concedi petentem Archiepiscopum, Electorem Moguntinum, de obice certiorem reddit.

A tergo: *Venerabili Fratri, Joanni Philippo, Archiepiscopo Moguntino, S.R.I. Principi Electori.*

CLEMENS PAPA X.

Venerabilis Frater salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Capucinorum Religionem ob eximios ab eadem procurandæ Animarum salutis continenter impensos labores præcipua in Domino charitate prosequimur, ejusdemque rationes divini cultûs ad amplificationem unicè spectantes Nobis admodum cordi sunt. Perlibenter quocirca excepimus preces Fraternitatis Tuæ, quibus Provinciis Rhenanæ, ac Bavaricæ ex nupera fel. rec. Decessoris nostri concessione divisis, necnon etiam & in posterum dividendis, suffragiorum paritatem in Capitulis Generalibus humillimè exposcis: tanti tamen facimus ejusdem Decessoris nostri Decreta, ut in hac re absque accurata consideratione nihil in contrarium decernendum censeamus. Votis autem tuis, in quantum possumus, indulturi, ne ex retardata novorum Conventuum erectione aliquod fortasse prædicta Religio, ipsaque Fides Orthodoxa detrimentum patiatur, ejusdem Religionis Generali, subjectas sibi Provincias visitaturo, facultatem impertiemur, ubi sic ad divinam gloriam propagandam opportunum duxerit, novas istis in Regionibus absque peculiari Pontificio diplomate sui Ordinis radices figendi; uberes enim ab iis, Deo incrementum dante, progignendos esse Populorum istorum ad salutem fructus omnino confidimus. Ut piis prædicti Ordinis conatibus validam usque præstare velit opem Fraternitas Tua, ex animo cupimus, cui paratam ad ulteriora quoque paterni amoris documenta voluntatem nostram pollicentes, peramanter interim benedicimus.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, Die 1. Augusti MDCLXXII. Pontificatûs Nostri anno tertio.

Marius Spinula Secret.

Autog. in Arch. Secret. Brev. ad Princ. *reg. mens.*, *& anni præd. fol. 59.*

DE-

DECRETO

Sacræ & Generalis Congregationis de Propaganda Fide habitæ die 2. Martii 1676.

Fratribus Missionariis in Comitatu Leiningensi speciales facultates conceduntur.

REferente Eminentissimo D. Cardinale Azzolino, Sacra Congregatio justis de causis (si Sanctissimo Domino nostro placuerit) censuit, concedendas esse PP. Capucinis Missionariis in Comitatu Leiningensi in Germania (non obstante eorum regulâ) infrascriptas facultates:

I. Ut per interpositam personam possint pecunias recipere, iisque uti.

II. Ut fructus & alia, quæ in Missione lucrantur, possint capere, & vendere, seu permutare, vel cum eis alias res sibi necessarias comparare; & pro futuris necessitatibus servare.

III. Ut necessitate urgente possint equitare, cursu uti, ac etiam calceamentis indui. Romæ die 2. Martii 1676.

Quo Decreto relato per R. P. D. Urbanum Cerrum Secretarium SS. D. N., Sanctitas Sua illud benignè approbavit, quibuscunque non obstantibus in audientia habita die septima ejusdem Mensis.

F. Card. de Alteriis Præf.

U. Cerrus Secret.

Exempl. Authent. in Archivo Provinciæ.

NOTA.

NON fruebantur sine merito hisce privilegiis Fratres Missionarii, nam quis anno supra notato eos succenderit Animarum zelus, vix non captum excedit: in pagis enim & Oppidis, quæ exitialis lues vastabat, curandis, integros penè menses consumere; ad ægrotos per sex, pluriumque horarum vias excurrere; Pixidem cum Sacris Particulis semper quasi pendulam è collo gestare, fuit continua, imò & necessaria eorum functio, vitæque ratio, eò quod, Presbyteris aliis, ob ingravescentem luem, famem ac Martem ad tutiora migrantibus, Deus solos Capucinos elegisse, & servâsse videretur, & regiones amplas, quæ circa Neolingam in Diœcesi Wormatiensi conspiciuntur, suæ curæ & labori commendatas haberent. Qualis hunc subsecutus fuerit fructus, haud obscurè inferri potest ex sequentibus Comitis Leiningensis Litteris, & testimonio.

Nos Ludovicus Everbardus, Comes de Leiningen, Westerburg, Schwarzburgh, & Frobach, Sac. Rom. Imp. semper liber,

Notum facimus præsentibus, quod; postquam à Patre Luminum, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum, illustrati ad salvificæ, veræque Matris Ecclesiæ Romanæ gremium redivimus, Anno 1673. Moguntiæ in Sacello Lauretano Patrum Capucinorum, præviâ eorum instructione publicâ nos professione subjecerimus, reducto ad eandem fidem Philippo Ludovico nato Comite Leiningensi, unico hærede & Successore nostro, illuc unicè collimantes, ut non solùm pro salute animæ nostræ, sed & adhuc superstitum & errantium ovicularum, Operarios laboriosos, exemplares & indefessos conduceremus, eâ spe freti, Reverendis Patribus Capucinis Provinciæ Rhenanæ stabilem residentiam aliquorum Patrum sub titulo Missionariorum Apostolicorum in Comitatu & Oppido nostro Neolingæ cessimus, quæ spes Nos minimè fefellit: Siquidem à quatuordecim annis tum in Residentia nostrâ vetere Leiningensi, ubi in Sacello Aulico in hunc finem consecrato, tum in Grünstad de novo instructo, postremò ibidem in Capella S. Petri pro Catholicis reparatâ indefessè servierunt: non dicam de ipsa Parochia Neo-Leiningensi, eorum Patrum residentia, cum celebri concursu Catholicorum circumquaque confluentium à tot annis pro solamine Catholicorum, & conversione hæreticorum administratâ. Postquam autem messis multiplicata, multiplicandos etiam duximus Operarios: Siquidem à quinque annis apertis ubique repagulis, patuerunt ostia ad ampliores campos seminandos, prædicti Patres non solùm pro nostro Comitatu, sed etiam viciniis nostris, scilicet Palatinatu, Comitatu Hartenburg, Heydesheim & Nassau, cum aliis sub Ordinario Wormatiensi jam dudum solatio pastorali destitutis, non sine tædiis & persecutionibus quotidie indefessè illorum quinque pro administratione Sacramentorum, concione & catechesi sæpius ad quatuor horarum distantiam requiruntur, ita, ut omnes testentur, quod sine illorum fideli servitio tota Patria, & vicinia Zizaniis hæreticorum obriguisset. Quantâ autem cum patientia, exemplo, charitate, conversione Acatholicorum, & conservatione Fidelium, in frigore & nuditate, viis etiam lutosissimis tam in nostro Comitatu, quàm in vicinia deserviant, testantur sex Parochiæ, quæ tam

festivis, quàm Dominicis diebus cum maximo Animarum fructu per dictos Patres administrantur: loquitur idem tota Patria, & confluxus ultra tria millia Catholicorum in Hönningen, Mertesheim, & Neu-Leiningen, aliquot annis consequenter habitis processionibus comparentium: loquuntur tot depopulatæ sacræ ædes, per eos eorumque industriam reparatæ, ubi à centum annis cessavit sacrificium, jam in viginti Ecclesiis est restitutum: instructio catecheseos incessabilis, communio frequentior, &, quod Deus aspiret, eorum labore, & nostrâ cooperatione plena hæresum extirpatio. In quorum fidem, ut laboriosi foveantur, & fideles consolentur, hasce propriâ, & successoris nostri manu & sigillo munivimus.

Datum Alt-Leiningen Anno 1678.

Ex Annalibus Provinciæ impressis fol. 237.

Paritatem votorum Ministris Provincialibus in Comitiis Generalibus concedit, & deinceps nova loca, & Domos in Provincia sine recursu ad Sanctam Sedem aliàs præscripto, recipi posse indulget.

INNOCENTIUS P.P. XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

AD Pastorale fastigium, meritis licet imparibus, divinâ dispositione evecti. *Residuum vide supra fol.* 20.

SENTENTIA

Rotæ Romanæ.

Fratres Excommunicationem contra Capitulum Wormatiense in Causa Canonicatûs latam in Ecclesiis Wormatiæ & Treviris publicare jubentur, privilegio Alexandri IV. non obstante.

Illustrissime, ac Reverendissime Domine Domine.

FRater Damascenus Lohranus, Ordinis Capucinorum, in Provincia Rhenana Minister Provincialis humillimè exponit Domin. Vestræ Illustrissimæ, quod per plures annos agitatus est Processus inter D. Jacobum de Bovylle & Capitulum Cathedrale Wormatiense de Canonicatu, quo ipse D. de Bovylle per Sedem Apostolicam provisus est: & quia præfatum Capitulum Cathedrale, nisi nobilitatis debitam, & prætensam pro more Capituli exhiberet, probationem admittere noluit, Causa devoluta fuit ad S. Rotam Romanam, & ab ista lata fuit sententia in favorem Domini de Bovylle præfati.

Et quia dictum Capitulum adhuc exceptiones suas allegavit, provisumque Canonicum non admisit, fulminata est contra dictum Capitulum excommunicatio, & solemniter publicata Malmumdariæ in Ecclesia PP. Benedictinorum à P. Priore illius Conventûs, tanquam Commissario Apostolico ad id delegato. Eadem excommunicationis publicatio demandata fuit Patribus Capucinis Wormatiæ, & Treveris, ut diebus Dominicis & festis fieret cum solemnitate. Cum autem S. Apostolica Sedes noverit (attentâ altissima paupertate, & mendicitate, quam profitentur FF. Minores S. Francisci, qui ex piorum quotidianis vivunt elemosynis) in quantum detrimentum vergeret dictorum Fratrum, si hujusmodi officia, scilicet publicationem, præstare cogi possent contra Civitates, Universitates, Capitula &c. ideo eisdem FF. Minoribus benignè super hac re indulsit, ut patet per Bullam f. m. Alexandri IV. incip. *Convenit.* Dat. Ananiæ 17. Kal. Nov. 1255. quâ cavetur, ut dicti Fratres ad hujusmodi functiones nequeant cogi, ad quam &c. Capucini die 28. Julii 1699. (ut apparet in fol. 33. primi Libelli qui hîc datur) habuerunt recursum ad Illustrissimum D. Nuntium Coloniensem, exhibentes Bullam prædictam; ad cujus exhibitionem quieti remanserunt, nec aliud fuit contra eosdem intentatum.

At rursus D. Jacobus de Bovylle institit apud D. Priorem Malmundarium, ut Capucinos moneret, & citaret ad docendum se paruisse mandatis executorialibus, prout monuit; & inde expeditum fuit monitorium cum cedulonibus die 31. Martii 1703., in quibus iterum Capucini involvuntur tanquam rei de inobedientia (ut apparet in secundo libello impresso, in fine, qui itidem exhibetur) Rursus Capucini ad D. Priorem Malmundarium recursum habuerunt, qui eos remisit ad Dominum de Bovylle, qui tandem videtur contra Capucinos acquiescere de futuro, dummodo intra præfixum tempus Romæ exemptionem ab hac causa impetraverint. Ideo Provincialis prædictus humiliter accedit ad D. V. Illustrissimam suppliciter postulans, ut digne-

tur

tur reflectere Capucinos non posse dici, nec esse defacto contumaces, eò quod non publicaverint prædictam excommunicationem, cum à tali functione per Bullam allegatam videantur exempti: cumque neque per D. Nuntium Coloniensem, nec aliud Tribunal, pendente controversia, fuerit judicatum, Capucinos, tali Bullâ obstante, teneri ad hujusmodi publicationem excommunicationis, sic non fuêre privati ab aliquo sui quasi possessione privilegii; quo durante, non videtur eos potuisse compelli, nec cogi, nec per censuras comminari. Propterea supplicat dictus P. Provincialis, ut dignetur S. Rotæ Tribunal in observantiam dictæ Bullæ mandare, & injungere eidem Delegato, sive cuicunque alteri Personæ, de revocando, quidquid hucusque gestum est contra PP. Capucinos, & quod imposterum abstineat à quacunque molestatione ex causa præmissa &c.

Die Lunæ 18. Junii 1703. Patres Capucini, nostris, imò verius Apostolicæ Sedis mandatis pareant.

Ita fuit resolutum in Rota votantibus omnibus Dominis. Joseph Molines S. Rotæ Decanus.

Ex Regesto tertio Memorialium asservato in Archivo Procuræ Generalis fol. 103., & 104.

DECRETO

S. Congreg. Concilii.

Methodus celebrandi Missas in Ecclesia Fratrum Bornhovii superfluas præscribitur.

CUM in loco nuncupato Bornhoven, existat Conventus PP. Capucinorum, in quorum Ecclesia veneratur Imago B.M. Virginis adeo miraculis clara, ut continua Fidelium devotio eleemosynas afferat, in magna quantitate pro Missis celebrandis, ac in dictis locis adsit penuria Sacerdotum, Fratres Capucini dicti Conventûs ad consulendum propriæ conscientiæ, & Fidelium devotioni, supplicant pro indulto celebrari faciendi in aliis Conventibus, qui intra, vel extra dictas Diœceses existunt, Missas illas, quæ in præfato Conventu celebrari nequeunt.

Die 24. Augusti 1715. Sacra Congregatio Concilii, attenta relatione Ordinarii Trevirensis benignè commisit eidem, ut veris existentibus narratis, & celebrato in Ecclesia prædicta majori, & possibili numero Missarum, superextantes Missas in aliis ejusdem Ordinis Ecclesiis, tam intra, quàm extra Diœcesin ab eodem Ordinario designandis pro suo arbitrio, & conscientia celebrari mandet; ita tamen, ut liber retineatur, in quo tam numerus Missarum, quàm Documenta illarum satisfactionis adnotari debeant, & Oratores de omnibus ad formam Bullæ de Celebratione Missarum *rationem reddere teneantur. Ac ulterius Ordinarius mandet in loco publico & patenti ejusdem Ecclesiæ apponi tabellam, in qua clarè & distinctè notificetur, quod Missæ, quæ in sæpedictis Ecclesiis ob illarum multiplicitatem celebrari nequibunt, in aliis ejusdem Ordinis Ecclesiis, ut suprà, celebrabuntur, & Minister ad oblationes, & eleemosynas recipiendas deputatus, eisdem Offerentibus declarationem præmittat, vel præfatam tabellam inditare non prætermittat.*

B. Card. Panciaticus Præf.

Ex Archivo Secretariæ Congregat. mens., & anni præd. reg. 65. f. 293.

NOTA.

CElebre hoc Mariæ Templum addixit nobis Archiepiscopus, & Elector Trevirensis tabulis sequentibus.

Joannes Hugo &c.

Cum sub initio inchoati nuper Archiepiscopalis muneris, ad quod Deus per gratiam suam Nos, licèt immeritos, vocare dignatus est, ea mentem nostram statim sollicitudo tenuerit, qua ratione cultum divinum per universam Nobis commissam Archi-Diœcesin promovere, disciplinam Ecclesiasticam instaurare, templis ac locis Religiosis, maximè in Salvatoris Nostri Jesu Christi, ac B. Mariæ Virginis honorem ab antiquo dedicatis, novum decorem addere, omniaque ad majorem Dei gloriam, commissique Nobis gregis salu-

salutem dirigere possemus, commodum accidit, ut Patres Capucini, qui traditam à Prædecessore nostro p. m. mansionem, seu privatam residentiam in Oppido nostro Wellmich dicto, hucusque incoluerant, eandem in locum Sacro Ordini, bonoque Archi-Diœcesis publico promovendo magis opportunum transferri suppliciter peterent.

Habitâ igitur cum Capitulo nostro Metropolitano maturâ deliberatione, nullum huic desiderio, ac Instituto magis congruum locum seligere potuimus, quàm illum ipsum, quem prædicti Patres desiderabant, nempe in eadem vicinia ad Rheni ripam in honorem Beatissimæ Virginis solitariè exstructum Templum, Bornhoven nuncupatum. quippe quod à circumjacentibus vicis, & Oppidis, imò & ipso proprio Rectore separatim situatum, ab aliquot jam sæculis magno sacræ peregrinationis affluxu celebre, accuratiorem nunc, in dies crescente eò confluentis Populi devotione, circa res divinas apparatum meritò requirere videbatur, enimverò cum Parochus in Oppido Camp dicto, ad quem Ecclesiæ Bornhoviensis, ceu Filialis, pertinet cura, eidem ob varia impedimenta ex officii Pastoralis administratione quotidie emergentia, pro dignitate, ac necessitate incumbere non possit, adventantes autem in dies peregrini pro votis Deo, & B. Virgini exsolvendis aliunde, & plerumque ex altera parte Rheni ad duo circiter millia passuum habitantes Sacerdotes, quod non solùm subditis nostris toto anni tempore majores creat sumptus, sed & maximè hyemali flumine tunc vel ex gelu, vel ex aquarum vehementia vix sine periculo navigabili, innumeras injicit memoratæ devotioni difficultates atque obices, sibi accersere cogantur, è re boni communis fore arbitrati sumus, si tam memorabile Templum proprio, eoque stabili, ac perpetuo divini cultûs ministerio dotari posset. Auxit hanc propensionem nostram cogitatio mirum in modum, sic quoque consuli posse circumhabitantium Acatholicorum conversioni, neque minus inde commodum etiam redundaturum in sparsim commorantes inter eosdem Catholicos, dum & hi sancta & religiosa Patrum Capucinorum conversatione ædificati, in pietate confirmari, & illi pari exemplo animati ad unitatem Fidei, Sanctæque Matris Ecclesiæ gremium reduci faciliùs possent. Quibus rationibus omnibus, etiam iis, quæ vicinorum Religiosorum & Pastoris interesse respicere possent, ritè perpensis, pastoralis nostra sollicitudo non immeritò animum nostrum impulit, ut dictam Patrum Capucinorum residentiam ex vicino Oppido Wellmich nuncupato ad Templum Bornhoviense transferri debere in Domino decreverimus, prout præsentium tenore litterarum, auctoritate & potestate nostra tam Archiepiscopali ordinaria, quàm Principali facultatem concedimus, & impertimur, ut præfati Patres Capucini translatâ ex Wellmich primævâ, ad templum B. V. Mariæ Bornhoven, novam residentiam exstruant, illamque sub obedientia suorum Superiorum secundùm Seraphici Ordinis sui instituta, sub numero tamen Patrum à Nobis assignando inhabitent, horas canonicas ibidem cantent, Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ in sublevamen pastoralis curæ administrent, Verbum Dei prædicent, rudes catechizent, conversioni vicinorum Acatholicorum apostolico zelo sub titulo Missionis incumbant, uberesque bonorum operum fructus, sicuti jam tum per universam suam Provinciam Rhenanam hactenus à prima sua fundatione magno Animarum lucro consueverunt, faciant. In quem finem claves Sacelli Bornhoviensis, imaginisque in eodem miraculosæ perpetuam curam, & custodiam supradictis Patribus Capucinis in constructa ibi residentia habitaturis, tanquam Beatissimæ Virginis Mariæ specialiter à Nobis electis Sacristanis committimus, tradendo illis sacra vasa, totamque Ecclesiæ illius supellectilem, cujus munditiem, & decorem sollicitè curent, ac sub nostra, & nostrorum Successorum Archiepiscoporum & Principum Trevirensium immediatâ protectione, & dominio, omnia ad majorem Omnipotentis Dei, & Beatissimæ Virginis Mariæ suæ Matris gloriam, cultûsque divini augmentum, Fidelium Populorum solamen, & commune commodum, quandocunque opus fuerit, prudenter disponere, & ministrare jugiter satagant, salvis semper in omnibus nostris, nostrorumque Successorum juribus & Parochorum, necnon liberâ super oblationibus, & donariis à fideli Populo istic fieri solitis quibuscumque, sicut olim consuevit, dispositione. Atque demum, ne præfati Patres Capucini, veluti qui juxta tenorem regulæ suæ Evangelicæ paupertatis Sectatores sunt strictissimi, in paupertate & humilitate Domino sic famulantes, in necessariis sustentandæ naturæ, exequendorumque officiorum deficiant, indulgemus, ut à pio & fideli populo eleemosynas per terminos nostræ Ditionis juxta proportionem aliorum Mendicantium in vicinia, nostra auctoritate, assignandos, colligere ac recipere liberè valeant. Quæ præfata omnia & singula eo, quo præmittitur, modo, & non aliter, Vobis & Sancto Ordini vestro auctoritate & tenore præsentium concedimus, indulgemus, & confirmamus. In quorum fidem &c. in Arce nostra Ehrenbreitsteiniana 5. April. 1678.

Ex Annalibus prædictis.

Gaudet & Marianum Wagheuselii Sanctuarium simili Missarum legendarum indulto, tum divisim, tum & unitim cum præposito Decreto emanato, quod & prius Ecclesiis nostris Walthurenæ, Agoniæ Domini & Montis Angelorum sub univoco tenore sub 18. Maii ejusdem Anni 1715. fuit concessum, autographo desuper in Archivo Provinciæ asservato.

Ad

Ad Conventum Fratribus in Civitate Francofurtensi restituendum, Augustissimi Imperatoris officia interpellat.

A tergo: *Charissimo in Christo Filio nostro, Carolo, Hispaniarum Catholico, nec non Hungariæ & Bohemiæ Regi Illustri, in Romanorum Imperatorem electo.*

CLEMENS P. P. XI.

Charissime in Christo Fili noster salutem, & Apostolicam Benedictionem.

PErspectum Nobis est, quàm enixo studio, ac zelo Majestas Tua dilectis Filiis, Fratribus Ordinis Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupatorum adesse, & suffragari dignetur, ut eis possessio restituatur Domûs Regularis, & Ecclesiæ in Francofurtensi Civitate sitarum, ê quibus illius Acatholici Magistratûs jussu dudum per manifestam, & insignem injuriam depulsi fuêre. Idcirco eximiam pietatem tuam, laudibus potius cumulandam, quàm hortationibus incitandam esse arbitramur ad opus, quod sponte tua jam strenuè urges, tibique plurimùm cordi esse palam ostendis. Verumtamen utilitatem, & commoda respicientes, quæ in Orthodoxam Religionem derivatum iri confidimus, ubi præfati Religiosi Viri pristinum in statum reponantur, & Paternæ Charitati, qua eorum Ordinem tot nominibus de Catholica Ecclesia, & hac S. Sede optimè meritum in Domino prosequimur, indulgentes, à Majestate Tua etiam atque etiam postulamus, ut, quod ultro hactenus præstitisti, studiosiùs insuper ac uberiùs intuitu nostro id ipsum præstare pergas, Tuisque ab officiis, & conatibus nunquam desistas, donec iidem Religiosi Viri justissimi voti compotes efficiantur. Rem certè in eo facies tum Nomini tuo maximè gloriosam, tum nobis apprimè gratam, & acceptam. Qui assiduam interea faustorum eventuum seriem Majestati Tuæ ex animo apprecamur, & Apostolicam Benedictionem amantissimè impertimur.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem die XXIII. Aprilis MDCCXVII. Pontificatus nostri Anno XVII.

Jo. Christophorus Battellus Archiep. Amassenus Secret.

Ex Secret. Brevium ad Principes *reg. mens. & anni præd. f.* 174.

Ecclesiam & Conventum S. Antonii Frācofurti ab anno 1628. usque ad annum 1717. virtute Brevis Apostolici Urbani Papæ VIII. continuò pertinuisse ad Ordinem, non obstantibus duabus venditionibus, primâ Antonitis, secundâ verò Principi de Lowenstein interea temporis nulliter factis, declarat, & in Syndicum Apostolicum Causæ, Episcopum Mallensem, Suffraganeum Moguntinum deputat.

CLEMENS PP. XI.

Ad futuram rei memoriam.

DUdum pro parte tunc existentium Præceptoris & Fratrum Domûs Regularis Ordinis S. Antonii de Sancto Antonio Viennen Oppidi de Höchst, Moguntin. Diœces. fel. record. Urbano Papæ VIII. Prædecessori nostro exposito, quod dicta Domus Regularis ære alieno gravata reperiebatur, nec Præceptor & Fratres præfati æs alienum hujusmodi faciliori, & minus dispendiosâ ratione extinguere poterant, quàm si alia quædam Domus regularis, cum illi annexâ Ecclesiâ in Oppido Francofurti, dictæ Diœcesis, juxta sua notissima latera, & à primodictâ Domo dependens, seu ad illam legitimè spectans, tunc pariter existentibus Presbyteris Societatis Jesu concederetur, ac in eorum favorem alienaretur, pretiumque ex venditione Domûs hujusmodi proveniens in dicti æris alieni dissolutionem converteretur. Idem Urbanus Prædecessor tunc etiam existenti Archiepiscopo Moguntino, S. R. Imperii Principi Electori, per alias suas in simili formâ Brevis expeditas Litteras dedit in mandatis, quatenus constito sibi legitimè de præmissis, eisdem Præceptori & Fratribus, ut secundò dictam Domum hujusmodi in dictos Presbyteros, justo, & rationabili pretio, unacum omnibus Juribus, dependentiis, & pertinentiis universis, servatis servandis, transferre, ac in eorum favorem alienare, pretiumque proveniens hujusmodi in dicti æris alieni dissolutionem, & non in alios usus convertere; Ipsi verò Presbyteri, ut domum cum annexis hujusmodi ad effectum inibi unam Regularem Domum, seu Collegium dictæ Societatis erigendi, acquirere valerent, sub certis modo & formâ, tunc expressis licentiam Authoritate suâ Apostolicâ concederet, prout in præfatis Litteris, quarum tenorem præsentibus pro expresso haberi volumus, pleniùs continetur.

Et

Et subinde pro parte tunc itidem existentis Procuratoris Generalis Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupatorum, eidem Urbano Prædecessori pariter exposito, quod Presbyteris prædictis licentiâ, domum hujusmodi acquirendi per dictas litteras sibi concessâ, minimè uti volentibus, illique expresè renuntiantibus, quondam Adamus Fraisbach, dum vixit, sæcularis, & collegiatæ Ecclesiæ Beatæ Mariæ Virginis ad Gradus nuncupatæ, Moguntinæ Diœcesf. Decanus, Domum prædictam nomine, & ad favorem dictorum Fratrum Capucinorum, ad effectum inibi ejusdem Ordinis regularem domum erigendi, à Præceptore & Fratribus prædictis pro certo pretio inter eos convento emerat, cupiebatque propterea dictus Procurator Generalis emptionem hujusmodi pro firmiori illius subsistentiâ & validitate, Apostolicæ confirmationis robore communiri, aliàsque desuper, ut infra, opportunè provideri. Idem Urbanus Prædecessor prædicto Archi-Episcopo Moguntino similiter dedit in mandatis, quatenus, veris existentibus narratis, emptionem domûs, cum annexis hujusmodi per dictum Adamum ad favorem eorundem Fratrum Capucinorum, ut præmittitur, factam, & prout illam concernebant, Instrumentum, & scripturas desuper factas, dictâ Auctoritate approbaret & confirmaret, illisque inviolabilis ac perpetuæ firmitatis robur adiiceret, ac omnes & singulos, tam juris, quàm facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenissent, suppleret: præterea in dictâ domo ad favorem eorundem Capucinorum, sicut præfertur, emptâ, unam eorundem Fratrum Ordinis Capucinorum Regularem domum, cùm Ecclesiâ, Sacristia, Dormitorio, Hortis, hortalitiis, Infirmariâ, aliisque membris, & Officinis necessariis & opportunis, sine tamen alicujus præjudicio, erigeret, & institueret, illique sic erectæ & institutæ, ejusque Guardiano, & Fratribus pro tempore existentibus, ut omnibus, & singulis privilegiis, Indultis, Indulgentiis, cæterisque gratiis, quibus aliæ ejusdem Ordinis Regulares domus, illarumque Guardiani & Fratres quomodolibet utebantur, & gaudebant, ac uti, frui, & gaudere poterant, vel potuerant quomodolibet in futurum, pari modo, & absque ullâ prorsus differentiâ uti, frui, & gaudere liberè & licitè valerent, eâdem Authoritate concederet, & indulgeret, & aliàs, prout in ejusdem Urbani Prædecessoris desuper in eâdem formâ Brevis die XIII. Septembris MDCXXVIII. expeditis litteris, quarum tenorem præsentibus pro expresso haberi volumus, plenius dicitur contineri.

Cum autem, sicut dilectus filius, modernus Procurator Generalis dicti Ordinis Capucinorum nobis nuper exponi fecit, litteris præfatis executioni demandatis, Fratres sui Ordinis in possessionem earundem Ecclesiæ & Domûs immissi fuerint, deinde verò ab Acatholicis violenter inde expulsi, *Ecclesiam & Domum hujusmodi absque hujus sanctæ Sedis beneplacito supradictis Fratribus Ordinis Sancti Antonii, istique successivè dilecto Filio, nobili Viro, Principi de Lowvenstein nulliter vendiderint*, ideoque idem modernus Procurator Generalis, attentâ nullitate & invaliditate duarum venditionum hujusmodi, memorati Urbani Prædecessoris litteras servari summopere desideret, Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportunè providere, &, ut infra, indulgere, de benignitate Apostolicâ dignaremur.

Nos igitur ipsum modernum Procuratorem Generalem specialibus favorib; & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis Excommunicationis, Suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causâ Latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, negotiis propagandæ fidei præpositorum consilio, prædictas Urbani Prædecessoris litteras, executioni demandatas, ut præmittitur, Authoritate Apostolica, tenore præsentium servari volumus & mandamus. Pro defensione verò jurium dictæ Sedis, ac eorundem Fratrum Capucinorum respectivè super iisdem Ecclesiâ, & domo, Venerabilem Fratrem, modernum Episcopum Mallensem, Suffraganeum ad exercenda Pontificalia in Civitate & Diœcesi Moguntina, dictâ Authoritate deputatum, in Syndicum Apostolicum cum omnibus facultatibus necessariis & opportunis earundem tenore præsentium facimus, constituimus, & deputamus, salvâ tamen semper in præmissis Authoritate Congregationis eorundem Cardinalium. Decernentes præsentes litteras firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac dicto Episcopo, ac aliis, ad quos spectat, & pro tempore quandocunque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari. Sicque in præmissis per quoscunque Judices Ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, si secus super his, à quoquam, quâvis Auctoritate scienter vel ignoranter contigerit atten-

attentari. Non obstantibus præmissis, ac omnibus, & singulis, quæ in præfatis Urbani Prædecessoris literis concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die xxx. Julii MDCCXVII. Pontificatus nostri anno decimo septimo.

F. Card. Oli verius.

Breve formatum in Archivo Provinciæ.

NOTA.

EXpulsos fuisse Francofurto Notatores memorat Apostolicum præpositum Breve, quod annales hujus Provinciæ fol. 172. ita describunt: *Erat hæc hæreticæ pravitatis hora, ac tenebrarum potestas*: unde & Francofurti sub cinere delitescens perfidia in apertas jam flammas prorumpit; Magistratus nimirum cum enormi Cæsareæ Majestatis offensa, & cum non minori Catholicæ Religionis opprobrio anno 1633. dum Administratores Svetici, qui sub sua nos protectione servabant, intra Heidelbergam agerent, armatâ nos manu die 23. Junii è Conventu propellit, per apparitores ad Mœnum deducit, parataque scaphâ Moguntiam descendere cogit, fisco supellectilem, Domum verò nostram & Ecclesiam, reservatis sibi quibusdam officinis, ad politicos & quæstuosos usus, cuipiam Apostatæ tradens. Verùm nec hic stetit persecutrix impietas; petulantiùs enim progressa, proscriptionem nostram, ceu facinus, cedro vel marmore dignum, æri incidere, prælo submittere, luci publicæ dare, passimque divulgare præsumpsit. Omnes itaque terras pervolans schediasma famosum exhibebat Capucinos processionaliter euntes cum anteambulo uno, ac altero pedisequo Apparitore, nec non militibus nonnullis stipatos, concurrentem dein sine numero plebem, scapham cum nauta sub hac epigraphe. *Charon salve*: ad exulum pedes hanc precem Sacrilegam: *o Sancte Nicolae in undis, libera nos de profundis*, in Superiori demum Schedismatis margine hæc impia vota: *præcipita eos in foveam, quam parant Sanctis tuis, & omnis populus dicat Amen.*

Novam transactionem, seu contractum de eadem Ecclesia & Conventu initum, & confecta desuper Capitula cum omnibus pactis &c. confirmat.

INNOCENTIUS PAPA XIII.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus Filius modernus Procurator, & Commissarius Generalis Fratrum Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupatorum, tam suo, quàm dilectorum Filiorum Fratrum Provinciæ Rhenanæ dicti Ordinis nomine, quod iidem Fratres mediante auctoritate clar. mem. Ferdinandi II. dum vixit, Romanorum Regis in Imperatorem electi, & bon. mem. Georgii Friderici, dum pariter vixit, Archiepiscopi Moguntin., & S. R. I. Principis Electoris, utpote tunc existentis Ordinarii, per quasdam fel. record. Urbani Papæ VIII. Prædecessoris nostri die XIII. Septembris MDCXXVIII. emanatas litteras, Francofurti in domum regularem cum illi annexa Ecclesia, quam quondam Gottschalcus, tunc Præceptor Generalis, ac Conventus Ordinis, S. Antonii Abbatis in Höchst, Adamo Fraisbach, I. V. Doctori, ac Sæcularium, & Collegiatarum Ecclesiarum Moguntinæ, & Francofurti Canonico, & respectivè Decano à Sede Apostolica eorumdem Fratrum dictæ Provinciæ Rhenanæ Syndico Apostolico specialiter deputato vendiderat, introducti, & immissi fuerunt, ex qua per quinquennium habitâ illius quieta possessione, iidem Fratres anno MDCXXXIII. sub Svecorum tumultuoso bello non secus, ac alii Religiosi expulsi fuerunt. Quia verò interea temporis duas, quæ intervenerunt, venditiones, primam nempe per Syndicum Apostolicum prædictorum Fratrum Capucinorum memoratis Fratribus Antonitis Anno MDCXCVIII. & secundam ab his Principi de Lovvenstein anno MDCC. factas, piæ memoriæ Clemens Papa XI. pariter Prædecessor noster, per quasdam suas expeditas litteras, ob defectum consensûs, & confirmationis ejusdem Sedis sub certis modo, & forma tunc expressis, nullas, & invalidas declaravit, & per alias etiam suas literas die xxx. Julii MDCCXVII. expeditas primo contractui inhærendum esse demandavit, necnon pro Conventus prædicti recuperatione ad prædictorum Fratrum Capucinorum usum omni modo urgendum esse præcepit, & aliàs, prout in eorundem Urbani, & Clementis Prædecessorum literis, quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus, uberiùs continetur.

Porro, cum inter dictos Fratres Antoni-


tonitas ex una, & Syndicum Apostolicum Fratrum Capucinorum hujusmodi ex altera partibus in puncto adimplementi contractûs, ejusque conditionum, & clausularum, ac circumstantiarum, diversissimæ contentiones exortæ fuissent, ad eas penitus abolendas in utriusque partis litigantis manifestissimum commodum, & utilitatem, Deo opitulante, ac mediante interpositione, & auctoritate Venerabilium Fratrum, modernorum Episcoporum Suffraganeorum ad exercenda Pontificalia in Civitate, & Dioecesi Mogun- tin. auctoritate Apostolica deputatorum, reliquorumque assistentium Compositorum relictâ viâ Juris, reservato tamen desuper nostro, & ejusdem Sedis beneplacito, amicabilis transactio super præmissis quæsita, & conclusa fuit, seu potiùs de novo reassumptus, ac roboratus primus sub eodem Urbano Prædecessore initus contractus, demptis demendis & appositis apponendis, tenoris, qui sequitur, videlicet. Et primò plurimùm Rev. & eximius D. Christophorus Humbert, præfati antiquissimi Ordinis Sancti Antonii Abbatis, Præceptor in Höchst, R. D. Muller Senior, ac totus Conventus sub Assistentia, ac consensu Reverendissimi D. Jo. Joachimi Episcopi Metellopolitani, I. V. D. Ecclesiarum Collegiatarum S. Petri, ac D. Virginis Mariæ ad Gradus Moguntiæ Canonici, & respectivè Scholastici, Eminentissimi Archiepiscopi Moguntini in spiritualibus Suffraganei Erfortensis, ac dictorum Dominorum Antonitarum Commissarii ab Eminentissimo Ordinario specialiter deputati, nomine sui, Successorum, ac Conventûs ad ratificandum, & penitus roborandum contractum emptionis, & venditionis anno MDCXXVII. initum, ratum, & confirmatum, ex hoc in perpetuum, Rmo, ac Illmo D. Episcopo Mallensi Eminentissimi Archiepiscopi Moguntiæ Suffraganeo, Ecclesiæ Collegiatæ Beatæ Virginis Mariæ ad Gradus Canonico, & Decano, ad S. Crucem extra Moenia Præposito, & pro hac causa à S. Sede Apostolica specialiter deputato Syndico Patrum Capucinorum Provinciæ Rhenanæ. in amplissima, qua fieri potest, Juris forma, memoratam Ecclesiam, ac Conventum Francofurtensem, mediante transactione prædicta restituere promisit, cum omnibus appertinentibus, adjuncto spatio, area, Juribus, Dominio, immunitate, privilegiis, cumque omni Jurium exercitio, actu, & habitu, usu, facultate utendi, eo modo, & forma, quibus antiquissimus Ordo S. Antonii Abbatis in memorata Ecclesia, ac Conventu à Summis Pontificibus, Romanis Imperatoribus, Regibus &c. dotatus, fundatus, aut quovis alio modo privilegiatus extitit usque modò, nullam omnino rem, quocunque indigitetur nomine, titulo, ac jure excipiendo (præter quosdam annuos census, fundo extra districtum memoratæ Ecclesiæ, ac Conventûs annexos) absque ulla ulteriore reservatione, conditione, aut clausula, ita ut ex hoc Patribus Capucinis absque ulla Reverendorum Patrum Antonitarum contradictione, prævia solutione pretii stipulati quanti, dictum Conventum jam olim memorato modo sibi venditum reoccupare, & ad supremi Numinis gloriam, ejusque cultum perpetuum, possessionem cum omni jure reassumere liceat, versâque vice RR. Patres Antonitæ eoipsò omni jure suo cedentes totum illud in Patres Capucinos transferre teneantur, prout insuper iteratò omnibus, & singulis Iuribus, prætensionibus, processibus, qualitercunque sive scriptis, sive alio quovis modo, nomine, aut termino extra, vel in jure excogitabili gestis, & actis, plenissimè, ac solemnissimè cedere, & renunciare promittunt, ideoque transactionem cum Patrum Capucinorum Syndico MDCXCVII. initam penitus abdicant, eamque penitus enervatam, cassam, annullatamque volunt, & agnoscunt, & consentiunt; pollicentes insuper quæcumque ad prædictam Ecclesiam, & Conventum pertinentia documenta, literas, Originalia, instrumentaque fideliter extradere, & immanuare Patribus Capucinis. Præterea & secundò Plurimum R. D. Præceptor, & Conventus suo, suorumque Successorum nomine venditionis contractui MDCXXVII. inito, & ratificatæ annexæ onerosæ conditioni, in puncto sibi reservati spatii, seu sitûs, ac in eodem per PP. Capucinorum Syndicum erigendæ Domus, Granarii, Cellæ vinariæ &c. ob Ecclesiam, ac Conventum interea incineratum, majoribus denuo sumptibus restaurandum plenissimè, ac solemnissimè renunciant, ita quidem, ut RR. DD. Antonitæ memoratam Ecclesiam, ac integrum Conventum absque ullius sitûs, spatii, seu juris cujuscunque reservatione, Patribus Capucinis penitus restituant, ita, ut nulla deinceps in perpetuum eis remaneat prætensio, aut jus aliquid prætendendi, præter pretium stipulatum, de quo Patres ipsi Antonitæ contentos se vocant, in compensationem omnimodam, ac satisfactionem omnem jurium, & prætensionum. Econtra & Tertiò Altefatus Reverendissimus, ac Illustrissimus Episcopus Mallensis, Patrum Capucinorum Syndicus Apostolicus in compensationem plenissimæ cessionis, restitutionis, ac renunciationis præmemorato Domino Præceptori, ac Conventui in una, ac eadem individua summa solvere promittit septendecim millia Floreno-

renorum monetæ Rhenanæ, computando florenum pro sexaginta crucigeris, ea intentione, & obligatione, ut obtento Sanctissimi Pontificis Maximi Innocentii XIII. clementissimo consensu, & ratificatione seu confirmatione, memoratus Reverendissimus Dominus Syndicus Apostolicus possessionem reassumpturus sit, secutâque immissione eodem tempore, hora, & instanti, pari passu RR. DD. Antonitis stipulatam summam absque ullo prætextu, remora, aut tergiversatione, quocumque titulo, vel colore in parata pecunia extradat, pro ejus pleniore assecuratione. Quartò. Prætactus Reverendissimus Dominus Syndicus Apostolicus pariter omnibus, & singulis prætensionibus, specialiter à tempore à RR. DD. Antoniis reassumpti, & reoccupati Conventûs perceptis fructibus, seu interesse, sicut & damnis ex Ecclesiæ, & Conventûs incinerati deterioritate causatis, reliquisque, quas Reverendissimus Dominus Syndicus judicialiter, vel extrajudicialiter formare posset, prætensionibus, item ad omnia genera, & species evictionum absque ulla exceptione, qualiter, & quomodocumque nuncupentur, aut humano sensu effingantur, in largissima juris forma renunciat, & in perpetuum motu proprio, spontaneo, deliberatoque renunciatum vult, sentit & consentit, ita ut deinceps post cessionem multoties memoratæ Ecclesiæ, Conventûs &c. ex altera, & solutionem stipulati quanti ex hac, neutra pars ab altera quidquid prætendere, aut postulare, nec minus exigere queat, sed ambæ cujusvis etiam excogitabilis prætensionis inter, vel adversùs se immunes sint, & maneant. Quemadmodum verò Quintò sæpedicta transactio per viam amicabilem facta parti utrique ad manifestissimum commodum, & utilitatem, ad exterminanda pariter exorta, & exoritura tædia, sumptuosam juris viam declinandam, præ primis autem ad supremi Numinis gloriam, nec minùs, ac specialiter ad abolenda per solvendam septendecim millium Florenorum prædictorum summam RR. PP. Antonitarum debita passiva, eorumque principale bonum utile vergit, itaque pariter utraque pars omnia, & singula puncta maturo, deliberatoque consilio, & animo inviolabiliter observare, stipulata manu in fidem juramenti compromittit, ac sanctè pollicetur. Quare dictus Procurator, & Commissarius Generalis nomine prædicto humiliter supplicari fecit, ut dictam transactionem, seu contractum Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communire de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ipsos Procuratorem, & Commissarium Generalem, ac Fratres Provinciæ Rhenanæ hujusmodi specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis Excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium tantùm consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, transactionem, seu contractum inter prædictas partes initum (ut præfertur) confectaque desuper capitula præinserta, cum omnibus, & singulis pactis, & conditionibus in eo contentis, auctoritate Apostolica, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes & singulos Juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Decernentes easdem præsentes literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & spectabit in futurum, plenissimè suffragari; Sicque in præmissis per quoscunque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, quatenus opus sit, fel. rec. Pauli II. & aliorum Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum de rebus Ecclesiæ non alienandis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Conventûs, ac Provinciæ, & Ordinum prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die prima Decembris MDCCXXII. Pontificatus Nostri anno secundo.

F. Card. Oliverius.

Breve formatum in Archivo Provinciæ.



CUSTODIA POLONIÆ.

F*Urit, & spumat Orcus, ubicunque jaciuntur nova virtutis semina, &, ut illa violento nefandoque afflatu suffocet, omnem movet rudentem :* Diabolus, *ait Petrus Ravanus,* semper primordia bona pulsat, captat rudimenta virtutum, sancta in ipso ortu festinat extinguere, sciens, quia ea subvertere fundata non possit. *Et testis est nostra in Regno Poloniæ Religio, quæ dum iteratò fundamenta fundationis incepit, Erebus, præsagus damni sibi ex ea adnascentis, vario impetu murum Filiæ Sion dissipavit. Fuit Religio in primo suo ibi partu similis Apocalypticæ Mulieri, quam Sole cum Luna sub pedibus amictam Draco vigili statione suspexit, ut, cum peperisset, Filium ejus devoraret. Pari cura & astu Religionis nostræ molimina observavit, ut prodeuntem ad lucem partum deglutiret, & Luciferum Seraphicum, qui oriretur, absorberet.*

Facta est autem salus & virtus, dum gloriosus Poloniæ Rex Joannes, III. Regni habenas moderabatur, nam sicut Fratres nostros palmari deperiit affectu, ita eos stabiles Regni sui Cives esse voluit, quos primò vocavit Litteris, ad Emin. D. Cardinalem Ordinis Protectorem ita datis.

Illustrissime, ac Reverendissime Domine.

Titulus ipse, quem Reverendissima Dominatio vestra præsefert, Protectoris videlicet Capucinorum Ordinis, magno Nobis est argumento suæ pietats, ac zeli erga hanc Sanctam Religionem, spemque ingerit, quod libenter sit cooperatura, ut à Sanctitate Sua humiles nostræ instantiæ, quas pro hoc Sacro Ordine, in Regno nostro stabiliendo, ablegavimus, exaudiantur. P. Jacobus à Ravenna, qui cum duobus sociis has peragravit Provincias, necessariasque in iis collegit notitias, regreditur nunc ad Almam Urbem, Reverendissimæ Dominationi Vestræ, ac suo P. Generali relaturus, quidquid habet notatum. Consolationi igitur esset nostræ, si ille ad Sanctitatis Suæ pedes admitteretur, prout & desuper Illustrissimis DD. Cardinalibus Cybo, & Vidoni scribimus. Si Reverendissima Dom. Vestra horum studiis sua quoque unire, & apud P. Generalem conclusionem operis tam pii, & à populo isto ob exemplaris vitæ rationem, in dictis tribus

Pa.

Patribus perspectam, ferventer desiderati, facilitare dignetur, non omittemus in omni occasione nostram erga Reverendissimam Dom. Vestram rerognitionem, regiamque nostram testificari propensionem, qui interim Eidem ab omnipotente Deo omnem magis desiderabilem prosperitatem precamur.

Datum Gedani 3. Decembris. 1677.

Joannes Rex.

Moræ, quam de felici successu tum sinistra priorum conatuum exempla, tum climatis rigor interjecerunt, piissimus Rex quasi pertæsus, suas instantias repetiit Litteris sequentibus, P. Generali inscriptis.

Joanes III. Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Chioviæ, Voliniæ, Podoliæ, Podlachiæ, Smolenski, Severiæ, Ezernicoviæ &c.

Admodum Reverende Pater.

Plusquam certi sumus, quod Paternitas Vestra stimulis non indigeat, ubi de incremento meritorum apud Deum pro ejus Religione agitur. Inde cupientes in hocce nostro Regno aliquos Capucinorum Conventus fundare, adventum in his partibus R. P. Pauli ab Imola, & Fr. Joannis à Monte Regali, socii ejus, desideramus, ex optima relatione, quam de iis habemus, confisi, quod hoc justum nostrum propositum perficere possimus. Imò ea est nostra, quam de Paternitatis Vestræ virtute & zelo concepimus, fiducia, ut persuadeamur, quod non solùm iis omni celeritate ad hasce nostras partes se conferre sit permissura, verùm etiam in casu emergentis difficultatis actura, ut hæc citò sopiatur.

Potest Paternitas Vestra exin perfectam sibi de Nobis polliceri recognitionem, præter continuandam æstimationem, quam æquè de ipso S. Ordine, ac Paternitatis Vestræ Persona fovemus. Javoroviæ 25. Augusti 1679.

Quæsivit & hac vice Avernus, Deo auspice suscepta consilia turbare, & pullulantis jam germinis decorem nefario molimine denuò polluere, ast callido nisu potentior, Regis magnanima pietas contrivit cornu malignantis, & prosecutionem operis contra potestatem tenebrarum curavit sequentibus litteris ad P. Generalem datis:

Joannes III. Dei gratia Rex Poloniæ &c.

Religiose, Devote, Nobis dilecte.

Devotio, qua universus Orbis Christianus fertur in Religionem Capucinam, Regium animum nostrum pariter moverat, ut eam in Regno nostro suis florescentem exemplis plantari curaremus; unde & à Summo Pontifice illam instanter flagitavimus, & obtentam dignâ fundatione complexi sumus: verùm post primos annos, in quibus altâ quiete gavisa est primas infixisse radices, primosque exemplaritatis flores emisisse, aliquali nimbo oriente apparuit nonnihil agitata, & sol tantæ religiosæ sanctitatis, unius, vel alterius defectu pati visus

est nonnullam ecclypsin. Nos, qui à prudentia edocti bene distinguimus inter particulare, & commune, nec unius defectum, alteri vitio vertimus, Paternitati Vestræ significandum duximus, quod, sicut immobilis perseverat benevolentia nostra erga Ordinem suum, ubique terrarum observantiâ admirandum, ita stabilem hîc optamus restitui illius quietem, quâ fruens nostrarum penes cursum gratiarum, fructum det in tempore suo. Religiosi hîc collocentur perfectionis amantes, apti moribus, & doctrina ad illos fines præaltos salutis animarum, & Sacrarum Missionum, quos in tali fundatione erigenda, Nos sublimi mente concepimus. Quod ut fiat, totam hujusce Domûs Regularis dispositionem absolutam, & respectivam Paternitati Vestræ relinquimus, quæ bene novit, quos mittere, quos amovere debeat. Nec facilè credat, hanc nostram remissionem seu deliberationem deinceps esse immutandam. Unde si quis auderet nomine nostro imposterùm scribere postulando individuos Religiosos, vel quid aliud Regulare tangens gubernium, ne credat, mentem nostram adesse, & omnia subreptitias putet instantias. Si quid enim optabimus aliquando, per Superiorem pro tempore, qui tunc hîc præsidebit, mentem nostram Paternitati Vestræ aperiemus, & nutus nostros significabimus: nunc liberè in capite, & in membris provideat. Hoc sit fixum, ne quisquam extraneus amplius quietem suam conturbare conetur. Interim perennitatem gratiæ nostræ, ipsique ejus sacro Ordini pollicemur, & pensum orationum suarum postulamus. Datum in Arce nostra Zolkieviensi 1687.

Firmato Regis consilio accessit & alacrior Religionis sollicitudo, ac pedissequus effectus, ita, ut ab illo tempore firmas egerit radices, & sub attento Provinciæ Boemicæ gubernio creverit in Olivam, seu Custodiam, fructus honoris & honestatis cum Populi admiratione germinantem, in plurium jam Conventuum ramos in locis, ubi Habitus Capucinus hucusque alienus fuit, diffusam, & virorem novæ Provinciæ pollicentem.

Jam, dum necdum erat, dedit Religioni Viros Illustres, Fr. Joannem Baptistam, Magni Cancellarii Filium, de quo memoriam Benedictionis superius folium 63. exhibet, Fr. Franciscum à Rodrasen, Provinciæ Boemieæ Alumnum, Missionarium, & aliquot librorum Authorem &c. &c. Dedit & mirabili Dei consilio Regium Principem Alexandrum Benedictum Stanislaum, ipsius piissimi nostri Fundatoris, & Regis Joannis, necnon Mariæ Casimiræ de la Grange, Filium secundò genitum, qui post diutiorem in Alma Urbe incolatum Anno 1714. graviore morbo affectus, & de æternitate cogitans, Institutum nostrum, emissâ inter P. Guardiani Romani manus professione vovit, & amplexus est. Vivus dum inter Fratres regulam profiteri haud valuit, mortuus inter eos commorari voluit, sepulturâ in Ecclesia nostra selectâ. Magnus Ecclesiæ Pontifex Clemens XI. ut faceret luctum secundûm meritum *Principis, & in Filio defuncto Regis Patris memoriam ob collata Ecclesiæ togæ sagique beneficia vivam demonstraret, exequiarum apparatum ære ordinavit Pontificio, ordinavit, ut Cadaver Principis ea ipsa funebri pompa, qua olim illud Christinæ Svecorum Reginæ ad Divi Petri Basilicam fuit deductum, per Almæ Urbis fora & compita, comite Fratrûm nostrorum cœtu, ad nostram splendidè ferali, horridaque Majestate contectam Ecclesiam deferatur, ubi ad unum Cadaveris in alto, & ardentibus funalibus cincto pegmate, seu funebri thalamo collocati latus Regia insignia, torques conchyliati Ordinis Sancti Spiritûs, seu fascia cœrulea cum crocea Cruce &c. ad aliud autem, Habitus Capucinus cum corda &c. inter tumultuantis Populi concursum cernebantur: Parentalibus à Pontificia Aula, & Musica terminatis, Fratres Fratri humili lessu parentârunt, & Cadaver ad jura sua sumptum, Habitu*

nostro

nostro indutum, & urnæ inclusum, ac hanc marmore contectam in facie Ecclesiæ muro Sanctuarii ad cornu Evangelii incluserunt, superimposita Principis effigie & adjecta epigraphe: Alexander, Princeps Regius, Joannis III. Regis Poloniæ Filius &c.

Custodia hæc inter Provincias Germaniæ dignè recensetur, tum, quod Princeps Germaniæ, defacto Sceptrum Poloniæ teneat, tum quod Provinciæ Boemicæ confiniis adjaceat, & ab hac statum acquisiverit floridum, & defacto diffusum.

Ad Conventus Fratrum VI.

Fabricas VII.

DECRETO.

Sacræ Congregationis de Propaganda Fide coram SSmo habitæ die 20. *April.* 1626.

Fratres ad Regnum Poloniæ pro nova ibi colonia erigenda ablegari mandantur.

Significante Apostolico Poloniæ Nuntio, Regem non solùm introductionem Patrum Capucinorum in illud Regnum approbare, sed etiam summopere illam exoptare, petereque, ut inter primos Capucinos illuc mittendos Fr. Valerianus Magnus, Boemiæ Provincialis annumeretur, Sacra Congregatio ad relationem Illustrissimi D. Cardinalis Bandini decrevit, ut sequitur:

Primò. Quod agatur cum Procuratore Generali Capucinorum, ut Fratres sui Ordinis doctrinâ, moribus, prudentia, & Disciplina regulari præstantes, quot necessarios esse judicaverit, eligat, eosque in Poloniam ad unum, vel plures Conventus fundandos, uti prædicto Regi placuerit, quamprimum mittat.

Secundò. Quod inter eos, qui mittentur, dictus Fr. Valerianus non connumeretur, quia ipse juxta decreta, aliàs facta, pro Fidei Catholicæ propagatione in Boemia Illustrissimo Cardinali de Harrach, Pragensi Archiepiscopo, qui ejus opera, & consilio indiget, assistere debet.

Tertiò. Quod scribatur Nuntio Poloniæ, ut apud Regem Sacram Congregationem excuset, si, donec Fr. Valeriani opera necessaria est in Bohemia, ejus desiderio satisfacere nequit, eundemque Regem certiorem reddat, quod Superiores Capucinorum mandatis Sacræ Congregationis obtemperantes, Religiosos optimos, & prædicto Fr. Valeriano non inferiores mittant.

Card. Ludovisius Præf.

Franciscus Ingolus Secret.

Exemplar autographum in Archivo generali Ordinis Armario Custodia Poloniæ.

NOTA.

Litteræ, quas ad Apostolicum D. Nuntium altefatus Cardinalis Præfectus dare jussus est, fuêre tenoris sequentis:

Perillustris & Reverendissime Domine uti Frater.

Harum lator erit Fr. Salvator à S. Salvatore Concionator, Capucinus, qui illuc pergit cum duobus Sociis, mentem S. Congregationis de propaganda fide, circa Patres eorum Ordinis in Regnum Poloniæ inducendos, executioni daturus.

Est ille subjectum bonorum morum, efficacis sermonis, cumque fuerit P. Hyacinthi à Casali in diversis Provinciis Socius, negotiorum quoque gnarus. Benignè eapropter illum Dominatio Vestra cum Sociis excipiet, eosque Regi præsentabit, quatenus juxta suæ Majestatis mandatum locum, quem magis expedien-

pedientem, & rationi instituti sui Ordinis magis conformem judicaverint. Major dein Fratrum numerus, si hisce statio ad vota succedat, cum tempore illuc ablegabitur. Me denique ad obsequia offero &c. Dominationis Vestræ.

Uti Frater

Cardinalis Ludovisius.

Franciscus Ingolus Secret.

Exemplar. in dicto Archiv. & Armario.

Litteras suas Apostolicas de calepodiis à RR. Patribus strictioris Observantiæ reassumendis, & præscripta aliàs Habitûs forma servanda, ad Regnum Poloniæ extendit.

A Tergo: *Venerabili Fratri, Antonio, Archiepiscopo Seleuciensi, apud Charissimum in Christo Filium nostrum, Sigismundum, Poloniæ & Sveciæ Regem Illustrem nostro, & Apostolicæ Sedis Nuncio.*

URBANUS PAPA VIII.

Venerabilis Frater salutem, & Apostolicam Benedictionem.

ALiàs à Nobis emanârunt literæ tenoris subsequentis, videlicet = Urbanus Papa VIII. Ad perpetuam rei memoriam = In supremo Apostolatûs solio, meritis licet imparibus, divinâ dispositione constituti, circe statum Religiosorum Ordinum quorumcumque in Ecclesia Dei militantium prosperè dirigendum, mentis nostræ aciem assiduè intendimus, eaque statuimus & ordinamus, per quæ prospero felicique eorum statui atque directioni consulitur, prout conspicimus in Domino salubriter expedire. Cum itaque causa inter dilectos Filios Fratres Ordinis Minorum S. Francisci Capucinos nuncupatos ex una, ac Fratres Ordinis strictioris observantiæ ex altera partibus de, & super reassumptione Calepodiorum, & distinctione Habitûs ad præscriptum Bullarum per diversos Romanos Pontifices Prædecessores nostros emanatarum, diu agitata, ac de mandato nostro in Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum, S. R. E. Cardinalium, negociis Regularium præpositorum iterum proposita, per eosdem Cardinales auditis partibus, visisque scripturis, maturè & diligentissimè perpensa, & examinata fuerit, Nos eorundem Religiosorum paci & quieti, felicique ac prosperæ directioni, quantùm in Nobis est, providere volentes, de eorumdem Cardinalium consilio, motu proprio & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, eisdem Fratribus strictioris observantiæ, quatenus Calepodia reassumere, soleasque ubique per totam Italiam deponere, nec eas imposterum recipere debeant, sub excommunicationis latæ sententiæ, ac privationis vocis activæ & passivæ, nocnon quoad Superiores, etiam suspensionis ab officiis ipso facto incurrendis pœnis, tenore præsentium iujungimus, ac insuper locorum Ordinariis, ut in casu transgressionis, Regulares strictioris Observantiæ prædictos ad id cogant, & compellant. Quoverò ad ejusdem Ordinis Fratres Recollectos nuncupatos Galliæ, qui non deferunt soleas, sed calepodia, cum constet eos Capuccium aliquantisper acuminatum deferre, Venerabili Fratri Bernardino, Archiepiscopo Damiatensi, moderno & pro tempore existenti nostro, & Apostolicæ Sedis in regno Franciæ Nuncio, per præsentes similiter mandamus, ut opportunè curet, quod omnino rotundum caputium, mozzetamque largiorem assumant. Præterea ad pleniorem certioremque provisionem, inhærendo præsertim literis fel. record. Clementis VII., & Gregorii XIII. Romanorum Pontificum, etiam Prædecessorum nostrorum, per easdem præsentes pariter mandamus, prædictos Fratres Strictioris Observantiæ non molestari, quin vilioribus, & repetiatis pannis & despecto colore utantur, sed volumus sub eisdem pœnis, quod eorum forma Habitûs quoad Caputiùm rotundum, mozzettam latam & Mantellum, perpetuò protensum sit, & esse debeat Observantiæ Fratribus omnino conformis, illumque intra duos menses aptare ac gestare debeant, atque ita per quoscumque Judices Ordinarios & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis aucto-

auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus &declaramus. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac, quatenus opus sit, dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis & literis Apostolicis, eisdem Fratribus strictioris Observantiæ, illorumque Superioribus & quibusvis aliis sub quibuscumque tenore & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, eorum omnium tenores præsentibus pro plenè & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod præsentium transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die x. Januarii MDCXXIV. Pontificatus Nostri anno primo.

Quare Nos eorumdem Fratrum & præcipuè in Polonia degentium paci, & quieti, quantùm cum Domino possumus, peramplius consulere volentes, motu, scientia, deliberatione, deque potestatis plenitudine similibus, præinsertas litteras ad omnes, & singulos dicti Ordinis strictioris observantiæ Fratres, in Polonia existentes, tenore præsentium extendimus, eosque sub dictis litteris comprehendi & comprehensos esse, ac censeri volumus & declaramus. Decernentes irritum &c. attentari. Quocirca Tibi per præsentes committimus & mandamus, quatenus per Te, vel alium, seu alios easdem præinsertas literas, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Fratrum Capucinorum prædictorum fueris requisitus, solenniter publicans, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistens, facias auctoritate nostra illas ab omnibus & singulis, ad quos spectat, & in futurum quomodolibet spectabit, firmiter & inviolabiliter observari, & adimpleri, non permittens eosdem Fratres Capucinos per quoscumque quomodolibet indebitè molestari, Contradictores quoslibet, & rebelles per sententias, censuras & pœnas Ecclesiasticas, aliaque &c. legitimisque &c. sæcularis. Non obstantibus felic. recordat. Bonifacii PP. VIII. Prædecessoris nostri de una &c. trahatur, aliisque omnibus & singulis, quæ in eisdem præinsertis litteris voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die xx. Decembris MDCXXVIII. Pontificatus Nostri anno sexto.

M. A. Maraldus.

Autograph. in Archivo Secretariæ Brevium Apostolicorum Reg. mensis & anni prædictorum fol. 1.

Ad instantias Joannis Regis III. Hospitium unum Fratrum in Civitate Cracoviensi, & aliud in Varsaviensi, etiam aliorum Regularium consensu non prærequisito, construi concedit, ita tamen, ut utrumque à Provincia Bononiensi dependeat, ab omni jurisdictione Ordinariorum exemptum, & sine S. Sedis licentia nec deseri, nec aliæ Domus sine ea acceptari possint.

A tergo: *Dilecto Filio, Commissario Generali, Ordinis Fratrum Min. S. Francisci Capucinorum nuncupatorum.*

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dilecte Fili salutem, & Apostolicam Benedictionem.

EX injuncto nobis divinitus Apostolicæ servitutis munere ad ea, per quæ Regularia loca ad Divini cultûs, & Religionis incrementum ubicumque locorum erigi valeant, libenter intendimus, & pastoralis officii nostri partes peculiari charitate desuper interponimus, sicut pia Catholicorum Principum vota postulant, & Nos locorum, Temporum, rerum, & Personarum qualitatibus maturè perpensis salubriter in Domino expedire arbitramur.

Exponi siquidem Nobis nuper fecisti, quod, cum charissimus in Christo Filius noster, Joannes, Poloniæ Rex illustris, pro singulari sua ergaOrdinem Fratrum Minorum Sancti Francisci Capucinorum nuncupatorum devo-

devotione Fratres ejusdem Ordinis in Regnum Poloniæ introduci, duoque pro illis Hospitia, unum quidem in Civitate Cracoviensi, alterum verò in Oppido Varsaviæ Posnaniensis Diæcesis erigi, & instituti plurimùm desideret, Dilecti Filii, Diffinitorium generale dicti Ordinis, suum super ea re consensum præstiterunt, idque etiam à dilecto Filio nostro, Felice Rospigliosio, S. R. E. Diacono Cardinale, Felice nuncupato, Ordinis prædicti apud Nos, & Sedem Apostolicam Comprotectore approbatum fuit. Quare humiliter nobis supplicari fecisti, ut in præmissis opportunè providere, &, ut infra, indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur piis memorati Joannis Regis Votis in præmissis, quantùm cum Domino possumus, favorabiliter annuere cupientes, teque spiritualibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisq; Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pęnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum dumtaxat præsentium consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus tuo nomine super hoc humiliter porrectis inclinati, tibi duo Hospitia pro Fratribus dicti Ordinis, unum quidem in Civitate Cracoviensi, alterum verò in Oppido Varsaviæ prædictis, dummodo tamen Ordinariorum locorum respectivè ad id accedat assensus, etiam nullo requisito, nec desuper interveniente quorumcumque Regularium in Domibus Regularibus vicinis digentium consensu, ita tamen, ut duo Hospitia hujusmodi à Provincia Bononiensi Ordinis prædicti dependeant, illique subordinata sint, nec Novitii ad Habitum Regularem in illis ullo modo recipi valeant, servatis aliàs servandis, auctoritate nostra Apostolica erigendi, & instituendi quamcumque necessariam, & opportunam faculatem, eadem auctoritate, tenore præsentium, concedimus, & impartimur. Volentes, & pari auctoritate decernentes, ut eadem duo Hospitia, postquam sic erecta fuerint, & Fratres in eis pro tempore commorantes juxta Constitutiones pro felici eorum gubernio à prædicto Felice Cardinale, & Comprotectore faciendas regi, & gubernari debeant, nec ipsa Hospitia subinde à prædicto Ordine, Fratrum Minorum Capucinorum absque expressa hujus S. Sedis licentia deferi unquam possint, neque sine pari ejusdem Sedis licentia aliæ Domus regulares, sive Hospitia ejusdem Ordinis in Regno supradicto erigi, & institui ullo modo valeant.

Porro prædictis duobus Hospitiis, postquam, ut præfertur, erecta fuerint, ac Fratribus in eis respectivè pro tempore degentibus, ut, licèt Fratres ipsi senarium numerum in quolibet eorundem Hospitiorum respectivè non implerent, nihilominus ab omnimoda Ordinariorum prædictorum respectivè jurisdictione, Visitatione, correctione, cura, & gubernio exempta, & exempti existant, ac huic S. Sedi Apostolicæ immediatè subjaceant, nec non in omnibus, & singulis Privilegiis, prærogativis, præeminentiis, gratiis, & indultis, quibus Conventus ejusdem Ordinis, & Fratres in eis commorantes tam de jure, quàm de consuetudine, quàm aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur, & gaudent, ac uti, frui, & gaudere possunt, & poterunt in futurum, pari modo, & absque ulla prorsus differentia uti, frui, & gaudere liberè, & licitè possint, & valeant, auctoritate & tenore prædictis concedimus, & indulgemus. Ac demum Fratribus in dictis duobus Hospitiis pro tempore commorantibus, & in sacro presbiteratûs Ordine constitutis, Sacramentales Christifidelium secularium ad eos recurrentium confessiones, dummodo tamen prius ad id à locorum Ordinariis respectivè approbati fuerint, audiendi, eosque à suis peccatis poenitentia salutari, & aliis, quę injungēda fuerint, eis injunctis absolvendi facultatem impertimur. Decernentes easdem præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari, sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, nec non dicti Ordinis, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die x. Septembris

bris MDCLXXX. Pontificatus Nostri anno quarto.

I. G. Slusius.

Breve formatum in Arch. gen. Ord. Armario Custodia Poloniæ.

Provinciam Bononiensem à cura & regimine Conventuum Poloniæ eximit, hosque immediato Superiorum Generalium gubernio subjicit.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

ALiàs pro parte tunc existentis Commissarii Generalis, Ordinis Sancti Francisci Fratrum Minorum Capucinorum nuncupatorum Nobis exposito, quod, cum Charissimus in Christo Filius noster, Joannes, Poloniæ Rex Illustris, pro singulari sua erga dictum Ordinem devotione Fratres ejusdem Ordinis in Regnum Poloniæ induci, duoque pro illis hospitia, unum quidem in Civitate Cracoviensi, alterum verò in oppido Varsaviæ Posnanien. Dioecesis, erigi & institui plurimùm desideraret, Definitorium generale dicti Ordinis suum super ea re consensum præstiterat, idque etiam à Dilecto Filio nostro Felice, S. R. E. Diacono Cardinale Rospigliosо, tunc Felice nuncupato, Ordinis præfati apud Nos, & Sedem Apostolicam Comprotectore approbatum fuerat, Nos piis memorati Joannis Regis votis favorabiliter annuere volentes, supplicationibus ejusdem Commissarii Generalis Nobis tunc super hoc humiliter porrectis inclinati, ipsi Commissario Generali duo Hospitia pro FF. dicti Ordinis, unum quidem in Civitate Cracoviensi, alterum verò in Oppido Varsaviæ prædictis, dummodo tamen Ordinariorum locorum respectivè accederet assensus, etiam nullo requisito, nec desuper interveniente quorumcunque Regularium in Domibus regularibus vicinis degentium consensu, ita tamen, ut duo Hospitia hujusmodi à Provincia Bononiensi Ordinis prædicti dependerent, illique subordinata essent. *Residuum harum Litterarum vide tomo secundo Bullarii pag.* 244. *col.* 2. *& earum tenorem confirmatum lege in Litteris sequentibus*;

Hospitia prædicta in Conventus, in quibus ad minus duodecim Fratres degant, & Sacerdotes inter eos Sæcularium confessiones excipiant, erigi, & in uno horum Conventuum Novitiatum cum duodecim pariter Novitiis institui confirmat.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

IN supremo militantis Ecclesiæ solio divina dispositione constituti, illa, quæ pro Religiosorum Ordinum eximiæ pietatis, & arctioris disciplinæ meritis conspicuorum latiori propagatione, pio prudentique decreta esse noscuntur consilio, ut firmiora semper atque stabiliora persistant, libenter, cum id à Nobis petitur, Apostolici muniminis præsidio roboramus.

Dudum siquidem pro parte tunc existentis Commissarii Generalis, Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Capucinorum, fel. rec. Innocentio PP. XI. prædecessori nostro exposito, quod, cum charissimus in Christo Filius noster, Joannes, Poloniæ Rex illustris, pro singulari sua erga dictum Ordinem devotione Fratres ejusdem Ordinis in Regnum Poloniæ introduci, duoque pro illis Hospitia, unum quidem in Civitate Cracoviensi, alterum verò in Oppido Varsaviæ Posnaniensis Dioecesis erigi, & institui plurimùm desideraret, tunc existens Definitorium Generale dicti Ordinis suum super ea re consensum præstiterat; idque etiam à bon. mem. Felice, dum vixit, S. R. E. Diacono Cardinale Rospigliosio nuncupato, Ordinis prædicti apud Sanctam Sedem Comprotectore approbatum fuerat; Idem Innocentius prædecessor supplicationibus ejusdem Commissari Generalis nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, ipsi Commissario Generali duo Hospitia pro Fratribus dicti Ordinis, unum quidem in Civitate Cracoviensi, alterum verò in Oppido Varsaviæ prædictis; dummodo tamen Ordinariorum locorum respectivè ad id accederet assensus, etiam nullo requisito, nec desuper interveniente quorumcumque Regularium, in Domibus Regularibus vicinis degentium consensu, ita tamen, ut duo Hospitia hujusmodi à Provincia Bononiensi Ordinis prædicti dependerent, illique subordinata essent; nec Novitii ad Habitum Regularem in illis ullo modo recipi valerent, servatis aliàs servandis, Auctoritate Apostolica erigendi, & instituendi quamcumque necessariam, & opportunam facultatem, eadem auctoritate con-

conceſſit, & impartitus fuit; volens, & pari auctoritate decernens, ut eadem duo Hoſpitia, poſtquam ſic erecta fuiſſent, & Fratres in eis pro tempore commorantes, juxta Conſtitutiones, pro felici eorum gubernio à prædicto Felice Cardinale & Comprotectore faciendas, regi, & gubernari deberent, nec ipſa Hoſpitia ſubinde à prædicto Ordine Fratrum Minorum Capucinorum, abſque expreſſa ſedis prædictæ licentia deſeri umquam poſſeut, neque ſine pari ejuſdem ſedis licentia, aliæ Domus Regulares, ſive Hoſpitia Ordinis prædicti in Regno ſupradicto erigi, & inſtitui ullo modo valerent. Porro præfatis duobus Hoſpitiis, poſtquam, ut præfertur, erecta fuiſſent, ac Fratribus reſpectivè in eis pro tempore degentibus, ut, licet Fratres ipſi ſenarium numerum in quolibet eorumdem Hoſpitiorum reſpectivè non implerent, nihilominus ab omnimoda Ordinariorum prædictorum reſpectivè juriſdictione, viſitatione, correctione, cura, & gubernio exempta, & exempti exiſterent, ac dictæ Sedi immediatè ſubjacerent, nec non omnibus, & ſingulis privilegiis, prærogativis, præeminentiis, gratiis, & indultis, quibus Conventus ejuſdem Ordinis & Fratres in eo commorantes tam de jure, uſu, & conſuetudine, quàm aliàs quomodolibet utebantur, fruebantur, & gaudebant, ac uti, frui, & gaudere poſſent, & poterant in futurum, pari modo, & abſque ulla prorſus differentia uti, frui, & gaudere liberè & licitè poſſent, & valerent, authoritate prædicta conceſſit, & indulſit. Ac demum Fratribus in dictis duobus Hoſpitiis pro tempore commorantibus, & in ſacro Presbyteratus Ordine conſtitutis ſacramentales Chriſti Fidelium ſæcularium ad eos recurrentium confeſſiones, dummodo tamen prius ad id à locorum Ordinariis reſpectivè approbati fuiſſent, audiendi, eoſque à ſuis peccatis, pœnitentia ſalutari, & aliis, quæ injungenda fuiſſeut, eis injunctis, abſolvendi facultatem eis impertitus fuit. Verùm ſubinde, cum pro parte tunc pariter exiſtentis Procuratoris Generalis ſupradicti Ordinis eidem Innocẽtio prædeceſſori expoſitum fuiſſet, quod uno ex dictis Hoſpitiis jam in dicto Oppido Varſaviæ erecto, tunc quoque exiſtentes Miniſter Provincialis, & Diffinitores ſupradictæ Provinciæ Bononienſis, cui dicta Hoſpitia, ut præfertur, ſubordinata erant, experti, ſuperintendentiam prædicti Hoſpitii jam erecti, ac fundationem alterius, rem ſibi eſſe valde oneroſam, tum propter eorum magnam locorum à dicta Provincia diſtantiam, & quod plenam eorum, quæ ad ſalubre gubernium ſpectabant, notitiam habere nequirent, tum ex eo, quod ipſi prædictis Hoſpitiis de Fratribus tantùm ſuæ Provinciæ, ſeu ſaltem Provincinciæ Lombardiæ, providere deberent, quod ſibi admodum difficile erat, & magni incommodi, ſummopere deſiderabant à ſuperintendentia hujuſmodi, & gubernio dictorum Hoſpitiorum liberari; eaque relinquere diſpoſitioni Superiorum Generalium dicti Ordinis, unde propter eorum majorem auctoritatem, & quod ipſi eos Fratres ex toto corpore ipſius Ordinis aſſumere valerent, quos ei rei magis aptos judicaſſent, exiſtimabant fundationem hujuſmodi à dicto Rege ad perfectionem jam ferè adductam poſſe Animarum ſaluti magis proficuam, zeloque & pietati ejuſdem Regis magis reſpondentem, & cum majori decore ipſius Ordinis provenire; ac propterea idem Procurator Generalis eidem Innocentio Prædeceſſori ſupplicari feciſſet, aſſerens prædictorum Joannis Regis, ac Felicis Cardinalis, & Comprotectoris, necnon ipſorum Superiorum vota in id concurrere, ut dictum Miniſtrum Provincialem, & Diffinitores Provinciæ Bononienſis à ſuperintendentia, & gubernio Hoſpitiorum hujuſmodi liberare, ac ipſa Hoſpitia diſpoſitioui dictorum Superiorum Generalium committere dignaretur, memoratus Innocentius Prædeceſſor ſupplicem libellum ſibi ſuper præmiſſis porrectum, ad Congregationem tunc exiſtentium ejuſdem S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitam remiſit, dicta antem Cardinalium Congregatio per ſuum Decretum die III. Octobris MDCLXXXVII. emanatum, eumdem ſupplicem libellum ſibi, ut præfertur, à dicto Innocentio Prædeceſſore remiſſum, memorato Felici Cardinali & Comprotectori remiſit, ut veris exiſtentibus narratis circa prędictas ejuſdem Procuratoris Generalis preces id ſtatueret, quod pro ſuo arbitrio, & prudentia in Domino expedire cenſuiſſet, ipſeque Felix Cardinalis & Comprotector auctoritate ſibi à dicta Congregatione per ejus Decretum antedictum attributâ, per ſuum itidem Decretum die 12. Novembris ejuſdem anni editum, ſupra memoratos Miniſtrum Provincialem, & Diffinitores Provinciæ Bononienſis, & Ordinis hujuſmodi pręſentes, & futuros à ſuperioritate, & gubernio memoratorum Hoſpitiorum Regni Poloniæ abſolvit, & liberavit, eadem ſuperioritati, & gubernio Superiorum Generalium ejuſdem Ordinis pro tempore exiſtentium commiſit, ſubjecit, & commendavit: ac ſucceſſivè Prædeceſſor Decretum hujuſmodi ſic à dicto Felice Cardinale & Comprotectore editum, toto illius tenore inſerto, eadem auctoritate confirmavit, & approbavit, & aliàs, prout in Brevis litteris ipſius Innocentii Prædeceſſoris, unius dei x. Septembris MDCXLXXX. & alterius

terius die XXIV. Decembris MDCLXXXVII. desuper in simili forma Brevis expeditis, quarum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis haberi volumus, uberiùs continetur.

Novissimè verò pro parte Dilecti Filii moderni Ministri Generalis dicti Ordinis Nobis exposito, quod ipse eodem Joanne Rege instante, ac Dilecto Filio nostro Nicolao, dictæ S.R.E. Presbytero Cardinale Acciaiolo nuncupato, Ordinis supradicti apud Nos, & sedem prædictam Protectore jubente, nonnullos quidem probatæ virtutis Religiosos dicti Ordinis in Regnum prædictum mittere statuerat, ut pio eorumdem Joannis Regis, ac Nicolai Cardinalis Protectoris proposito hac in re melius obsecundaret, & sui Ordinis in eodem Regno propagationem per bonorum operum exempla facilius promoveret, opportunum judicabat, ut ibidem regularis Disciplinæ observantia introduceretur; Ideoque pro parte dicti Ministri Generalis Nobis supplicato, ut eadem duo Hospitia opportuno tempore, videlicet cum ad idoneam & convenientem formam redacta fuissent, in Conventus erigi posse concederemus, adeo ut in eorum quolibet saltem duodecim dicti Ordinis Fratres, quemadmodum per quamdam re. me. Urbani VIII. prædecessoris pariter nostri Constitutionem præscribitur, permanere, ac sub regulari observantia juxta Regulam, & Constitutiones dicti Ordinis vivere deberent, necnon omnibus & singulis privilegiis, & indultis, quibus Conventus ejusdem Ordinis & Fratres in eis commorantes fruuntur, & gaudent, pariformiter frui, & gaudere juxta prædictarum Innocentii prædecessoris litterarum tenorem valerent, atque ita in eisdem duobus Conventibus regularis observantia stabiliretur; Quinimmo, & in eorum altero etiam Novitiatus, in quo duodecim Novitii ad Habitum per Fratres dicti Ordinis gestari solitum recipi, & subinde suo tempore ad Professionem regularem per eosdem emitti consuetam, admitti possent, institueretur. Postquam verò eadem duo Hospitia in Conventus, ut præfertur, erecta fuissent, Fratres in dictis duobus Conventibus pro tempore commorantes, & in sacro Presbyteratûs ordine constituti Sacramentales Christifidelium Confessiones ad eos recurrentium, de Superiorum suorum licentia, & dummodo prius ad id à locorum Ordinariis respectivè approbati fuissent, excipere valerent, donec, & quousque in Capitulo Generali dicti Ordinis ad præscriptum cujusdam Constitutionis piæ mem. Clementis PP. V. etiam prædecessoris nostri opportunè, hac in re provisum fuisset, ac salvâ memoratæ Congregationis Venerabilium Fratrum Nostrorum ipsius Sacr. Rom. Eccl. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ facultate, Novitiorum, ac Conventuum numerum augendi, postquam experientia felicem priorum Novitiorum successum demonstrasset, ac numerus Fratrum pro Conventibus jam erectis, & in posterum erigendis, sufficiens repertus fuisset.

Nos supplicem libellum super præmissis Nobis porrectum ad eamdem Congregationem Cardinalium remisimus. Porro dicta Cardinalium Congregatio per suum Decretum die v. Octobris proximi præteriti emanatum, supplicem libellum hujusmodi, sibi à Nobis, ut præfertur, remissum, memorato Nicolao Cardinali & Protectori similiter remisit, ut veris existentibus narratis circa præfati Ministri Generalis preces, id statueret, quod pro suo arbitrio, & prudentia in Domino opportunum judicâsset. Ipse verò Nicolaus Cardinalis & Protector, auctoritate sibi à dicta Cardinalium Congregatione attributa, Decretum edidit tenoris, qui sequitur. Nos Nicolaus miseratione Divina Tit. S. Callisti S. R. E. Presbyter Cardinalis Acciajolus, Ordinis Fratrum Minorum Capucinorum apud Sanctam Sedem Apostolicam Protector, auctoritate in retroscripto Decreto Sacræ Congregationis Eminentissimorum & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ nobis tradita, Ministro Generali Ordinis Fratrum Minorum Capucinorum concedimus facultatem, ut duo Hospitia Varsaviense scilicet, & Cracoviense suo præfato Ordini ab Innocentio fel. rec. PP. XI. concessa, erigantur in Conventus. Postquam autem erecta fuerint in Conventus, in eorum quolibet duodecim saltem Fratres juxta Constitutiones Urbani VIII. fel. record. commorari debeant, qui sublatis Constitutionibus prædictis Hospitiis factis, juxta regulam, & constitutiones Ordinis vivant, & gubernentur. Qui Conventus, & Fratres in eis respectivè pro tempore degentes ab omnimoda Ordinariorum respectivè jurisdictione, correctione, cura, & gubernio exempti existant, & S. Sedi Apostolicæ immediatè subjaceant; nec non omnibus, & singulis privilegiis, prærogativis, præeminentiis, gratiis, & indultis, quibus alii Conventus ejusdem Ordinis, & Fratres in eis commorantes, tam de jure, quàm de consuetudine, quàm alias quomodolibet utuntur, fruuntur, & gaudent, ac uti, frui, & gaudere possunt, ac poterunt in futurum, pari modo, & absque ulla differentia uti, frui, & gaudere liberè, & licitè possint, & valeant. Et qui dictorum Fratrum à locorum Ordinariis respectivè approbati, & à suis Superioribus, ad quos spectabit,

ctabit, expositi fuerint, sæcularium Confessiones excipere valeant, quoadusque per Religionem ipsam in Capitulo Generali ad præscriptum Bullæ Clemens VIII. fel. rec. consueto modo super hoc provideatur, Et insuper concedimus, ut in uno dictorum Conventuum prædictorum Generalis per se, vel per alium Novitiatum instituere, & duodecim Novitios ad Habitum, & Professionem recipere possit, servatâ Sacr. Congregationi facultate augendi tam Novitiorum, quàm Conventuum numerum, quando benedicente Domino, horum, qui primi Novitii fuerint, bonitas, & omnium numerus ad prædictos duos Conventus manutenendos, & alios fundandos, sufficiens, experientia teste, cognoscentur. Quibuscumque non obstantibus &c. Datum Romæ ex Ædibus nostris, hac die XVIII. Novembris 1691. = N. Cardinalis Acciajolus Protector = Loco ✠ Sigilli.

Cum autem, sicut dictus Minister Generalis Nobis subinde exponi fecit denuo, ipse Decretum hujusmodi, quò firmius subsistat, & servetur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desideret, Nos ejusdem Ministri Generalis votis hac in re, quantùm cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab Homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum à memorato Nicolao Cardinale Protectore editum, ut præfertur, cum omnibus, & singulis in eo contentis, Auctoritate Apostolica, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; & omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Decernentes easdem præsentes litteras firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari; sicque, ut præmittitur, per quoscumque judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non dicti Ordinis, aliisque quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die prima Decembris MDCXCI. Pontificatus nostri Anno primo.

I. F. Cardinalis Albanus.

Breve formatum in Archivo Gen. Ord. Arm. Custodia Poloniæ.

N O T A.

Gaudium & solatium, quod Rex de adventu ac sumpto à Patribus nostris horum Conventuum possessu concepit, manifestavit litteris sequentibus.

Joannes III. Divina gratiâ Rex Poloniæ &c.

Reverende Pater.

Cum consolatione extraordinaria intelleximus ex ultimis litteris, Cracoviæ datis, non solùm Paternitatem suam feliciter advenisse in illam Civitatem, verùm etiam sumpsisse commoditatem aquæ ad prosequendam ulteriorem viam Varsaviam usque. Extremè Nobis displicet, quod vicinus noster abitus ad bellum nos restrictos teneat ad quoddam tempus, ut non possimus viva voce Paternitatem suam excipere in ista Residentia; speramus tamen, quod istud principium fundationis suæ Paternitati non displicebit. In hac nostra brevi absentia à Varsavia non intermisimus dare mandata opportuna, ut Fratribus provideatur omni eo, quod eis potest esse necessarium. Unde aliud nobis non superest, quàm recommendare nos in pias preces Paternitatis vestræ, conjunctas precibus omnium Religiosorum, qui Paternitatem suam sequuntur. De reliquo obsecramus Deum benedictum, ut Paternitatem suam conservet. Javoroviæ 31. Julii 1692.

Pa-

Paris lætitiæ indices junxit Regina litteras, sub hoc tenore.

Maria Casimira, Dei gratiâ Regina Poloniæ &c.

Reverende Pater.

Non est ordinaria hæc satisfactio, quam conjunctim Serenissimus Rex, & consors noster amantissimus probat cum omnibus nobis de felici Paternitatis vestræ adventu ad novam residentiam: gaudemus de hoc extremè, non diffidentes, quin cum tempore Poternitas vestra sit futura persuasa de zelo & devotione, cum qua tam Nos, quàm tota nostra Regia Prosapia suspicit exemplaritatem Instituti tam Sancti, uti est Paternitatis Vestræ.

Notitia, quam Nobis dare voluit de adventu suo Cracoviæ, Nobis fuerat summè grata. Unde aliud nunc Nobis non restat, quàm recommendare Nos in pias preces Paternitatis Vestræ, & suorum sequacium. Precamur à Deo Paternitati suæ omnem prosperitatem. Javoroviæ die 31. *Julii* 1692.

Fratribus circa officiaturam in Ecclesia Varsaviensi ob magnificam hujus structuram nonnihil anxiatis, scrupulus demptus est litteris sequentibus:

Admodum Reverende Pater Commissarie Generalis.

Dum mihi Eminentissimus Cardinalis Barberinus repræsentâsset, quod vestra Paternitas & alii Patres noluerint officiare in festo Stigmatum, & aliis Solemnitatibus Ordinis vestri in Ecclesia Varsaviensi, ex eo quod esset nimium magnifica, & extra usum vestrum, de hoc locutus sum cum Beatitudine Sua, & Suæ Sanctitati complacuit mihi ordinare, ut vestris Paternitatibus significem, quod dispenset in hac parte quantum ad præscriptum Constitutionum, & ut imposterum in dicta Ecclesia liberè officient sine ullo respectu. Hoc idem faciunt Venetiis, utpote in Ecclesia Reipublicæ, & hoc idem accidit Romæ à tempore Urbani VIII. Sanct. mem. qui id ordinavit similiter. Unum & alterum exemplum non permittet, nequidem parere quid novi, si practicetur hoc ibi in Ecclesia, quæ est Regia. Seponant itaque omnem scrupulum, & confirmati piissimis rationibus Suæ Beatitudinis orent Deum pro me, qui apprecando omnibus cœlestem benedictionem, & omne solatium permaneo. Romæ 18. *Octobr.* 1692.

Nicolaus Cardinalis Acciajoli Protector.

Ad litterarum calcem Eminent. Protector addidit propriâ manu hæc verba: Sua Sanctitas vult, ut officient in hac Ecclesia, & ipsis tollit omnem scrupulum.

Ex Archivo Custodiæ.

PONTIFICIO MANDATO.

Per Illustrissimum, & Reverendissimum D. Nuntium Poloniæ, Fr. Joanni Francisco ab Aretio, Commissario Generali intimatum, Fratres in aulis & Domibus Sæcularium ad claustrum redire jubentur, & deinceps sine S. Congregationis licentia in iis morari inhibentur.

Adm. Reverende Pater.

INter immensas Pastoralis Sanctissimi Domini nostri curas sollicitudinis cum non postremum possideat locum Sacrorum Ordinum Religiosorum in suo debito statu conservatio, plurimùm inde Ejus afflixit pectus continuò magis sese relaxans abusus Religiosorum ad Aulas Sæcularium ê Monasteriis evolandi, ac per plures annos in iis commorandi, plerumque non sine diminutione religiosi spiritûs, ac perfectæ observantiæ proprii instituti. Quibus omnibus Sua Beatitudo occurrere satagens, ejusmodi ad me dirigi fecit mandatum sub die 8. Martii 1703. quatenus omnibus in hoc Regno, & magno Ducatu Lituaniæ Religionum primariis Superioribus ejus paternam deferrem mentem, cum requisitione, ut videlicet quantocyus Religiosos suæ Provinciæ & jurisdictionis, ex aulis, aliisque quibuscunque locis extra claustrum religiosum degentes, in Conventus suos revocent, eorundemque, qui extra claustrum religiosum morantur, catalogum mihi transmittant, nec amplius ad extra manendum Religiosos suos dispensandi sibi potestatem sumant, cum Sanctissimus Dominus noster eam ita sibi reservet, ut Sæculares imposterum in Domibus suis Religiosorum necessitatem sibi esse existimantes, Sacræ Congregationi Episcoporum & Regularium petitiones

nes & rationes exponere, resolutionemque obtinere necesse habeant. Hoc ego Suæ Beatitudinis mandatum dum Paternitati Vestræ communico, & sub severis in casu contraventionis infligendis pœnis injungo, ejusdem seriam executionem, amputatis omnibus excusationibus & dilationibus in præmissis punctis omnibus commendo, & notificationem de peracta totali executione à Paternitate Vestra avidissimè præstolor, Eidemque omnia fausta precans maneo.

F. Archiep. Neapolitanus.

Exempl. authenticum in Archivo Custodiæ.

DECRETO

S. Congregat. Episc. & Regul.

Novam Domum in Civitate Leopolitana construi committitur.

Eminentissimi, ac Reverendissimi Domini.

PRocurator Generalis Capucinorum reverenter supplicat, quatenus Eminentiæ Vestræ concedere dignentur gratias sequentes: I. Ut alius Conventus in una Civitatum Leopolis, aut Posmiliæ, aut in utroque loco, in Polonia ædificetur. II. Ut alii Novitii in numero duodecim ad minus recipi possint, cum fundatio ibi in bona reperiatur dispositione. III. Ut sanetur professio duorum Fratrum sine expressa S. Sedis licentia receptorum. IV. Cum duo Summi Pontifices Innocentius XI. & Innocentius XII. pro fundatione duorum Conventuum Cracoviensis & Varsaviensis concesserint, ut erigi possent: *dummodo ad id accederet assensus Ordinariorum locorum, nullo prærequisito, nec desuper interveniente quorumcunque Regularium, vel in Domibus Regularium vicinis degentium consensu*, hoc idem pro fundatione prædicta indulgere dignentur. Quam &c.

Sacra Congregatio Eminent., ac Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negot., & consult. Episc. & Regul. præposita, referente Eminentissimo de Abdua ad suprascripta dubia inscriptum in modum respondendum censuit, nempe:

Ad I. *distulit resolutionem ad mentem.*

Ad II. *Concedendam esse facultatem recipiendi ad Habitum duodecim Novitios, octo Clericos, & quatuor laicos, prout præsentis Decreti vigore illis, ad quod spectat, benignè concedit.*

Ad III. *Indulsit sanationi, dummodo non transeat in exemplum, & monendos esse Superiores, prout præsentis Decreti tenore moneri mandat, ac præcipit. Romæ* 22 *Junii* 1708.

G. Card. Carpineus.

Ex quo cum fundationis preces manserint imperfectæ, earumque effectus suspensus, Pater Procurator Generalis eas renovavit libello supplici sequente:

Emi, ac Rmi Domini.

Institit P. Procurator Generalis Capucinorum mense Junii proximè præteriti, quatenus Eminentiæ Vestræ licentiam pro novi Conventûs fundatione in Civitate Leopolis concedere dignentur, cum pro ejus fabrica Illustrissima Domina Conjunx Magni Generalis Regni notabile subsidium obtulerit, & offerat, & pendente dilatione, Illustrissimus & Reverendissimus Episcopus Leopolien. in forma authentica consensum præstiterit, prout videre est ex subjuncta illius copia, tenoris videlicet:

Jo: Skarbek Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Marochiensis, Suffraganeus, Custos, & administrator Generalis Archiepiscopatûs Leopoliensis.

Universis, & singulis, quorum interest, aut in futurum quomodolibet interesse poterit, significamus, & ad notitiam indubitatam deducimus, quomodo Illustrissima D. Elisabeth Sieniawska Palatina Belzensis, Ducissa Generalis Exercituum Regni, zelo devotionis, ac cultûs Divini promovendi accensa, fundum Leopoli extra mœnia Civitatis situm, Religiosis Patribus Ordinis Minorum S. Francisci Capucinorum pro ædificanda, & extruenda Ecclesia, & Conventu ipsorum formali contulit, in quo fundo, quatenus eandem Ecclesiam, & Conventum ædificari, & extrui concederemus, Religiosus Pater Franciscus à Pescia, ejusdem Ordinis Commissarius Generalis in Regno Poloniæ, unà cum instantia prælibatæ Illustrissimæ Palatinæ Belzensis Nobis humiliter supplicavit. Nos ante omnia, ne alicui in jure suo præjudicium inferre videremur, formam, modum, & praxin in similibus observari solitam secuti, literas cridæ in vim Citationis Generalis, seu edicti publici ex Cancellaria nostra, cum tempore competenti, extrahi mandavimus, in quarum litterarum termino pro die lunæ,

nonâ

nonâ Mensis Julii Anno proximè præterito millesimo septingentesimo octavo incidente, & successivè, cum nemo hujusmodi supplicationi contradiceret, imò prævio consensu Reverendissimi Capituli, Deputati Religiosi Ordinum Leopoli existentium, coram Nobis, & Judicio nostro personaliter comparentes, in fundationem, & erectionem Ecclesiæ, & Conventûs dictorum, nomine Conventuum suorum vivâ voce expressè consentirent; Nos eo attento, quod nemo petitionem, & instantiam suprascripti Religiosi P. Commissarii præpediret, quinimo Regulares Ordinum, in ædificationem, & exstructionem Ecclesiæ, & Monasterii consensum præberent, ante omnia legitimare personas dictis Religiosis Patribus mandavimus. Tandem productis Nobis literis authenticis, in vim legitimationis personarum suarum servientibus, iisdem instantibus non nisi construendi Ecclesiam & Conventum formalem, etiam ex causa temporis congrui, facultatem dedimus, & concessimus, suspensâ tamen erectione ad beneplacitum, assensum, & confirmationem Sanctæ Sedis Apostolicæ, infra tres Menses sub nullitate juris ad Ecclesiam, & Monasterium procurandam, & obtinendam, & coram Nobis producendam; cui erectioni nullam contradictionem hucusque intervenire, imò grato animo pro augendo cultu Divino, ab omnibus eandem suscipi præsentibus attestamur. In quorum fidem &c.

Datum Leopoli in Russia, die 26. Mensis Januarii 1709.

Jo: Skarbek Episc. Mar. Suffrag. Custos General. Administ. Archiep. Leopol.

Aliud igitur pro fabrica, seu novi Conventûs fundatione prædictâ requirendum non restat, quàm Eminentiarum Vestrarum facultas, pro qua obtinenda Procurator Generalis humillimas suas replicat preces, motus tum à zelo, ne tam opportuna occasio gloriam Sanctæ Sedis cum sui Ordinis propagatione in illis partibus ampliatam videndi perdatur, tum à desiderio novellas duorum Conventuum Varsaviæ & Cracoviæ plantas firmandi, & Juvenes Polonos, factos Capucinos, ab omni eximendi molestia, facilè aliàs ex præsenti illius Regni tumultu, vel ex difficultate ex parte Provinciæ Tusciæ dictis novellis plantis provisionem Religiosorum subministrandi, iis accessurâ. Planè si memoratam Provinciam incepti operis tæderet, prout cum Bononiensi evênit, difficulter alia reperiretur, quæ tanto oneri succumbere posset, aut vellet.

Insuper, si Conventus hic Leopolitanus erigatur, facilitatur tempore magis congruo exitus Hospitii in Civitate Dantisci, vulgò Danzica ab Episcopo Kioviæ, qui ibi jurisdictionem habet, desiderati, & simul cum hoc Missionariis ad partes Persiæ, & aliorum Regnorum ituris facillima via aperietur. Stantibus hisce motivis Procurator Generalis animatur ad denuo supplicandum Eminentiis Vestris pro prædicta novi Conventûs Leopolitani fundatione, & ad sperandum benignissimum assensum &c.

Sacra Congregatio Emin., ac Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis & consultationibus Episcoporum & Regularium præposita, viso consensu Episcopi Leopolitani Suffraganei, Capituli Ecclesiæ Cathedralis, & Regularium per ipsum Episcopum transmisso, referente Eminentissimo de Abdua, censuit committendum, prout præsentis Decreti vigore benignè committit Eminentissimo Acciajolo, dicti Ordinis apud S. Sedem Protectori, ut veris existentibus narratis, &, postquam sibi constiterit, fabricam prædicti novi Conventûs, cum Ecclesia, campanili, choro, refectorio, dormitorio, hortis, & spatiis, numeris omnibus esse absolutam, & supellectili tam sacra, quàm prophana sufficienter instructam; necnon ex elemosynis piorum Benefactorum, saltem duodecim hujusmodi Religiosos sustentari posse, ad petitam Conventûs prædicti erectionem, ac Religiosorum introductionem pro suo arbitrio, & prudentia, servatis servandis, procedi mandet, ita tamen, ut in reliquis ea omnia, quæ per Sacros Canones, S. Concilium Tridentinum, Constitutiones Apostolicas, & Ordinis prædicti circa hujusmodi Conventuum Regularium erectiones, præscripta sunt, religiosè serventur. Romæ 26. April. 1709.

G. Card. Carpineus.

Ferdinandus Archiep. Nicenus Secret.

Æquè de pondere, ac de veritate rei optimè instructus Eminent. Cardinalis Protector, Decretum S. Congregationis complevit Decreto, quod sequitur:

Nicolaus, Miseratione Divina Episcopus Portuensis, S.R.E. Cardinalis Acciajolus, apud S. Sedem Apostolicam Seraphici Capucinorum Ordinis Protector.

Auctoritate in retroscripto Decreto S. Congregationis Emin., ac Reverendissimorum Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negot. & consult. Episc. & Regul. præpositæ Nobis specialiter attributa, concedimus harum serie & tenore FF. Capucinis in Regno Poloniæ nunc & pro tempore existentibus, juxta preces in annexo libello à P. Procuratore Generali

vali super hoc ipsi S. Congregationi porrectas, & expressas, & ex ejusdem S. Congregationis gratia benignè exauditas, quatenus possint fundare, & actu fundent in Civitate Leopolitana novum Conventum, ad cujus constructionem juxta Ordinis constitutiones cap. 6. conari debent Fratres manuale præstare auxilium pro eorum posse cum omni humilitate, pace & charitate, & ideo deputato per Patrem Commissarium Generalem Poloniæ aliquo Religioso ad hoc idoneo, qui fabricæ præsit, cum aliquibus Fratribus, qui eidem Præsidenti subsint, & fabricam pro eorum posse coadjuvent, & in specie assistant, ut in tali constructione serventur omnia ea, quæ per Constitutiones Ordinis sancita sunt, ita ut in toto ædificio appareat vera necessitas, & sacra tecta reluceat ubique Minoritica paupertas,

Completâ autem totius Conventûs fabricâ, nempe Ecclesiæ, chori, dormitorii & cæterorum in prædicto S. Congregationis Decreto expressorum, & necessariorum, & de omnibus apud Nos constito, & edocto procedatur ad dicti novi Conventûs formalem erectionem, & Familiæ completæ introductionem, servatis servandis ad tenorem Sacrorum Canonum, Constitutionum Apostolicarum, nec non Ordinis &c. In quorum fidem &c. 12. *Sept.* 1709.

N. *Episcopus Portuensis, Cardinalis Acciajolus Protector.*

Hujus & superiorum Documentorum exempla autographa reperiuntur in Archivo Generali Ordinis, Armario Custodia Poloniæ.

D E C R E T O

S. Congreg. Episc. & Regul.

Novam Domum in Civitate Lublini construi, & à Pratribus Confessiones Sæcularium excipi, ad instantias Principis Pauli Sangufzko, Ducis &c. conceditur.

Eñi, & Rñi Domini.

PRocurator, & Commissarius Generalis Capucinorum EE. Vestris reverenter exponit, qualiter jampridiem ad pias instantias Sacræ Majestatis Joannis III. Regis Poloniæ fuerit Auctoritate Apostolica Innoc. XI., ac Innoc. XII. introducta Capucinorum Religio in Regnum Poloniæ, in qua actu jam tres constructi habentur Conventus, nempe Varsaviæ, Cracoviæ, & Leopoli. Impræsentiarùm autem, postulantibus Celsissimis Principibus Paulo Lubartowicz, Duce Sangusko, Curiæ Mareschallo, Magni Ducatûs Lithuaniæ, ac Marianna Ducissa in Ostrog Lubomirska ejus dignissimâ Conjuge, denuo se offert nova occasio fundandi quartum Conventum Lublini; pro qua fundatione jam habetur consensus Illustrissimi, ac Reverendissimi Domini Episcopi Dioecesani Cracoviensis, Reverendissimi Capituli Collegiatæ, utriusque Cleri tam sæcularis, quàm regularis, necnon totius Universitatis Civitatis Lublinensis, uti constat ex authenticis attestatis, quæ exhibentur.

Quocirca Procurator Generalis præfatus, ad quem hujuscemodi negotii productio, ac promotio spectat, supplicat reverenter EE. VV. pro necessariâ facultate ad fundandum allegatum Conventum cum extensione facultatis, occasione cæterarum trium fundationum concessæ, excipiendi Confessiones Sæcularium à Fratribus, etiam in novo extruendo Conventu commoraturis. Quam gratiam Deus &c.

Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consult. Ep. & Reg. præposita, referente Eño Nicolao Spinola, benignè commisit Episcopo Cracoviensi, ut veris existentibus narratis, ac omnibus interesse habentibus auditis, postquam sibi constiterit, fabricam dicti novi Conventûs cum Ecclesia, campanili, choro, refectorio, dormitorio, & aliis officinis necessariis, hortis, & spatiis numeris omnibus esse absolutam, ac supellectili tam sacra, quàm profana sufficienter instructam, necnon ex eleemosinis piorum benefactorum saltem duodecim hujusmodi Religiosos commodè substentari posse, ad petitam Conventûs præfati erectionem, & eorumdem Religiosorum introductionem, pro suo arbitrio, & conscientia, servatis servandis, procedi mandet: ac insuper eadem S. Congregatio indulsit, ut Sacerdotes Capucini commorantes in memorato Conventu, qui antea à suis Superioribus, ad quos spectat, expositi fuerint, & postea ab eodem Episcopo, ejusque Successoribus approbati, sæcularium Confessiones excipere possint, & valeant, quoadusque per Religionem in Capitulo Generali, ad præscriptum Bullæ sanctæ mem. Clementis VIII., consueto modo super hoc provideatur. Et in reliquis ea omnia, quæ per sacros Canones, Sacrum Concilium Tridentinum, ac Constitutiones Apostolicas, & Ordinis prædicti circa tales novorum Religiosorum Conventuum erectiones, præscripta sunt, religiosè serventur. Romæ 24. *Junii* 1723.

F. Card. Paulutius.

NO-

NOTA.

Allegata in Libello supplici Celsissimi Principis Sanguszko pia Conventum fundandi intentio, fuit expressa litteris, ad R. P. Petrum Mariam à Luca Procuratorem, & Commissarium Generalem datis sub hoc tenore.

Inter præstantiora Orthodoxæ Romanæ Ecclesiæ decora, sublimiori eminens gradu, Religiosorum instituto Seraphici Patris Francisci strictiùs adhærentium, insignis in pietate perfectio, adeo intimos animi mei sensus occupavit, ut eos peculiari hucusque coluerim affectûs mei studio: denique non alio motivo, nec humanis compulsus consiliis, sed Divino ductus instinctu, unà cum Consorte mea Conventum Reverendorum PP. Capucinorum Lublini, institutis Religionis hujus adæquatum, & capacem exstruere maturâ, & constanti deliberatione constitui; nihilque amplius superest ad desiderii mei integram plenitudinem, nisi Reverendissimæ Paternitatis Vestræ assensus, quem ut assequar, præsentibus humillimè Eam convenio. Suffragabitur hisce meis precibus non leve commodum, quod Patribus in hoc Regno commorantibus accedit; siquidem hæc recens Lubliensis futura erectio Varsaviensi, ac Leopoliensi planè intermedia, Itinerantium è Conventibus enormi locorum distantia separatis, difficultates, & angores non postremo reficiet solatio. Quapropter repetitis justo votis, ut & Sacræ Religionis augeantur progressus, & mea bona voluntas, ex facultate Reverendissimæ Paternitatis Vestræ non inanem sortiatur effectum, qui me excitabit ad ulteriores benemerendi conatus, quos candido pectore voveo, simulque obsequiorum meorum alacritatem polliceor, ac maneo.

Paulus, Dux Sanguszko, Maresch. M. D. Lith.

Varsaviæ die 24. *Novembris* 1722.

Consensus Ordinarii autem in libello pariter vocatus sonuit, ut sequitur:

Constantinus Felicianus in Szaniawy Szaniawski, Dei, & Apostolicæ Sedis Gratiâ Episcocus Cracoviensis, Dux Severiæ, &c.

Universis, & singulis, quorum interest, aut in futurum interesse poterit, significamus, expositum Nobis est ex parte Religiosorum Patrum Capucinorum Ordinis Sancti Francisci; qualiter piâ quorundam Christifidelium, nominatim verò Celsissimorum Principum Pauli Lubartovvitz Sangusko, Curiæ Mareschalci, Magni Ducatus Lithuaniæ, ac Mariannæ Ducissæ in Ostrog. Lubomiriæ liberalitate oblatâ, ad Civitatem Lublinensem, Diœcesis nostræ Cracoviensis, invitentur, quâ pietate allecti, & incitati ibidem Conventum Ordinis sui exstruere, & fundare intendunt, Nobisque humiliter supplicaverunt, quatenus iisdem facultatem nostram ordinariam, sine qua ex dispositione Sacri Concilii Tridentini Sessione 25. Capit. 3. de Regularibus, *intentionem suam exequi nequeunt, hoc in passu impartiri dignaremur. Nos pro munere nostro pastorali, ardentissimo studio optantes, cupientesque, ut Gloria Dei, cultusque ejus in Diœcesi nostra augeatur, amplificetur, & majora in dies sumat incrementa, supplicationem hujusmodi paterno affectu amplectentes, facilè ad id assensum nostrum accommodandum, & præbendum duximus, prout accommodamus, & præbemus dictis Patribus in præfata Civitate Conventum exstruendi, & fundandi, citra tamen præjudicium, & incommodum præexistentium aliorum tam sæcularium, quàm Regularium Ecclesiarum, & servatis Constitutionibus Summorum Pontificum Clem. VIII. Gregorii XV desuper editis, per Urbanum VIII. innovatis, & per Innocentium X amplificatis, facultatem damus, & concedimus per præsentes. In quorum fidem præsentes manu propria subscripsimus, & sigillo nostro munitas dedimus Varsaviæ in Palatio nostro Episcopali, die Mercurii quarta mensis Novembris, Anno Domini* 1722.

Constantinus Szaniawski, Episcopus Cracoviensis.

Consensum suum Clerus, tum Sæcularis, tum Regularis exhibuit sequenti formâ.

Universis, & singulis præsentes litteras inspecturis, nominatim verò Admodum R. Patri, & Religioso in Christo Patri Benedicto Commissario Generali PP. Capucinorum in Regno Poloniæ, Salutem in Domino.

Quantum Universali Ecclesiæ Dei decus, præsidium, & ornamentum adferant Sacri Religiosorum Cœtus, & Congregationes, earumque digito Paternæ dexteræ exarata instituta, non modo præsens, & anteacta ætas confitetur, deprædicat, & veneratur, verùm & usque ad consummationem sæculi laudare, & præconizare haud unquam cessabit. Quapropter exempla Matris Sanctæ, nimirum Romanæ Ecclesiæ, Religiosos omnes amplexantis, & ad maternorum uberum participationem per inexplicabilem Divinam providentiam, Pauperum sustentatricem admittentis, deque illis spirituali teneritudine exultantis, & velut pretiosissimis monilibus, ac clenodiis se exornatis, sequuti, ut inter alia optimis Institutionibus, & virtutibus, ac christiani Zeli nitore resplendentia in Civitate Lublinensi Regularium Cœnobia, &

Templa, locum habeat novissima, à multis desiderata & expetita Religiosorum in Christo Patrum Capucinorum Fundatio, pro augmento & decoris, & consolationis primariæ in præfata Civitate Lublinensi Ecclesiæ nostræ Collegiatæ, viso prius, & lecto Celsissimi Principis loci Ordinarii, & Pastoris sui gratiosissimi super eadem fundatione dato consensu, & Diplomate, eandem fundationem supramemoratorum Patrum Capucinorum, de unanimi Prælatorum, & Canonicorum, ac totius Cleri Lublinensis voto, & suffragio admitti, ingremiari, & adscribi decrevimus, prout & præsentibus literis nostris admittimus, ingremiamus, & adscribimus. Universos, & singulos, specialiter verò Celsissimos Fundatores Paulum Sanguszko Lubartovvicz, Magni Ducatûs Lithuaniæ Curiæ Mareschalcum, & Mariannam Ducissam in Ostrog, nec non & admodum Reverendum Patrem Generalem Capucinorum de hoc nostro assensu certiores facientes, imò, ut opus sanctum Fundationis prælibatæ perficiatur, permittentes. In quorum fidem &c. &c. Dabantur Lublini in Capitulo ad eum effectum specialiter congregato Die mensis Januari 31. Anno Christi 1723.

Michael de la Marss Archidiaconus Capituli Ecclesiæ Lublinensis Præsidens &c.

Cui & suum Civitatis conjunxit tenore sequenti.

Proconsul, & Consules Civitatis Sacræ Regiæ Majestatis Lublinensis.

Significamus præsentibus literis nostris, quorum interest, universis, & singulis, devenisse ad nos, Officiumque nostrum, Rescriptum Sacræ Regiæ Majestatis Domini nostri Clementissimi, die nona Mensis Januarii, anno præsenti, ad nos, respectu novæ fundationis Religiosorum Patrum Capucinorum hic Lublini in fun'o Civili per Celsissimos Principes Sanguszkoviæ Coniuges erigendæ, ordinatum; cui quidem inhærendo Rescripto Sacr. Regiæ Majestatis Domini Nostri Clementissimi, ex vi Officii nostri, atque Divinum cultum in dies auctiorem fieri curando, felicioraque sæcula, & majora, per majorem Dei gloriam augendam, sperando, eisdem Religiosis Patribus Capucinis noviter per prædictos Celsissimos Sanguszkovviæ Conjuges Mareschalcos Curiæ Magni Ducatûs Lithuaniæ fundandis, consensum de unanimi voto nostro, ad coemendas domos, fundos, areas (quantum ad exstructionem Ecclesiæ & Conventûs pro necessitate ejusdem Sanctæ Religionis competierit) in fundo civili, jurisdictioni nostræ subjecto, existentes, inscriptionumque venditorearum ad acta Civitatis præsentis facienda recognitione, salvis nihilominus oneribus Reipublicæ, & Civibus per prædictos Celsissimos Principes Fundatores, juxta mentem literarum Sacræ Regiæ Majestatis, de fundis coemendis, deportandis, & in bonis Civitatis præsentis locandis, damus, præsentibusque litteris nostris permissa concedimus, & permittimus, quantumque ex nobis est, consentimus, consensûs præsentis vigore. In quarum literarum majorem fidem, præsentes literas manu nobilis Notarii nostri subscriptas, sigillo Officii nostri communiri, fecimus. Datum Lublini in Officio nostro die 21. Mensis Februari 1723.

Michael Skoss Sacræ Majestatis Servus Notarius Civitatis Lublinensis.

Ex Archivo Custodiæ.

EPISTOLA

S. Congregat. Episc. & Regul.

Constructio novæ Domûs in loco Lubartoviæ, Nuntio Apostolico Varsaviæ committitur.

CUm Patres Capucini illius Regni Sacræ Congregationi Episcoporum, & Regularium pro Apostolica facultate fundandi novum sui Ordinis Conventum, quem Princeps Sanghusko, in loco suo Lubartoviz construi cupit, supplicaverit, & Eminent. Patres probe dignoscant, quod ex locorum distantia immediatior informatio, secundùm quam hujusmodi instantiæ expediri debent, ab iis haberi haud possit, Amplit. Tuæ à me scribi voluerunt, quatenus facultate dictæ Sacræ Congregationis, & servatis servandis, Authoritatem & Apostolicum consensum interponat, & quidem eò magis, quod hîc Documentum consensus Episcopi Cracoviensis, loci Ordinarii fuerit exhibitum, de quo hisce adjungitur exemplar.

Ita exequetur &c. Romæ 6. Septemb. 1737.

Franc. Card. Barberinus.

Ex Secretaria Congregation. mens. & anni prædict.

DE-

DECRETO

Sac. Congreg. Epiſc. & Regul.

Novam Domum in loco Sendiſzoviæ conſtruere, Fratribus conceditur.

Emi, & Rmi Domini.

Cum Illuſtriſſimus Michael Potoski Palatinus Volhyniæ in Polonia, Domum, & Eccleſiam pro Fratribus Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum in ſuo Oppido hæreditario Sedziſzow, Diœceſis Cracovienſis fundare, & conſtruere intendat, Eminentiſſimus loci Ordinarius executionem operis hujus ſuo aſſenſu approbet, & nullus aliorum Regularium Conventus in memorato loco, vel ejus vicinia, ad tria milliaria Germanica exiſtat, EE. VV. humillimè ſupplicatur, quatenus ſuam quoque facultatem prædictis adjungere dignentur. Quam gratiam &c.

Sacra Congregatio Eminentiſſimorum, & Reverendiſſimorum Sacræ Rom. Eccleſiæ Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum & Regularium præpoſita, referente Eminentiſſimo Rufo, Ponente, attento conſenſu Eminentiſſimi Epiſcopi Cracovienſis, eidem benignè remiſit, ut veris exiſtentibus narratis, & dummodo per novam fundationem nullum præjudicium inferatur juribus Parochialibus, quoad adminiſtrationem Sacramentorum, & funeralia, & quod Religioſi in eventum litis occaſione hujuſmodi præjudicii movendæ, exemptionibus, & privilegiis Religioni competentibus ſe tueri non poſſint, & inſuper in locum illius petii Terræ, ſuper quo Monaſterium erigi debet, & in recompenſationem decimarum ſubrogentur aliqua Terrarum petia favore Parochiæ: & demum, poſtquam ſibi conſtiterit novum Conventum, cum Eccleſia, Campanili, Choro, Refectorio, Dormitorio, Hortis, & ſpatiis numeris omnibus eſſe abſolutum, & ſupellectili tam ſacrâ, quàm prophanâ ſufficienter inſtructum, & quod inibi duodecim ſaltem Religioſi commodè ali poſſint cum piorum eleemoſynis, abſque detrimento Religioſorum in Monaſteriis, ſeu Conventibus antea in Civitatibus, ſeu locis circumvicinis erectis, alioquin Monaſterium erigendum omnimodæ juriſdictioni Ordinarii ſubjiciatur, & quod explicitus conſenſus ſupradictorum Religioſorum præceſſerit, ad petitam novi Conventûs erectionem, fundationem, & Religioſorum introductionem pro ſuo arbitrio, & prudentia deveniat: Ita tamen, ut in reliquis ea omnia, quæ per Sacros Canones, Sacrum Concilium Tridentinum, & Conſtitutiones Apoſtolicas, & Ordinis circa hujuſmodi novorum Conventuum erectiones præſcripta ſunt, ad amuſſim ſerventur.

Romæ 18. *Septembris* 1739.

I. *Card. Firrao.*

Ex Secret. Sacr. Congregat. menſ. & anni prædictorum.

TABULÆ TOPOGRAPHICÆ

In quibus Domus, ſeu Conventus Provinciarum, quarum hic Tomus meminit, Latino, & vernaculo nomine indicantur pariterque Diœceſis Conventuum, & qualitas locorum, in quibus exiſtunt, cum anno fundationis &c. annotantur.

In memoriam hîc revocet benevolus Lector ea, quæ Tomo ſecundo fol. 431. *de Civitatis nomenclatura dicta ſunt, notetque, quod Provinciæ Ultramontanæ ab Italico more, quo loca & Sedes Epiſcoporum privativè Civitates dicuntur, recedant, & loca, vallis & mœniis cincta, aut aliàs à Principe titulo Civitatis condecorata &c. amplè* Civitates *ad iis nuncupentur.*

PROVINCIA HELVETICA.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Vernacul.*	*Qualitas Loci.*	*Diœceſis Loci.*	*Annus Fundationis.*
Altorffium *Uriorum.*	*Altdorff.*	Oppidum.	Conſtantienſis.	1581
Appenzella, *ſeu Abbatiſcella.*	*Appenzell.*	Oppidum.	Eadem.	1587
Artha.	*Arth.*	Oppidum.	Eadem.	1655
Bada.	*Baden.*	Oppidum.	Eadem.	1591
Bremgarta.	*Bremgarten.*	Civitas.	Eadem.	1618
Bruntrutum.	*Bruntrut.*	Civitas & Sed. *Princ. & Ep. Baſileenſis.*	Biſuntina.	1655
Bullum.	*Bulle.*	Civitas.	Lauſanenſis.	1665
Delemontum.	*Delemont.*	Civitas.	Baſileenſis.	1624
Dornacum.	*Dornac.*	Pagus.	Baſileenſis.	1672
Frauenfelda.	*Fravenfeld.*	Civitas.	Conſtantienſis.	1595
Friburgum *Nuithonum.*	*Fribourg en Sviſſe.*	Civitas.	Lauſanenſis.	1609
Lucerna.	*Lucern.*	Civitas.	Conſtantienſis.	1583
Melſium.	*Mels.*	Pagus.	Curienſis.	1651
Navelium.	*Neffels.*	Oppidum.	Conſtantienſis.	1673
Olta.	*Olten.*	Civitas.	Baſileenſis.	1646
Rapperſwila.	*Rapperſchvveil.*	Civitas.	Conſtantien.	1602
Sarna.	*Sarnen.*	Oppidum.	Eadem.	1642
Schüphemium.	*Schüphen.*	Pagus.	Eadem.	1655
Solodorum.	*Solothurn.*	Civitas.	Lauſanenſis.	1688
Stantium.	*Stanz.*	Oppidum.	Conſtantienſis.	1682
Svitium.	*Schvveiz.*	Oppidum.	Eadem.	1586
Surlacum.	*Surſee.*	Civitas.	Eadem.	1606
Tugium.	*Zug.*	Civitas.	Eadem.	1597
Wila.	*Weil.*	Civitas.	Eadem.	1653


Miſ-

Miſſiones, & Reſidentiæ ſtabiles.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Vernaculum.*	*Qualitas Loci.*	*Diœceſis Loci.*	*Annus fundationis.*
Curia *Rhœtorum.*	*Chur.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi Principis.	1625
Landerona.	*Landeron.*	Civitas.	Lauſanenſis.	1696
Mons S. Antonii.	*S. Antoni-berg.*	Pagus.	Curienſis.	1728
Mons Regius.	*Riggi-berg.*	Sanctuarium Marian.	Conſtantien.	1715
Rotondimontum.	*Remont.*	Civitas.	Lauſanenſis.	1725
Undervazium.	*Undervaz.*	Pagus.	Curienſis.	1698
Urſaria.	*Urſelen.*	Pagus.	Eadem.	1688
Zizerium.	*Zizers.*	Pagus.	Eadem.	1686

Monaſteria Monialium.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Vernac.*	*Titulus Eccleſiæ.*	*Numerus Monial.*	*Qualitas Regulæ.*
Altiſtadium.	*Altſtetten.*	. . . . . .	22	Tert. Ord. cum Habitu & Conſtit. Ord. noſtri.
Altorffium.	*Altdorff.*	S. Carolus Borrom.	44	Eadem.
Appencella.	*Appenzell.*	S. Maria Angelorum.	32	Eadem.
Bada.	*Baden.*	Coronatio B. V. M.	32	Eadem.
Friburgum *Nuithonum.*	*Friburgum in Vchtland.*	S. Joſeph, Sponſus B. V. M.	37	Eadem.
				Eadem.
Grimmenſtein.	*Grimmenſtein.*	. . . . . .	27	Eadem.
Lucerna.	*Lucern.*	S. Anna B. V. M. M.	60	Eadem.
Notkerſegg.	*Neckerſegg.*	B. V. Maria.	26	Eadem.
Roſchachium.	*Roſchac.*	. . . . . .	26	Eadem.
Solodorum.	*Solothurn.*	S. Nomen Jeſu.	40	Eadem.
Stantium.	*Stanz.*	S. Clara Virgo.	63	Eadem.
Tugium.	*Zug.*	Præſentatio B. V.	30	Eadem.
Wattvvila.	*Wattvveil.*	S. Maria Angelorum.	24	Eadem.
Wunenſtein.	*Wunenſtein.*	. . . . . .	32	Eadem.

Sigillum 

Provinciæ.

PRO-

PROVINCIA ANTERIORIS AUSTRIÆ.


Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci German.*	*Qualitas Loci.*	*Diœcesis Loci.*	*Annus Fundationis.*
Arga.	*Argen.*	Pagus.	Constantien.	1694
Bada *Marchionis, seu Marchio-Badena.*	*Margraff-Baden.*	Civitas.	Argentinensis.	1631
Bezavium.	*Bezau.*	Pagus.	Constantien.	1656
Biberacum.	*Biberach.*	Civitas.	Eadem.	1616
Bludentum.	*Bludenz.*	Civitas.	Curiensis.	1645
Brigantium.	*Bregenz.*	Civitas.	Constantien.	1635
Brisacum.	*Brisac.*	Civitas.	Eedam.	1625
Cella *Ratholdi.*	*Cell.*	Civitas.	Eadem.	1622
Constantia.	*Constanz.*	Civitas.	Sedes Episc. Princ.	1602
Enga.	*Engen.*	Civitas.	Eadem.	1618
Friburgum *Brisgojæ.*	*Freiburg in Brisgew.*	Civitas.	Eadem.	1599
Haslachium.	*Haslach.*	Civitas.	Argentinensis.	1630
Immenstadium.	*Immenstatt.*	Oppidum.	Constantien.	1650
Lauffenburgum.	*Lauffenburg.*	Civitas.	Basileensis.	1650
Mahlberga.	*Mahlberg.*	Civitas.	Argentinensis.	1672
Marchdorffium.	*Marchdorff.*	Civitas.	Constantien.	1652
Möskirchium.	*Möskirch.*	Civitas.	Eadem.	1659
Neostadium.	*Neustadt.*	Oppidum.	Eadem.	1670
Oberkirchium.	*Oberkirch.*	Oppidum.	Argentiensis.	1695
Offenburgum.	*Offenburg.*	Civitas.	Eadem.	1637
Ravenspurgum.	*Ravenspurg.*	Civitas.	Constantiensis.	1626
Rhenofelda.	*Rheinfelden.*	Civitas.	Basileensis.	1596
Riedlinga.	*Riedlingen.*	Civitas.	Constantien.	1644
Rottenburgum.	*Rottenburg.*	Civitas.	Eadem.	1622
Rottvvila.	*Rottweil.*	Civitas.	Eadem.	1623
Stauffa.	*Stauffen.*	Civitas.	Eadem.	1683
Uberlinga.	*Uberlingen.*	Civitas.	Eadem.	1618
Veldkirchium.	*Veldkirch.*	Civitas.	Curiensis.	1601
Villinga.	*Villingen.*	Civitas.	Constantien.	1655
Waldishuttum.	*Walzhuett.*	Civitas.	Eadem.	1650
Wanghena.	*Wangen.*	Civitas.	Eadem.	1641

Residentiæ.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci German.*	*Qualitas Loci.*	*Diœcesis Loci.*	*Annus Fundationis Loci.*
Oppenovium.	*Oppenau.*	Oppidum.	Argentinensis.	1668
Stockachium.	*Stockach.*	Oppidum.	Constantien.	1719
Stuehlinga.	*Stuehlingen.*	Oppidum.	Eadem.	1737
Wilerstadium.	*Wilerstadt.*	Civitas.	Spirensis.	1640

Monasteria Monialium.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Germ.*	*Titulus Ecclesiæ.*	*Numerus Monialium.*	*Qualitas Regulæ.*
Brigantium.	*Bregenz.*	S. Anna.	. . .	*Tertii Ord. cum Constit. Ord. nostr.*
Marchdorffium.	*Marchdorff.*	S. Joseph.	. . .	Eadem.
Pfulendorffium.	*Pfulendorff.*	SS. Cor Jesu.	. . .	Eadem.
Segginga.	*Seckinga.*	SSma Trinitas.	. . .	Eadem.

Sigillum 

Provinciæ.

PROVINCIA
FLANDRO=BELGICA.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Flandricum.*	*Qualitas Loci.*	*Diœcesis Loci.*	*Annus Fundationis.*
Aldenarda.	*Audenaerde.*	Civitas.	Gandavensis.	1608 -- 1613
Alostum.	*Aelst.*	Civitas.	Mechliniensis.	1614
Antverpia.	*Antwerpen.*	Civitas.	Sedes Episcopi.	1586
Arschotum.	*Aerschot.*	Oppidum.	Mechliniensis.	1686
Brugę. *arum.*	*Brugghe.*	Civitas.	Tornacensis.	1592 -- 1617
Bruxellæ. *arum.*	*Brüssel.*	Civitas, & resid. Princip.	Mechliniensis.	1587 -- 1651
Cortracum.	*Cortryck.*	Civitas.	Tornacensis.	1610
Furaducis.	*Tervuren.*	Pagus.	Mechliniensis.	1626
Gandavum.	*Ghendt.*	Civitas.	Sedes Episcopi.	1589 -- 1631
Geldria.	*Gelder.*	Civitas.	Ruremundensis.	1619
Hasseletum.	*Hasselt.*	Civitas.	Leodiensis.	1616
Lovanium.	*Loven.*	Civitas.	Mechliniensis.	1594 -- 1613
Lyra.	*Lier.*	Civitas.	Antverpiensis.	1624
Mechlinia.	*Mechelen.*	Civitas.	Sedes Archiepisc.	1599 -- 1626
Meersel.	*Meersel.*	Pagus.	Antverpiensis.	1687
Mosacum.	*Maeseyck.*	Civitas.	Leodiensis.	1625
Ostenda.	*Ostende.*	Civitas.	Brugensis.	1615
Teneramunda.	*Dendermonde.*	Civitas.	Gandavensis.	1595 -- 1628
Thenæ. *arum.*	*Thienen.*	Civitas.	Mechliniensis.	1669
Trajectum *ad mosam.*	*Maestricht.*	Civitas *olim resid. Episcopi.*	Leodiensis.	1609
Trudonopolis.	*Sinttruyden.*	Civitas.	Eadem.	1614
Velpæ. *arum.*	*Velp.*	Pagus.	Eadem.	1626 -- 1718

Missio
In Statibus Hollandicis.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Flandricum.*	*Qualitas Loci.*
Sylvæduc.	*Shertoghenbosch.*	Civitas *olim Sedes Episc.*

Me-

Monaſteria Monialium.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Flandricum.*	*Titulus Eccleſiæ.*	*Numerus Monial.*	*Qualitas Regulæ.*
Antverpia.	*Antwerpen.*	SSma Trinitas.	25	Tertii Ord. *cum Habitu & Conſtit. Ord. noſtri.*
Brugæ.	*Brugghe.*	S. Andreas.	15	Ejuſdem.
Bruxellæ.	*Brüſſel.*	*Oratorium.*	23	Ejuſdem.
Cortracum.	*Cortryck.*	. . . . .		Ejuſdem.
Gandavum.	*Ghenth.*	S. Cor Jeſu.	23	Ejuſdem.
Moſacum.	*Maeſeyck.*	B. V. Maria & S. Joan.	28	Ejuſdem.
Trudonopolis.	*Sinttruyden.*	B. V. Doloroſa.	25	Ejuſdem.

Sigillum *S. P. Franciſcus S. Stigmata recipiens.* **Provinciæ.**

PROVINCIA VALLONICA.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Vernac.*	*Qualitas Loci.*	*Diœcesis Loci.*	*Annus Fundationis Loci.*
Anghia.	*Engbien.*	Oppidum.	Cameracensis.	1615
Arlunum.	*Arlon.*	Oppidum.	Trevirensis.	1625
Athum.	*Ath.*	Civitas.	Cameracensis.	1609
Caroloregium.	*Charleroy.*	Civitas.	Leodiensis.	1680
Eupena.	*Neaux.*	Oppidum.	Eadem.	1662
Luxemburgum.	*Luxembourg.*	Civitas.	Trevirensis.	1623
Martisvilla.	*Marville.*	Oppidum.	Eadem.	1618
Montes. *tium.*	*Mons.*	Civitas.	Cameracensis.	1595
Namurcum.	*Namur.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1604
Sonegiæ. *arum.*	*Soignies.*	Oppidum.	Cameracensis.	1616

Monasterium Monialium.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Gallic.*	*Titulus Ecclesiæ.*	*Numerus Monial.*	*Qualitas Regulæ.*
Montes.	*Mons.*	Purificatio Bmæ Virginis Mariæ.	24	Congregationis *Audomarensis.*

Sigillum *S. P. Franciscus dexterâ Crucifixum tenens, & pede mundum calcans.* **Provinciæ.**

PROVINCIA LEODIENSIS.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Gallic.*	*Qualitas Loci.*	*Diœcesis Loci.*	*Annus Fundationis.*
Dionantum ad Mosam.	*Dinant sur meuse.*	Oppidum.	Leodiensis.	1613
Huum.	*Huy.*	Oppidum.	Eadem.	1607
Leodium.	*Liege, germanicè Luttich.*	Civitas.	Sedes Episcopi. Principis.	1600
Leodium S. Margarithæ.	*Liege.*	Suburbium.		1661
Malmundarium.	*Malmedy.*	Oppidum.	Coloniensis.	1615
Spada.	*Spa.*	Oppidum.	Leodiensis.	1643
Stabuletum.	*Stavelò.*	Metrop. *Princip. Stabulen.*	Leodien.	1657
Thudinium.	*Thuin.*	Oppidum.	Leodiensis.	1619
Vervia.	*Verviers.*	Oppidum.	Eadem.	1687

Monasterium Monialium Capucinarum.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Gallic.*	*Titulus Ecclesiæ.*	*Numerus Monial.*	*Qualitas Regulæ.*
Leodium.	*Liege.*	SS. Petrus & Paulus.	34	Stricta.

Sigillum *S. Joseph sinistra puerum Jesum &c. & dextera Lilium portans.* **Provinciæ.**

PROVINCIA TYROLENSIS.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci German.*	*Qualitas Loci.*	*Diœcesis Loci.*	*Annus Fundationis Loci.*
Augusta.	*Augspurg.*	Civitas.	Augustana.	1601
Brixina.	*Brixen.*	Civitas.	Brixinensis.	1604
Bruneggium.	*Brunegg.*	Civitas.	Eadem.	1626
Bulsanum.	*Bozen.*	Civitas.	Tridentina.	1601
Clusina.	*Clausen.*	Civitas.	Brixinensis.	1699
Dilinga.	*Dillingen.*	Civitas.	Augustana.	1692
Ennia.	*Neumarckt.*	Oppidum.	Tridentina.	1617
Eppanum.	*Eppan.*	Oppidum.	Eadem.	1638
Ginzburgum.	*Ginzburg.*	Civitas.	Augustana.	1616
Imbstium	*Imbst.*	Oppidum.	Brixinensis.	1682
Kizbichlium.	*Kizbichl.*	Civitas.	Chiemensis.	1702
Lana.	*Lanna.*	Oppidum.	Tridentina.	1664
Lauffa.	*Lauffen.*	Civitas.	Salisburgensis.	1655
Meranum.	*Meran.*	Civitas.	Curiensis.	1616
Milldorffium.	*Milldorff.*	Civitas.	Salisburgensis.	1639
Oenipontum.	*Insprugg.*	Civitas.	Brixinensis.	1593
Radstadium.	*Radstatt.*	Civitas.	Salisburgensis.	1633
Salisburgum.	*Salzburg.*	Civitas.	Eadem.	1596
Schlanderna.	*Schlanders.*	Oppidum.	Curiensis.	1644
Sterzinga.	*Sterzingen.*	Civitas.	Brixinensis.	1628
Weissenhornium.	*Weissenhorn.*	Civitas.	Augustana.	1664

Hospitia permanentia.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci German.*	*Qualitas Loci.*	*Diœcesis Loci.*	*Annus Fundationis Loci.*
Burgovium.	*Burgau.*	Civitas.	Augustana.	1729
Höchstadium.	*Höchstött.*	Civitas.	Eadem.	1740
Malsium.	*Mals.*	Oppidum.	Curiensis.	1698
Rieda.	*Ried.*	Pagus.	Brixinensis.	1694


Missiones.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci German.*	*Qualitas Loci.*	*Diœcesis Loci.*	*Annus Fundationis Loci.*
Monasterium.	*Mynster.*	Pagus.	Curiensis.	1733
Taraspum.	*Tarasp.*	Terra.	Eadem.	1716
Wersa.	*Wersen.*	Oppidum.	Salisburgensis.	1736
Radstadium.	*Conventus ut supra.*	Civitas.	Eadem.	

Mo-

Monasterium Monialium Capucinarum.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Vernac.*	*Titulus Ecclesię.*	*Numerus Monialium.*	*Qualitas Regulæ.*
Salisburgum.	*Salzburg.*	B. V. Maria Lauretana.		Strictioris Observantiæ.

Sigillum  Provinciæ.

PROVINCIA BAVARICA.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci German.*	*Qualitas Loci.*	*Diœcesis Loci.*	*Annus Fundationis Loci.*
Berchinga.	*Berching.*	Civitas.	Eustadiana.	1722
Brunovium.	*Braunau.*	Civitas.	Salisburgensis.	1621
Burglengenfelda.	*Burglengenfeld.*	Civitas Palat.	Ratisbonensis.	1704
Burghusium.	*Burghausen.*	Civitas.	Salisburgensis.	1654
Deggendorffium.	*Deggendorff.*	Civitas.	Ratisbonensis.	1625
Dinckhlspila.	*Dinckhlspil.*	Civitas Imperial.	Augustana.	1622
Donawerda.	*Donawerth.*	Civitas.	Eadem.	1630
Elvacum.	*Elwangen.*	Civtas.	Eadem.	1729
Erdinga.	*Erding.*	Civitas.	Frisingensis.	1690
Eustadium.	*Eichstat.*	Civitas.	Sedes Episcop.	1623
Gamundia.	*Schwäbisch gmündt.*	Civitas Imperial.	Augustana.	1652
Landishutum.	*Landtshuet.*	Civitas.	Frisingensis.	1610
Monachium.	*München.*	Civitas.	Eadem.	1600
Neoforum.	*Neumarek.*	Civitas.	Eustadiana.	1674
Ratisbona.	*Regenspurg.*	Civitas Imperial.	Sedes Episc.	1613
Rieda.	*Riedt.*	Oppidum.	Passaviensis.	1642
Rosenhemium.	*Rosenheim.*	Oppidum.	Frisingensis.	1606
Schardinga.	*Scharding.*	Civitas.	Passaviensis.	1635
Schwandorffium.	*Schwandorff.*	Civitas.	Ratisbonensis.	1690
Straubinga.	*Straubingen.*	Civitas.	Eadem.	1614
Traunium.	*Traunstein.*	Civitas.	Salisburgensis.	1690
Türckhemium.	*Türckheim.*	Oppidum.	Augustana.	1685
Vilshovium.	*Vilzhoven.*	Civitas.	Passaviensis.	1642
Wasserburgum.	*Wasserburg.*	Civitas.	Salisburgensis.	1622
Wembdinga.	*Wembding.*	Civitas.	Augustana.	1696
Wolnzachium.	*Wolnzach.*	Oppidum.	Ratisbonensis.	1729

Missiones.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci German.*	*Qualitas Loci.*	*Diœcesis Loci.*	*Annus Fundationis.*
Dyrnavium.	*Dyrnau.*	Pagus.	Constantiensis.	1689
Parckhsteinium.	*Parckhstain.*	Burgus.	Ratisbonensis.	1658
Vochenstrusium.	*Vochenstraus.*	Burgus.	Eadem.	1657
Weida.	*Weidæ.*	Civitas Palat.	Eadem.	1658

Resi-

Residentiæ.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci German.*	*Qualitas Loci.*	*Diœcesis Loci.*	*Annus Fundationis.*
Mons Crucis.	*Creuzberg.*	Ecclesia B. V.	Ratisbonensis.	1733
Mospurgum.	*Mospurg.*	Civitas.	Frisingensis.	1699
Neofraunhovium.	*Neufrauenhoffen.*	Arx seu Castrũ.	Eadem.	1717
Neostadium.	*Neüstatt palat.*	Civitas.	Ratisbonensis.	1709
Nymphenburgum.	*Nymffenburg.*	Residentia.	Frisingensis.	1718
Solisbacum.	*Sulzbach.*	Civitas Palat.	Ratisbonensis.	1733
Vilsbiburgum.	*Vilsbiburg.*	Oppidum.	Eadem.	1706

Monasterium Monialium Capucin.

Nomen Loci Latinum.	*Lomen Loci German.*	*Titulus Ecclesiæ.*	*Numerus Monialium.*	*Qualitas Regulæ.*
Landishutum.	*Landtshuet.*	B. V. Lauretana.		Tertii Ordinis

Sigillum *B. V. Maria Oenipontana Electoratûs Bavarici Protectrix.* **Provinciæ.**

PROVINCIA FRANCONIÆ.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Germanicum.*	*Qualitas Loci.*	*Diœceſis Loci.*	*Annus fundationis.*
Bamberga.	*Bamberg.*	Civitas.	Sedes Episc. Princ.	1654
Carlſtadium.	*Carlſtatt.*	Civitas.	Herbipolenſis.	1670
Comburgum.	*Comburg.*		Eadem.	1713
Göſſweinſteinium.	*Göſſweinſtein.*	Oppidum.	Bambergenſis.	1724
Herbipolis.	*Wirzburg.*	Civitas Ducal.	Sedes Episc. Princ.	1614
Höchſtadium.	*Höchſtatt.*	Civitas.	Herbipolenſis.	1714
Kizinga.	*Kizingen.*	Civitas.	Eadem.	1631
Mariæfagum.	*Maria-buechen.*	Locus votivus.	Eadem.	1745
Mergenthemium.	*Mergentheim.*	Civitas.	Eadem.	1629
Nicroſulma.	*Neckerſulm.*	Civitas.	Eadem.	1661
Oxovium.	*Oxenfurth.*	Civitas.	Eadem.	1664
Regis Curia.	*Königshoffen.*	Fortalitium.	Eadem.	1665

Miſſiones, & Reſidentiæ ſtabiles.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci German.*	*Qualitas Loci.*	*Diœceſis Loci.*
Affeldrachium.	*Affeltrach.*	Pagus.	Herbipolenſis.
Bartenſteinium.	*Bartenſtein.*	Reſidē. Princ.	Eadem.
Bönnigsheimium.	*Bönnigsheimb.*	Civitas.	Spirenſis.
Frejenfelſa.	*Freienfelſen.*	Caſtrum.	Bambergen.
Friſenhuſium.	*Frieſenhauſen.*	Pagus.	Herbipolen.
Pſedelbacum.	*Pſedelbach.*	Reſidē. Princ.	Eadem.
Stettenfelſa.	*Stettenfels.*	Caſtrum.	Eadem.
Vilſeckium.	*Vilſeck.*	Civitas.	Ratisbonenſis.

Sigillum (*S. Joſephus ſtans cum Puero Jeſu, ad ſiniſtram pariter ſtante*) Provinciæ.

PRO-

PROVINCIA

BOEMICA.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Vernaculum.*	*Qualitas Loci.*	*Diœcesis Loci.*	*Annus Fundationis.*
Briga.	*Brig.*	Civitas.	Wratislaviensis.	1682
Bruna.	*Brünn.*	Civitas.	Olomucensis.	1606 & 1645
Budvicium.	*Budweis.*	Civitas.	Pragensis.	1614
Chrudimium.	*Chrudim.*	Civitas.	Eadem.	1656
Falckonovium.	*Falckenau.*	Oppidum.	Eadem.	1663
Fulnecium.	*Fulneck.*	Oppidum.	Olomucensis.	1674
Gaja.	*Gaja.*	Civitas.	Eadem.	1710
Hradistium.	*Münichgräz.*	Oppidum.	Pragensis.	1690
Iglavia.	*Iglau.*	Civitas.	Olomucensis.	1631
Littomericium.	*Leutmeritz.*	Civitas.	Sedes Episcopi.	1637
Neo-colinium.	*Neu-colin.*	Civitas.	Pragensis.	1666
Neostadium.	*Neustadt.*	Civitas.	Wratislaviensis.	1654
Nicolspurgum.	*Nickolspurg.*	Civitas.	Olomucensis.	1612
Nissa.	*Neüs.*	Civitas.	Wratislaviensis.	1658
Olomucium.	*Olmüz.*	Civitas.	Sedes Episcopi.	1614. 1623. & 1653
Oppoczna.	*Oppoczna.*	Oppidum.	Reginæ Hradacens.	1674
Pontum.	*Brix.*	Civitas.	Pragensis.	1616
Praga in Hradschin.	*Prag.*	Metropolis.	Sedes Archiepiscopi.	1600
Neo-Praga.	*Prag in Der Neustadt.*	. . . . .	. . . . . .	1636
Raudnicium.	*Raudnitz.*	Oppidum.	Eadem.	1614
Reichstadium.	*Reichstadt.*	Oppidum.	Eadem.	1681
Rumburgum.	*Rumburg.*	Oppidum.	Littomericien.	1683
Svidnicium.	*Schweidnitz.*	Civitas.	Wratislavien.	1680
Sutticium.	*Schivenhoffen.*	Civitas.	Pragensis.	1651
Teinitium.	*Teinitz.*	Civitas.	Eadem.	1650
Trebitzium.	*Trebitsch.*	Civitas.	Olomucensis.	1693
Viscovia.	*Wischau.*	Civitas.	Eadem.	1616
Wratislavia.	*Breslau.*	Civitas.	Sedes Episcopi.	1671
Ziattecium.	*Saaz.*	Civitas.	Pragensis.	1675
Znoyma.	*Znaym.*	Civitas.	Olomucensis.	1628

Reſidentiæ.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Vernac.*	*Qualitas Loci.*
Auſpicium.	*Auſpitz.*	Oppidum.
Bohemo-Broda.	*Bohmiſch-brodt.*	Civitas.
Freudenthalium.	*Freüdenthal.*	Civitas.
Polna.	*Polna.*	Oppidum.
Proſtana.	*Proſnitz.*	Civitas.
Teinicium.	*Teinitz.*	Oppidum.
Trebnitium.	*Trebnitz.*	Oppidum.

Sigillum *S. P. Franciſcus manibus Crucem ſtringens.* **Provinciæ.**

PROVINCIA AUSTRIACO=HUNGARICA,

SEU

VIENNENSIS.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci German.*	*Qualitas Loci.*	*Diœcesis Loci.*	*Annus Fundationis.*
Buda *in Hungaria.*	*Offen.*	Civitas.	Strigoniensis.	1692
Corneoburgum *in Aust.*	*Corn Neuburg.*	Civitas.	Passaviensis.	1623
Crembsium *in Austria.*	*Crembs.*	Civitas.	Eadem.	1614
Esseckinum *in Slavonia.*	*Esseck.*	Civitas.	Strigoniensis.	1701
Freystadium *in Austria.*	*Freystatt.*	Civitas.	Passaviensis.	1643
Gmunda *in Austria.*	*Gmundt.*	Civitas.	Eadem.	1636
Hattvanum *in Hungar.*	*Hattwan.*	Oppidum.	Vacciensis.	1729
Hollobruna *in Austria.*	*Hollbrunn.*	Oppidum.	Passavien.	1665
Lincium *ad S. Jos. in Aust.*	*Linz.*	Suburbium Civit. Lincien.	Eadem.	1690
Lincium. *ad S. Mattiam in Austria.*	*Linz.*	Civitas.	Eadem.	1606
Mödlinga *in Austria.*	*Mödling.*	Oppidum.	Viennensis.	1632
Morra *in Hungaria.*	*Morra.*	Pagus.	Vesprinienssis.	1696
Neostadium *in Aust.*	*Neustatt.*	Civitas.	Sedes Episcopi.	1620
Ovarinum *in Hungar.*	*Ungarisch-Altenburg*	Oppidum.	Jaurinensis.	1698
Passavium *in Austria.*	*Passav.*	Civitas.	Sedas Episcopi.	1615
Pazinium *in Hungar.*	*Pozing.*	Civitas.	Strigoniensis.	1674
Posonium *in Hung.*	*Presburg.*	Civitas.	Sed. Archiep. Strigon., & Hung. Primatis.	1708
Poystorffium.	*Poysdorff.*	Oppidum.	Passaviensis.	1673, & 1709
Pruggum *ad Laytham. in Austria.*	*Prugg.*	Civitas.	Viennensis.	1625
Quinque Ecclesiæ *in Hungar.*	*Fünffkirch.*	Civitas.	Sedes Episcopi.	1699
Scheibsium *in Aust.*	*Scheibsen.*	Oppidum.	Passaviensis.	1677
Schwechetium *in Aust.*	*Schwecket.*	Oppidum.	Viennensis.	1693
Styra *in Austria.*	*Steir.*	Civitas.	Passaviensis.	1627
Tattis *in Hungar.*	*Tatten.*	Pagus.	Jaurinensis.	1744
Tockainum *in Hungaria.*	*Tockey.*	Oppidum.	Agriensis.	1712
Tulna *in Austria.*	*Tuln.*	Civitas.	Sedes Suffraganei Passav.	1644
Varasdinum M. *in Hung.*	*Groß-Varadin.*	Civitas.	Sedes Episcopi.	1627
Vienna *ad S. Mar. Angelorum intra Urbem.*	*Wien.*	Civit. Metrop. Sedes Imper.	Sedes Archiepiscopi.	1622


Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci German.*	*Qualitas Loci.*	*Diœceſis Loci.*	*Annus Fundationis.*
Vienna *ad S. Vdalricum extra Vrbem.*	*Wien.*	Civitas Metropolit.	Sedes Archiep.	1683
Waidhovia *ad Thajam in Auſtria.*	*Waidhoffen.*	Civitas.	Paſſavienſis.	1652
Waidhovia *ad Ybbſim in Auſtria.*	*Waidhoffen.*	Civitas.	Eadem.	1644
Welſium *in Auſtria.*	*Wels.*	Civitas.	Eadem.	1630

Miſſio ſtabilis
In toto Regno Hungariæ, & Slavoniæ.
in Auſtria Superiore

Goiſeramii, & Hallſtadii.

Reſidentiæ.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci German.*	*Qualitas Loci.*
Budaickum.	*Budaick.*	Pagus.
Paſſavium *in Monte, B.V. Auxiliatricis.*	*Paſſau.*	Civitas.

Sigillum 

Provinciæ.

PRO-

PROVINCIA STYRIÆ.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci German.*	*Qualitas Loci.*	*Diœcesis Loci.*	*Annus Fundationis Loci.*
Carlobagum.	*Carlobag.*	Oppidum.	Segnienſis.	1708
Cillia.	*Cillen.*	Civitas.	Aquilejenſis.	1711
Clagenfurtum.	*Clagenfurth.*	Civitas.	Lavandina.	1644
Cormonium.	*Cormons.*	Civitas.	Aquilejenſis.	1615
Cramburgum.	*Cramburg.*	Civitas.	Labacenſis.	1737
In S. Cruce.	*H. Creuz.*	Civitas.	Aquilejenſis.	1743
Dambſovium.	*Dämbſweeg.*	Oppidum.	Salisburgenſis.	1634
Flumen.	*S. Vit.*	Civitas.	Pollenſis.	1609
Goritia.	*Görz.*	Civitas.	Aquilejenſis.	1591
Græcium *ad S. Antonium.*	*Graz* S. Antonii.	Civitas.	Salisburgenſis.	1600
Græcium *ad S. Joannem Baptiſtam.*	*Gräz* S. Joan. Bap.	Extra muros Civitatis.	Salisburgenſis.	1648
Gradiſca.	*Gradiſca.*	Civitas.	Aquilejenſis.	1640
Gurgfeldum.	*Gurgfeldt.*	Civitas.	Eadem.	1634
Hardberga.	*Hardberg.*	Civitas.	Salisburgenſis.	1652
Irdninga.	*Irdning.*	Oppidum.	Eadem.	1710
Knittelfeldum.	*Knittelfeld.*	Civitas.	Seccovienſis.	1703
Labacum.	*Labach.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1606
Leibnizium.	*Leibniz.*	Civitas.	Salisburgenſi.	1637
Leobium.	*Leoben.*	Oppidum.	Eadem.	1690
Locopolis.	*Biſchofflach.*	Civitas.	Aquilejenſis.	1706
Marburgum.	*Marburg.*	Civitas.	Salisburgenſis.	1613
Muravium.	*Murrau.*	Civitas.	Eadem.	1643
Muræpontum.	*Prugg.*	Civitas.	Eadem.	1606
Murreggium.	*Muregg.*	Oppidum.	Eadem.	1667
Pettovium.	*Pettau.*	Civitas.	Eadem.	1623
Radtkerſpurgum.	*Radkerſpurg.*	Civitas.	Eadem.	1614
Rudolphsbertum.	*Neuſtättl.*	Civitas.	Aquilejenſis.	1659
Swannberga.	*SchWannberg.*	Oppidum.	Lavandina.	1706
Tergeſtum.	*Trieſt.*	Civitas.	Sedes Epiſcopalis.	1617
Varasdinum.	*Varaſtin.*	Civitas.	Zagrabienſis.	1699
Villacum.	*Villac.*	Civitas.	Labacenſis.	1633
Wolfsperga.	*Wolfsperg.*	Civitas.	Lavandina.	1634
Zagrabia.	*Zagram.*	Civitas.	Sedes Epiſcopalis.	1615

Miſ-

Missio.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci German.*	*Qualitas Loci.*
Licca.	*Likha*.	Pagus.

Sigillum

S. Maria Virgo Immaculata stans, & Luna sub pedibus ejus, in dextera tenens sceptrum, in sinistra verò Puerum JESUM *sedentem.*

Provinciæ.

PROVINCIA COLONIENSIS.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Germanicum.*	*Qualitas Loci.*	*Diœcesis Loci.*	*Annus fundationis.*
Aldenhovium.	*Aldenhoven.*	Oppidum.	Coloniensis.	1655
Aquisgranum.	*Achen.*	Civitas.	Leodiensis.	1614
Bonna.	*Bonn.*	Civitas.	Sedes Archiepisc. Electoralis.	1618
Borckena.	*Borcken.*	Civitas.	Monasteriens.	1630
Brakelia.	*Brackel.*	Civitas.	Paderbornens.	1645
Cæsaris Insula.	*KaysersWerth.*	Civitas.	Coloniensis.	1654
Clivi.	*Cleff.*	Civitas.	Eadem.	1629
Cöesfeldia.	*Cöesfeld.*	Civitas.	Monasteriens.	1627
Colonia *Agrippina, vel Ubiorum.*	*Cöllen am Rhein.*	Civitas.	Sedes Archiepisc. Elector.	1611
Düsseldorpium.	*Düsseldorff.*	Civitas.	Coloniensis.	1617
Essendia.	*Essen.*	Civitas.	Nullius.	1614
Euskirchium.	*Euskirchen.*	Civitas.	Coloniensis.	1639
Gladbacum.	*Gladtbach.*	Civitas.	Eadem.	1654
Hildesium.	*Hildesheim.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1630
Juliacum.	*Julich.*	Civitas.	Coloniensis.	1622
Lintzium, ad *Rhenum.*	*Lyntz am Rhein.*	Civitas.	Trevirensis.	1627
Marcodurum.	*Deuren.*	Civitas.	Coloniensis.	1635
Monasterium *Eifsliæ.*	*Münstereiffel.*	Civitas.	Eadem.	1619
Monasterium. *Westphaliæ.*	*Münster in* Westphalen.	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1614
Paderborna.	*Paderborn.*	Civitas.	Sedes Episcopi.	1612
Rhenoberca.	*Rheinberg.*	Civitas.	Coloniensis.	1662
Ruthena.	*Ruden.*	Civitas.	Eadem.	1651
Tulpetum, *sive Tolpiacum.*	*Zulpich.*	Civitas.	Eadem.	1635
Wassenberg.	*Wassenberg.*	Civitas.	Leodiensis.	1654
Werlæ.	*Werl.*	Civitas.	Coloniensis.	1645
Werna.	*Wern.*	Civitas.	Monasteriensis.	1658
Wittemium.	*Wittem.*	Castrum.	Leodiensis.	1729
Zanthi.	*Zanthen.*	Civitas.	Coloniensis.	1629

Residentiæ.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci German.*	*Qualitas Loci.*	*Diœcesis Loci.*	*Annus Fundationis Loci.*
Benroda.	*Benrath.*	Pagus.	Coloniensis.	1662
Brenschedena.	*Brenschede.*	Pagus.	Eadem.	1725
Clemenswerda.	*Clemenswerth.*	Castrum Elect.	Monasterien.	1739
Peina.	*Pein.*	Civitas.	Hildesiens.	1669
Stolberga.	*Stolberg.*	Oppidum.	Coloniens.	1737

Mona-

Monasteria Monialium.

Nomen Loci Latinum.	*Lomen Loci German.*	*Titulus Ecclesiæ.*	*Numerus Monialium.*	*Qualitas Regulæ. gulæ.*
Bonna.	*Bonn.*	S. Anna.	23	Tert. Ord. *Cong. Audomarensis.*
Colonia Agrippina.	*Cöllen.*	Invent. S. Crucis	24	Eadem.
Paderborna.	*Paderborn.*	S. Josephus.	22	Eadem.

Sigillum *Beata Virgo Maria sine labe concepta.* **Provinciæ.**

PROVINCIA RHENANA.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Germ.*	*Qualitas Loci.*	*Diœcesis Loci.*	*Annus Fundationis.*
Agonia Domini.	*NothGottes.*	Locus Solitar.	Moguntina.	1620
Alzeja.	*Alzey.*	Civitas *Relig. mixtæ.*	Eadem.	1686
Aschaffenburg.	*Aschaffenburg.*	Civitas.	Eadem.	1620
Baccharacum.	*Baccharach.*	Civitas *Relig. mixtæ.*	Trevirensis.	1621
Benshemium.	*Bensheimb.*	Civitas.	Moguntina.	1630
Berncastellum.	*Berncastell.*	Civitas.	Trevirensis.	1641
Binga.	*Bingen.*	Civitas.	Moguntina.	1637
Bornhovium.	*Bornhoven.*	Locus Solitarius.	Trevirensis.	1679
Bruchsalia.	*Bruchsal.*	Civitas.	Sed. Episc. Spirensis.	1669
Cochemium.	*Cochem.*	Civitas.	Trevirensis.	1623
Confluentia.	*Coblenz.*	Civitas.	Trevirensis.	1627
Dieburgum.	*Dieburg.*	Civitas.	Moguntina.	1650
Francodalium.	*Franckental.*	Civitas *Relig. mixtæ.*	Wormatiensis.	1624
Francofurtum.	*Franckfurt.*	Civitas Libera, & Acatholica.	Moguntina.	1628
Grünstadium.	*Grünstatt.*	Civitas *Relig. mixtæ.*	Wormatiensis.	1690
Heidelberga.	*Heydelberg.*	Civitas *Relig. mixtæ.*	Eadem.	1629
Lohra.	*Lohr.*	Civitas.	Moguntina.	1648
Manhemium.	*Manheim.*	Civitas *Relig. mixtæ.*	Wormatiensis.	1685
Moguntia.	*Maynz.*	Civitas.	Sedes Archiepisc. Electoris.	1618
Mons Angelorum.	*Engelberg.*	Locus Solitar.	Moguntina.	1630
Neostadium.	*Neustatt.*	Civitas *Relig. mixtæ.*	Spirensis.	1628
Saxoregium.	*Königstein.*	Oppidum.	Moguntina.	1646
Spira.	*Speyr.*	Civitas Libera. & Acath.	Spirensis.	1623
Treviris.	*Trier.*	Civitas.	Sedes Archiepisc. Elect.	1615
Wagheuselium.	*Wagheusel.*	Locus Solitar.	Spirensis.	1616
Walthurena.	*Walthüren.*	Oppidum.	Moguntina.	1631
Wormatia.	*Wormbs.*	Civitas Libera, Acatholica.	Sedes Episcopi.	1630

Miſſiones ſtabiles.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci German.*	*Qualitas Loci.*	*Diœceſis Loci.*	*Annus Fundationis.*
Carolſruha.	*Carlſrueh.*	Civitas Acathol.	Spirenſis.	1730
Philippopolis.	*Philippsburg.*	Civitas.	Eadem.	1676
Werthemium.	*Wertheim.*	Civitas Acathol.	Moguntina.	1631

Miſſiones, & Loca derelicta.

Nomen Loci Latinum.	*Annus Admiſſionis.*	*Annus Deſertionis.*
Ladenburgum.	1624	1699
Saxenhauſium.	1626	1628
Deideshemium.	1633	1649
Wimpina.	1635	1641
Heppenhemium.	1648	1649
Hembsbacum.	1649	1674
Lorichium.	1652.	1686
Sanctus Goar.	1652	1657
Cellmichium.	1657	1679
Neolinga.	1661	1691
Philippsburgum.	1677	1734
Cauba.	1686	1700
Kirlocum.	1690	1698
Trarbacum.	1691	1698

Sigillum *Beato Virgo Maria sine labe concepta.* **Provinciæ.**

CU·

CUSTODIA POLONIÆ.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Vernac.*	*Qualitas Loci.*	*Diœcesis Loci.*	*Annus Fundationis.*
Cracovia.	*Krakaw.*	Metropolis Poloniæ.	Sedes Episcopi.	1680
Leopolis in Russia.	*Livow.*	Metropol. Russiæ.	Sedes 3. Episcoporum.	1716
Lubartovia.	*Lubartow.*	Oppidum.	Cracoviensis.	1733
Lublinium.	*Lublin.*	Civitas Regia.	Eeadem.	1724
Mariampolis.	*Maryampol.*	Oppidum.	Leopoliensis.	1742
Varsavia.	*Warszaw.*	Civitas & ResidentiaRegis.&	Episcopi Posnanien.	1680

Hospitia, & Fabricę Monasteriorum.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Vernac.*	*Qualitas Loci.*	*Diœcesis Loci.*	*Annus Fundationis Loci.*
Olesca *in RussiaPolona.*	*Olesk.*	Oppidum.	Luceoriensis.	1739
Rozwadovia.	*Rozwadow.*	Oppidum.	Cracoviensis.	1741
Sendiszovia.	*Sendzíszow.*	Oppidum.	Eadem.	1739
Vinnica *in Ukraina.*	*Winnica.*	Civtas Regia.	Luceoriensis.	1746
Violin *in Poloniæ Majore.*	*Violin.*	Oppidum.	Posnaniensis.	1747
Uscieluga *in Volinia.*	*Uscieluga.*	Oppidum.	Luceoriensis.	1747
Zbrzeza *in Podolia.*	*Zbrzeza.*	Oppidum.	Camienecensis.	1744

Sigillum *S. Stanislaus Episc. & Mart. ad pedes mortuum resuscitatum habens.* Provinciæ.

INDEX RERUM PRINCIPALIORUM,

Quæ in hoc Tomo quarto continentur.

Ca-

F

Gui-

Hol-

Lussi

Varasdini

Varsaviæ

Viam Crucis.

Fr. Victor à Solodoro.

Viennensis Provincia

Viennensis Conventus

Errata Corrigenda.

Fol. 5. *lin.* 30. Septennio, *lege* quadriennio
fol. 29. *lin.* 34. Sacris Indulgentiarum, & Rituum Congregationibus, *lege* Sacræ Indulgentiarum Congregationi
fol. 38. *lin.* 1. *col.* 2. Senatûs *lege* Senatum
fol. 126. *col.* 1. *lin.* 38. *deleantur verba* Fr. Damianum ad ſe ablegatum benignè exceptum &
fol. 155. *col.* 1. Gulielmo, *lege* Guilielmo
fol. 177. *lin.* 5. Reſidentia *lege* Reſidentias
fol. 224. *lin.* 9. Ezernin *lege* Czernin
Alia leviora menda, & ſpalmata, humanitate ſua ipſe benevolus Lector emendabit, & excuſabit.